Nicolas [illegible]


IUS PONTIFICALIUM

Nihil obstat
H. Van Haelst,
can., libr. cens.

***

Imprimatur.
Tornaci, die 29 Augusti 1956.
✠ Julius Lecouvet, Vic. Gen.

Ab eodem auctore :
PONTIFICALIS ROMANI EXPOSITIO IURIDICO-PRACTICA
3 volumina
(Benziger Brothers, Neo Eboraci)



CAEREMONIALE
EPISCOPORVM
IVSSV
CLEMENTIS VIII.
PONT. MAX.
NOVISSIME
REFORMATVM.

Omnibus Ecclesijs, praecipue autem Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiat. perutile, ac necessarium.

ROMAE,
Ex Typographia linguarum externarum,
Anno Iubilaei M D C. Mense Octobris.

Cum licentia Superiorum, & Priuilegio Sanctissimi Pontificis, & aliorum Principum per decennium.

JOACHIM NABUCO

Apostolicus Protonotarius
et Sacrae Rituum Congregationis Consultor

IUS PONTIFICALIUM

INTRODUCTIO IN CAEREMONIALE EPISCOPORUM

DESCLÉE & SOCII

PARISIIS — TORNACI — ROMAE — NEO EBORACI

Sanctissimo Domino Nostro

Pio Papae XII

scientiarum cultori eximio

Divini cultus sanctitatem

ad puriorem formam redintegranti

cum dies natalis octogesimus

plaudente Christiano Orbe celebratur

SACRUM

PRAEFATIO

Edita nostra in Pontificale Romanum expositione, in mente nostra erat Caeremoniale Episcoporum servato ordine Caeremonialis explanare (1); aliam tamen viam ingredi debuimus : nam multiplices quaestiones iuris pontificalis solvendae sive explanandae erant quae, vel obsoletae devenerunt et adhuc in Caeremoniali leguntur, vel post eius publicationem inductae fuere. Ex alia facie ritus plurimi a Sancta Sede recentissime reformati sunt et prout nunc in Caeremoniali reperiuntur exponere non expedit. In voto enim plurimorum episcoporum est ut functiones pontificales quantum fieri potest, simplificentur, sed id fieri tantum potest si ad meliorem traditionem revertamur, sicut in officio Majoris Hebdomadae iam factum est (2-3).

(1) Commentarium ad Caeremoniale Episcoporum gallica lingua parat Leo Gromier, ProtAp., in re liturgica et Romanis usibus peritus et SRC consultor acceptissimus.

(2) Nunc " Celebrans et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant " ait novissima rubrica, dum lector SS. Scripturarum pericopes cantat; ad invitationem *Flectamus genua* omnes " per aliquot temporis spatium " flexis genibus sistunt, nam vel ita fiat, vel delenda est invitatio ad genuflectendum, et sic de aliis. Aliquando tamen expedit ritus recentiores conservare, vel etiam novos introducere, veluti solemnem et collectivam renovationem promissionum baptismatis (coram episcopo in ecclesiis cathedralibus). Hac de re scripsit Mabillon (+ 1707) " Ubi regnant antiqui ritus, hi constanter retinendi; ubi novi prae antiquis praevaluerunt, antiquos laudare decet, novos non rejicere ". Sed adiunxit : " Qui novos sacrorum rituum libros novissimis temporibus scripserunt mirum est, quantum sibi tribuerint in pervertenda venerabili antiquitate, cuius institutiones, nedum institutionum rationes, omnino ignorabant. Cumque quod suo tempore fieri cernebant, id omnibus retro saeculis semper actitatum fuisse autumarent; probabiles, ut sibi videbantur, receptae novitatis rationes adinvenerunt, quae penitus veterum sententiae non raro adversantur... proinde eos qui eiusmodi officiis praepositi sunt, invitemus ad consulendam antiquitatem, quae, quanto fonti propior, tanto

Utilius proinde episcopis et sacrorum rituum studiosis putavimus ordinem Codicis Iuris Canonici sequi, agendo primo *de personis*, deinde *de rebus*, et ultimo *de actionibus*. De istis agitur tantum in genere, et discussioni subiiciuntur ritus qui nec semper bonam consuetudinem supponunt.

Non licuit ergo nobis *Caeremoniale Episcoporum* ordinatim commentariis illustrare : id certe facilius fuisset, esset tamen temporis dispendium, nec desunt auctores qui functiones pontificales, missam praesertim et vesperas una cum officiis per annum occurrentibus, optime explanant.

Ritus Romanus non aliter ac Ecclesia Dei hierarchicus est (4), et in unaquaque ecclesia cathedrali evolvitur cum episcopo officia divina faciente vel saltem eisdem praesente : propterea enim Caeremoniale compositum est, estque liber venerabilis, trium saeculorum usu comprobatus, qui pluribus nobilitatur qualitatibus, praesertim veracitate, nam elapso saeculo et nostro multae sunt res

venerabilior est : eosdemque admoneamus ne ita vulgares et contritas ratiunculas praeferant, quasi maiores nostros in sanciendis contrariis ritibus omni ratione destitutos fuisse existiment ". *In ordinem Romanum Commentarius, caput XXI.* Mabillon scripsit circiter anno 1689, sed de quibus libris novissimis sacrorum rituum loqui intendit? Non dubitamus quin in mente sua duo erant libri : Caeremoniale Apostolicum Augustini Patrizi et Caeremoniale Episcoporum, nam primus genuit secundum et in alterutro multa sunt quae necessario reformari debent, uti " assistentia " episcopi in cappa missam incipientis cum celebrante a sinistris : intonatio *Gloria* a celebrante, dorso fidelibus obverso, vel initium canonis a celebrante priusquam Trisagion finis imponatur. Vide *Nabuco, La liturgie papale et les origines du Cérémonial des Evêques, Miscellanea Mohlberg*, Romae 1948, vol. 1, p. 283-300.

(3) Card. Tommasi († 1713), a Pio VII inter beatos renuntiatus, de reformatione *Del cerimoniale* scripsit " Per la poca prattica che ho in queste materie, trovo gran differenza nelle cerimonie antiche e moderne : quelle erano poche, facili e misteriose; le moderne molte a segno che per saperle tutte vi vuole una buona e feconda memoria; sono anco difficili stracc ndo non tanto il corpo, quanto lo spirito che viene a dissiparsi et a non attendere al principale, che e il culto interno verso Iddio ". *Opuscoli inediti, Studi e Testi.*, 15, p. 40. Beatus Tommasi ab Innocentio XII in consultorem SRC electus est sed officium renunciavit, vir unus instar omnium, " per la poca prattica que ho in queste materie "; a Clemente XI ad officium revocatus est, sed, proh dolor, reformationes quas volebat non potuit videre sed tantum *in virgole, accenti e punti. Op. cit. p.* 12.

(4) Hac de re lege *Dom Lambert Bauduin, Notes de la Liturgie, 2e conférence, Semaines liturgiques*, Maredsous 1912, p. 134-142.

vanae atque fallaces quae admirationem ne dicam scandalum provocant, et quae viam sanctuarii invenerunt (5).

Arctius in dies redditur necessarium ut sacri ritus intellegibili et rationabili modo celebrentur, sed ad talem obtinendum effectum fontes perlustrare debemus, etenim non solum antiqui codices liturgici verum etiam monumenta ministerii pontificalis vel sacerdotalis testes sunt Fidei (6). Non solum proinde nobis diu noctuque laboravimus sed omnibus liturgicam veritatem exquirentibus.

RR. DD. Fredericus Vier OFM, Annibal Bugnini CM, et Ioseph Narciso dos Santos CMF, totum opus perlegerunt et auctorem in multis perlibenter adiuverunt. Dominus retribuet!

J. N.

(5) Canonici et praelati cappa praelatitia utuntur cuius pars principalis, talaris videlicet, simpliciter scissa est et cauda fictitia appensa; nobilissimum linum substituitur rebus quae nullo modo possunt cum eo comparari; patres cardinales serico cum undis symmetricis mechanice factis *imprimés* utuntur; in dies frequentius loco cereorum adhibentur res metallicae cum parvo cereo intus occulto; altaria intra functiones magnis candelabris cum cereis extinctis replentur; in quadam ecclesia nobilissimae civitatis Europae missae solemni exsequiali interfuimus cum sacris ministris coram corpore defuncti, sed arca in media navi apposita erat vacua et missa lecta, eaque expedita, sacerdos ad feretrum se contulit illudque aspergebat cum hyssopo, sed sine aqua lustrali eo quod homines qui ecclesiam pro exsequiis paraverunt aquam cum sale pannos funebres maculare dicebant; organa, ipsaeque campanae instrumentis electricis substituuntur, quaeque omnia a nostro Caeremoniali aliena sunt.

(6) " Les milliers de monuments liturgiques que nous avons dessinés ou décrits fournissent un témoignage saisissant; ils prouvent la perpétuité du même rite, l'usage continu des mêmes ustensiles sacrés pendant dix-neuf siècles, au milieu des bouleversements politiques et des mobiles caprices du goût. Leur témoignage constitue un véritable argument dogmatique devant lequel on a vu l'Angleterre reprendre ses antiques croyances avec ses vieux rituels ". RF, La Messe, 8, p. 214.

NOTA EXTRA ORDINEM

Quaeri potest cur episcopis pontificalia insignia vel speciales vestes traduntur. Si auctores saeculi XI vel XII consulantur respondent cum mysticis rationibus; sic Innocentius III ait " Unionem ineffabilem quibus Verbi divinitas se carni nostrae coniunxit per sandaliorum corrigias intellegimus... mediantibus vero caligis pedes sandaliis coniunguntur : quoniam animae mediante carne divinitas est unita " lib. 1. c. 34, et sic de aliis. De vestibus insimul ait " Novem sunt ornamenta pontificum specialia... quia munia novem sunt in quibus specialis episcoporum potestas consistit ". *De Sacro altaris Mysterio*, lib. I, c. 10.

Sed mysticis rationibus relictis, ulterius inquirere possumus ubinam quaerenda sit origo insignium episcoporum?

Huic quaestioni Ioseph Braun respondet : Episcopi saeculi V vel VI necessarium putaverunt ad se vocare modo privativo non nulla insignia (ex. gr. crucem et baculum) vel vestes (ex. gr. chirothecas et sandalia) quae a clericis inferiorum graduum vel a laicis adhibebantur. Ita agentes *ius insignium pontificalium* creaverunt, exemplum sumentes a magistratibus et principibus sui temporis. Contra Braun, Dr. Theodor Klauser dissertationem scripsit in tres partes divisam : in 1ma. parte de *sociali statu* episcoporum versus finem Imperii Romani agit; in 2a. parte de relatione inter eorum statum socialem in Regno et eorum insignia; in 3a. parte thesim suam per *Constitutum seu Donationem Constantini* (sic vocatam) probat, nimirum episcopos insignia et vestes proprias ordinis recepisse ratione sui status socialis, argumento paritatis cum maioribus regni quibus assimilabantur. *Der Ursprung der bischoflichen Insignien und Ehrenrechte, Verlag Scherpe, Krefeld, 1950.* Thesis lectu digna una cum alia antiquiori *Legg Wickham, Church Ornaments and their civil antecedents, Cambridge, 1917.*

CÆREMONIALE
EPISCOPORUM,
CLEMENTIS VIII.
PRIMUM, NUNC DENUO
INNOCENTII PAPÆ X.
AUCTORITATE RECOGNITUM,
Omnibus Ecclesijs, præcipuè autem Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis perutile, & necessarium.
Editio Prima in Belgio, multis Figuris Æneis exornata, & juxta ultimum Exemplar Vaticanum Typographiæ Apostolicæ revisa & impressa.



ANTVERPIÆ,
Apud HENRICUM & CORNELIUM VERDUSSEN. Anno M.D.CC.XIII.
Cum Gratiâ & Privilegio.

CATALOGUS EDITIONUM CAEREMONIALIS EPISCOPORUM

British Museum London (BritMus) referatur ad Catalogue of Printed Books, Liturgies, 1899.

Bibliothèque Nationale Paris (BibNatParis) referatur ad Série des livres anonymes imprimés.

Biblioteca Vaticana Roma (BibVat).

Biblioteca Vittorio Emanuele Roma (BibVittEm).

Biblioteca Casanatense Roma (BibCasRoma).

Biblioteca Nacional, Rio de Janeiro (BibNacRio).

Biblioteca Auctoris, Rio de Janeiro (BibAuctRio).

A — EDITIONES ROMANAE

a) Editiones Clementis VIII (decretum 14 Julii 1600)

1) — Romae anno iubilaei 1600 mense octobris in folio maiori. Iussu Clementis VIII, ex Typographia linguarum externarum, ornata aeneis figuris a Willamene factis. Typis rubro-nigris. Textus in duas dividitur columnas et in fine adduntur paginae quinque erratorum et corrigendorum, tamen editio typographice bona 8 nn (nn = paginae non numeratae), 294 p. BibNacRio, fundo J. A. Marques IV-252.7.15; BibNatParis B 109; BibVat, R. I. (id est : raccolta prima) S. 117; BibVittEm 71.5. G. 6. Exemplar Card Bellarmini et quidem pulcherrimum, 40 × 27 cm; BritMus, 17 f. 2. vel c. 24. d. Zaccaria, BibRit, I. p. 178; Brunet I, p. 514.

2) — Romae anno iubilaei 1600 mense octobris in forma minore. Iussu Clementis VIII ex Typographia linguarum externarum, aeneis figuris ornata. Typis rubro-nigris in unica columna. 8 nn-349 p. -14 nn erratorum et addendorum. 21.5 × 15. 5 cm. BibVat Casimiri IV. 357; BibVittEm 8.22.K.24;

3) — Romae 1606 in-8°. Typis Lepidi Fatti. 8 nn - 38 p. - 2 nn erratorum. 23.5 × 16 cm. Illust. Typis rubro-nigris. BibVat R. G. (id est : Raccolta generale) Liturgia IV. 982; BibVittEm 8.54. D. 25; BibCasRoma c. 11.24; BritMus. 850 L. 1; BibNatParis. B 2453; BibAuctRio. Baker, London cat. 722 D. anni 1928. n. 745. Editio typographice mala. Copia adamussim facta editionis minoris Romanae anno 1600.

b) Editiones Innocentii X
(decretum 30 Julii 1650)

4) — Romae 1651 in-4° minore. Clementis VIII primum, nunc denuo Innocentii X Papae auctoritate recognita, ex Typographia Rev. Camerae Apostolicae. 14 nn - 408 p. 28 × 20 cm. Typis rubro-nigris. Sine indice rerum notabilium BibNacRio V-13, 18; BibVat R. G. Liturgia III, 163, vel R. G. Theologia IV. 5155; BibNatParis B. 1670; BibVittEm 71-10.C.13 et 8.13.J.33; BibCasRoma D.VI.51; BibAuctRio; Brunet I. p. 514. « Luculentam editionem fortuito reperimus » ait Guéranger, quaeque meliores et correctiores tradit illustrationes. Editio tamen haec communis est et sat frequenter invenitur.

5) — Romae 1670. Typis et sumptibus Philippi de Rubeis, 8 nn-320 p. 26 × 20 cm. Typis rubro-nigris cum illustrationibus. BibCasRoma D.VI.52.

6) — Romae 1713 in-4° minore. Typis et sumptibus Michaelis Angeli et Petri de Rubeis, cum indice « Rerum magis notabilium » prima vice apposito. Typis rubro-nigris, 12 nn - 327 p. - 36 nn. 24 × 18 cm. Illust. BibVat R. G. Liturgia IV. 206 vel Barb. B.VIII.56; BibCasRoma D.VII.64; BibNacRio V 314.7.10; Editio haec eodem anno edita ac editio Antverpiana valde diffusa est et fere ubique invenitur.

c) Editiones Benedicti XIII
(decretum 7 Julii 1727)

7) — Romae 1727, tomi duo in-18. Tomus I, liber I; tomus II, liber II. Typis Hieronymi Mainardi, cum indice rerum. Typis rubro-nigris. 15.5 × 8 cm. BibNacRio V-424.2.1-2. Editio rarissima, sed non ideo commendanda.

8) — Romae 1729 in-4°. Typis Caroli Giannini et Hieronymi Mainardi. Typis rubro-nigris cum illust. LXIV-439 p. 24,5 × 18 cm. Benedictus XIII, praeter nonnullas modificationes in textu, capita in paragraphos divisit, nec semper feliciter; summarium in principio uniuscuiusque capituli adiunxit, et indicem rerum notabilium valde ampliavit. BibVat Mai XII. B. IV. 1; BibVittEm. 8.13. J. 34; BibCasRoma d. III. 20; BibNacRio V.18.5; BibAuctRio. Pulchra editio.

d) Editiones Benedicti XIV
(decretum 25 Martii 1752)

¶ Romae 1741. Benedictus XIV litteris sub plumbo *Quod Apostolus* diei 15 mensis Aprilis 1741, edidit " Leges et instituta caeremonialia pro provinciarum praesidibus, gubernatoribus praelatis et apostolicis vice-legatis ", quae in insequentibus editionibus CE uti liber tertius eiusdem inscripta fuerunt.

9) — Romae 1744 prodiit, Sumptibus Ioannis Laurentii Barbiellini, editio Catalani Ioseph in duobus tomis in folio maiori cum textu editionis Benedicti XIII, amplissimis commentariis ornata et addito in principio tomi I Caeremoniali Benedicti XIV de quo supra. Vol. I, LXXIV-416 p.; Vol. II, IV-448 p. 40 × 27 cm. Illust. BibCasRomae D. I.33.34; BibNatParis B 401; BibAuctRio.

10) — Romae 1752 in-12°. Typis Generosi Salomoni. Praesidum facultate et privilegio SSmi, cum annexis decreto diei 25 martii 1752 praescriptis, seu *editio typica Benedicti XIV* cum libro III. Index rerum alphabeticus. BibVittEm 8.21.E.24; BibCas Roma d.x.21; Zaccaria BibRit I, p. 179. VIII-283 p. 18 × 10 cm. Editio typographice mala.

11) — Romae 1824 in-12°. De Romanis. x-385 p. BritMus 843.d.7.

12) — Romae 1835 in-12° " Benedicti Papae XIV iussu editum et auctum " a " Praesidum facultate ". Typis rubro-nigris, XVI-304 p. 20 × 12,5 cm. Editio commoda et bona. BibAuctRio.

13) — Romae 1848 in-8° Caeremoniale Episcoporum, Summorum Pontificum iussu editum et a Benedicto XIV auctum et castigatum. Typis S. Cong. de Propaganda Fide cum indicibus capitum et rerum notabilium. XVI-326 p. 23 × 15 cm. BibVat R. G. Liturgia IV 280 vel Barb. MMM.III.48; BibVittEm 31.10.D.18; BibNatParis B 41820. Pulchra quidem editio.

Huius editionis, tres aliae stereotypae editae sunt ex Typographia Polyglotta de Fide Propaganda nullius tamen valoris. Sunt enim :

13 a) Romae 1872 in-8° Nova (1a.) editio stereotypa BibSti Anselmi de Urbe lit. 176. xv-318 p.

13 b) Romae 1880 in-8° Nova(2a) editio stereotypa BibVat R. G. Liturgia IV. 281; BibSti Anselmi de Urbe, lit. 156 a. 21,5 × 15 cm xv-318 p.

13 c) Romae 1887. Nova (3a) editio stereotypa BibSãoBentoRio xv-318 p. 22 × 14 cm. Editio Benedicti XIV post editionem typicam Leonis XIII (1886) Romae edita.

B — EDITIONES VENETAE

1) — Venetiis 1600. Mense septembris. Ex Typographia Nicolai Misserini. Typis rubro-nigris in duabus columnis. 8 nn-132 folia. 25 × 18 cm. BibVittEm 8.22.L.37. Sine erratorum relatione. Editio bene valde excusa et rarissima cum nullibi reperitur. Sine pontificia permissione sed tantum civilis auctoritatis Venetiarum die 31 mensis Augusti concessa.

2) — Venetiis 1614 in-4° minore. CE iussu Clementis VIII Pontificis Maximi novissime reformatum... cum indice capitum. Venetiis apud Cieras MDCXIIII sub signo Europae. Typis rubro-nigris in duabus columnis. 6 nn - 96 folia. 25,5 × 18 cm. BibVat R. G. Liturgia III. 45; BritMus 468.b.17.

3) — Venetiis 1758. CE SSmi D. N. Benedicti XIV iussu editum et auctum cum indicibus necessariis. " Editio prima Veneta " (sic). Ex Typographia Balleoniana (prima). x-385 p. 18 × 10 cm. BibVat Mai X.B.III.18. Editio incommoda.

4) — Venetiis 1772. " Editio secunda Veneta " (sic). Ex typographia Heredum Nicolai Pezzana. Typis rubro-nigris. 344 p. 19,5 × 12 cm. BibSaoBentoRio.

5) — Venetiis 1774. " Editio secunda Veneta " (sic.) Ex Typographia Balleoniana (secunda) x-385 p. 18,5 × 10 cm. BibVittEm 8.22.E.6.

C — EDITIONES TAURINENSES

a) Editiones Clementis VIII

1) — Augustae Taurinorum (Taurini) 1602. Apud Laurentium Vallinum. Ed. 1ma post typicam. "Erratorum castigationibus suis locis restitutis purgatiore stylo editum". Typis rubro-nigris in duabus columnis dispositis 12 nn - 122 p. 24,5 × 18,5 cm. BibNatParis B 2452.

2) — Ibidem 1611 seu 1612. Apud Iohannem Dominicum Tarinum. 12 nn-122 p. 24 × 18 cm. BibNatParis B. 1669; BibVittEm 8.9.K.7; Licet typographus sit alius, editio haec adamussim, etiam quoad paginarum dispositionem, cum priore editione Taurinensi (1602) concordat.

b) Editiones Leonis XIII

3) — Taurini-Marietti 1893. 1ma post typicam Leonis XIII. XI-305 p. BibVittEm Coll. It. 142, 89.

4) — Taurini-Marietti 1924. Reproductio praecedentis.

5) — Taurini-Marietti 1935 "Editio 5a. Taurinensis". XI-305 p. 18 × 11,5 cm. BibVat. Casimiri V. 302. Reproductio praecedentis.

6) — Taurini-Marietti 1948. XII-258 p. 22 × 15 cm. Textus meliori forma dispositus.

D — EDITIONES PARISINAE

1) — Parisiis 1633 in folio maiori. Impensis Societatis Typographicae officii ecclesiastici. In duabus columnis, typis rubro-nigris cum illustrationibus. 8 nn - 366 p. 40 × 27 cm. BibNatParis réserve B 110 et B 550; BibVat Chigi 1,84 vel Barb. B × 16; BritMus 3355. d. 14. Brunet I, p. 514 (701). Editio pulchra valde.

2) — Parisiis 1669. Typis Ioannis Henault. 12 nn-358 p. 16,5 × 19 cm. BibNatParis B 6393; BibCasRoma C.XVIII,9.

3) — Parisiis 1854 apud Mequignon iuniorem. Forsan nunquam ad finem excusa, nam in BibNatParis B 6395 coopertura typis impressa exstat tantum 20 × 14 cm.

4) — Parisiis 1856 Lecoffre edidit. Cum commentariis Ignatii Bourget. XXXIV-369-8 p. 22 × 13,5 cm. BibNatParis B 6582; BibAuctRio. Vide Bibliographiam.

5) — Parisiis 1860. Sumptibus A. Jouby. Volumina duo in-4° maiori a Guéranger edita cum commentariis Catalani, adiectis notis editoris. Illustrationes. Vol I : XXXII-576 p.; vol II : IV-597 p. 28 × 21 cm. BibNatParis B 2967; BibAuctRio.

6) — Parisiis 1861. Sumptibus A. Jouby XIX-294 p. Editio adamussim eadem sed sine commentariis Catalani. 19 + 294 p. 28 × 21 cm. BibNatParis B 29127 vel B 3050.

E — EDITIONES MECHLINIENSES

1) — Mechliniae 1853 Typis P. J. Hanick cum approbatione Card. Stercky qua usus est Ignatius Bourget in suis commentariis. Typis rubro nigris. XVIII-336 p. 19,5 × 13 cm. BibNatParis B 42028 vel 42029.

2) — Mechliniae 1867 Ed. 2a. Mechliniensis. Dessain successor Hanick. Typis rubro-nigris. XVI-348 p. 18,5 × 12 cm. BibVat Casimiri V. 678.

3) — Mechliniae 1906. Ed. 1ma Dessain post typicam Leonis XIII cum approbatione Card. Mercier. XII-353 p. 19 × 12 cm. BibAuctRio.

4) — Mechliniae. Ed. 2a. Dessain post typicam Leonis XIII sine anno publicationis sed cum iisdem litteris Card. Mercier, pro editione 1906 datis, licet editio non sit eadem. VIII-305 p. 19,5 × 13,5 cm. BibAuctRio.

¶ Editio De Herdt cum commentariis : *vide Bibliographiam.*

F — EDITIONES RATISBONENSES

1) — Ratisbonae 1886. Editio 1ma Pustet et typica Leonis XIII. Typis rubro-nigris. XVI-352 p. 19,5 × 13 cm. BibVat Liturgia C. V. 30 Cons. Edidit G. Schober CSSR et SRC consultor, qui scripsit "Textus huius editionis cum authentico exemplari Benedicti XIV iussu edito et aucto, Romae 1752, adamussim concordat". Index generalis vix ab indice editionis Benedicti XIII differt. Quae sequuntur vero, prout notavit Schober, modificationes factae fuerunt, nimirum :

in libro I, cap. 16, n. 4. D 3595 de usu Pallii
cap. 23, n. 1. "cuius honore (m)"
cap. 27, fere per totum.
cap. 28, fere per totum.
in libro II, cap. 1, n. 16 "ita dimetiatur cantus"
cap. 8, n. 39 et 58
cap. 20, n. 4.
cap. 34, n. D 3595. Festivitates Sancti Ioseph et Immaculatae Conceptionis annexantur.

2) — Ratisbonae 1902. Ed. 1ma Pustet post typicam. Typis rubro-nigris ad instar editionis typicae excusa. BibVat R. G. Liturgia V. 330. Bib. Seminarii Sancti Pauli in Brasilia.

G — EDITIONES ALIIS LOCIS EXCUSAE

1) — Lugduni 1680. Sumptibus Societatis Bibliopolarum. 10 nn - 358 p. 17 × 10 cm. BibNatParis, reliure aux armes de Huet, réserve B 4483.

2) — Coloniae Agrippinae 1688. Sumptibus Hermanni Demen "Nunc primum in Germania prodit". 6 nn - 358 p. Exemplar Leonis Gromier, Prot Ap. 15 × 9,5 cm. Editio haec adamussim iuxta editionem praecedentem (Lugduni 1680) excusa est.

3) — Antverpiae 1713 in folio. Apud Henricum et Cornelium Verdussen. "Editio prima in Belgio" pulchris aeneis figuris exornata pro ipsa depictis. Typis rubro-nigris. 12 nn 397 p. 37,7 × 24 cm. Editor sequutus est, ut ait ipse, editionem Rev. Camerae Apostolicae (1651). Uti declarat typographus, editio haec in folio maiori singularis est et unica (post editionem Parisinam anni 1633). BibNacRio e Bibliotheca Ioannis V Portugaliae Regis V-314. 7. 10; BibAuctRio. In BibNatParis, in BritMus ac in Vaticana desideratur. Optima editio et *facile princeps* sed index rerum notabilium abest.

4) — *Francofurti* 1732 [Caeremonialia electionis et coronationis Pontificis Romani et] Caeremoniale Episcoporum iuxta prima, genuina ac rarissima exemplaria Romana, Veneta ac Taurinensia, cum figuris necessariis, una cum curioso ἀνέκδοτῳ de creatione Papae Pii II, et Leonhardi Aretini, perraroque ex MS. codice emendato opusculo de Temporibus suis, necnon Augustini Oldoini Catalogo Auctorum qui de Romanis Pontificibus scripserunt, collecta, edita, et Praefatione illustrata (a) Io. Gerhardo Meuschen. — Francofurti ex officina B. Joh. Max. à Sande. MDCCXXXII. XII-477 (23) p. 21 × 18 cm. BibVat Liturgia C. VI. 8. consultazione. Praeponitur *praefatio ad lectores*, valde erudita, ubi legitur "... quamque editionem (Taurini 1602) ut omnium optimam, in hac mea collectione secutus sum". Sine imprimatur quum auctor catholicus non erat.

5) — Tolosae 1844 (seu potius 1845). Edidit L. Chapelle. 267 p. 24 × 16 cm. BibNatParis B 6394; BritMus 3475. E.

¶ Editiones Caeremonialis Episcoporum XLI adnumerantur praeter tres stereotypicas editionis Romanae anni 1848.

NOTAE

AD CATALOGUM EDITIONUM CAEREMONIALIS EPISCOPORUM

Caeremoniale Episcoporum editum est vi litterarum Clementis VIII *Cum novissime*, die XIV iulii anni MDC datarum, quae die IX augusti eiusdem anni publicatae fuerunt. Privilegium edendi caeremoniale Typographiae linguarum externarum (antiquae polyglottae) datum est ad decennium; typographus Romanus librum edidit in forma maiori seu nobili et in forma simplici seu minori, una simul, mense scl. octobris eiusdem anni. Editio caeremonialis res erat nova et magni momenti, proinde typographus Venetus Nicolaus Misserini exemplar manuscripti clam obtinens, illud Venetiis excudit, cum *imprimatur* Senatus Reipublicae Venetiarum, quod quidem die 31 augusti datum cum fuisset, insequenti mense septembri prodiit, scl. ante editiones pontificias Romae mense octobri editas. Historia primae editionis clandestinae, seu quomodo typographus Venetus MS obtinuit, illudque statim excudere potuit forsan serius scribenda erit, desunt enim nobis rationes hac de re.

Duobus haud expletis annis, editionem alteram Taurini excudit Laurentius Vallinus quae, teste Meuschen, est omnium optima. Deinde editio minor iterum edita est anno 1606 ad instar prototypi, etiam quoad typorum dispositionem. Et hae editiones excusae fuerunt vigente adhuc privilegio papali ad decennium suo typographo linguarum externarum concesso.

Et sic ad lucem venit Caeremoniale Episcoporum! Prima editio Veneta clam facta est, et prima editio Romana quatuordecim paginas corrigendorum et addendorum lectoribus tradit. Innocentius X sciens tot menda erroresque, ut ait ipse, sive typographorum incuria sive alia de causa in CE irrepsisse, electa apostolica commissione, novam et emendatam dedit editionem Caeremonialis ex typographia Rev. Camerae Apostolicae, quae anno 1651 prodiit. Editio haec ab Innocentio X revisa revera dici potest editio typica prima : insequentes editores eam religiose sunt secuti.

Benedictus XIII anno 1727 novam editionem typicam curavit in qua nonnulla adiunxit et capita in paragraphos divisit. Benedictus XIV, textu Benedicti XIII haud immutato, tertium addidit librum in sua editione anno 1752 excusa. Demum Leo XIII, anno 1886, novam dedit editionem typicam in qua capita 27 et 28 libri I de musica et organo fere per totum immutavit. Concludere possumus editionem Leonis XIII vix ab editione typica anni 1651 differre.

Si primi editores tot errata admiserunt, sequentes menda maiora seu visibiliora emendaverunt, tamen punctuatio totius libri nec a Leone XIII revisa est; urget tamen revisio cum frequenter lectores in errorem inducuntur. Insuper divisio in paragraphos a Benedicto XIII facta lectionem textus difficilem reddit, nam quomodo in paragraphos dividi possunt textus si ab eorum redactoribus currente calamo scripti fuerunt? Leo Gromier ProtAp. privata manu punctuationem totius caeremonialis paravit, qua lectio libri clarior redditur.

In nostro catalogo editiones una supra quadraginta reperiuntur inscriptae, et, nisi fallimur, absolutus est. Si excipias editionem Romanam anni 1824, omnes seu quadraginta praeter tres stereotypas, prae manibus habuimus et pervolutavimus, cognitae sunt proinde nobis prima manu.

Editionem Antuerpiae anno 1713 impressam in nobili forma maiori iuxta editionem Rev. Camerae Apostolicae anni 1651 *principem* dicimus. Nam editio prima in forma maiori edita mendis stipatur dum editio haec tum forma, tum typis atque illustrationibus prae ceteris commendatur.

In catalogo hoc parando nobiscum adlaboraverunt, Parisiis, Ferdinandus Combaluzier CM et in Urbe Iohannes Prou, Procurator Congregationis Gallicae OSB et Iohannes Muller, ad sanctum Anselmum bibliothecarius, quibus ex corde gratiae hic referuntur.

Sic agentes caput adiungimus *Bibliographiae liturgicae* quam Weale et Bohatta, Londini 1928 ediderunt " ne tandem penitus perirent ".

SIGLA USITATA

A — FONTES

CA	Caeremoniale Apostolicum, seu SS Caeremoniarum SRE libri tres, Augustini Patricii. Venetiis 1516. Citatur editio cum commentariis Catalani, Romae 1750-1. 2 tomi in folio.
CE	Caeremoniale Episcoporum. Citatur 1° loco liber; 2° loco capitulum; 3° loco paragraphus.
MR	Missale Romanum.
RSM	Ritus servandus Missalis Romani.
PR	Pontificale Romanum
RR	Rituale Romanum
CIC	Codex Iuris Canonici (latinorum)
Fontes	Codicis Iuris Canonici Fontes. Vol. I ad VI cura Emi Petri Card. Gasparri edita, Romae 1923-32. Vol. VII et VIII cura Emi. Iustiniani Card. Seredi edita, Romae 1935-36 " cuius studio memorata quoque sex volumina prodierant ". Vol. IX : Tabellae ab eodem Cardinali editae, Romae 1939.
IA	Codicis Iuris Canonici interpretatio authentica seu Pontificia Commissio ad Codicem iuris canonici authentice interpretandum.
ASS	Acta Sanctae Sedis, Romae 1864-1908, 42 vol.
AAS	Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909 ss.
Benedictus XIV	Citatur editio Prati 1839-47 edita. 17 vol.
BulRom	Bullarii Romani continuatio a Clemente XIII ad Pium VIII, (1758-1830), Ed. Prati 1842-56. 10 vol. Continuatio bullarii et operum Benedicti XIV supra.
D vel DD	Decretum SRC. DD si plura. Citatur editio Leonis XIII, vol. 5 cum appendicibus 2. Romae 1898-1926.
ColDec	Collectio Decretorum ad sacram liturgiam spectantium ab anno 1927 ad annum 1946. 164 p. in-8°. *Edizioni Liturgiche*, Roma 1947.

DocPon — Documenta Pontificia ad instaurationem liturgicam spectantia 1903-1953. Collegit notisque ornavit A. Bugnini CM, *Edizioni liturgiche*, Romae 1953.

NC — Norme Ceremoniali per gli Eminentissimi Signori Cardinali, Sacra Congregazione Ceremoniale. 31 p. in-4°. Roma 1943.

IM — *Inter multiplices*, motu proprio sancti Pii X de protonotariis Apostolicis et praelatis Romanae Curiae. 21 feb. 1905, D. 4154; Fontes, vol. III, n. 665. D. 4309 interpretatio eiusdem.

DC — *Divini Cultus*, constitutio Pii XI de liturgia deque cantu Gregoriano et musica sacra cotidie magis provehendis. 20 dec. 1928. AAS, 1929. p. 33-41. DocPon, p. 60-66; ColDec, p. 15-20.

ID — *Ad incrementum decoris*, constitutio Pii XI de praelatis Romanae Curiae et eorum ordinibus. 15 aug. 1934. AAS, 1934, p. 497-521.

CV — Concilii Vaticani acta, decreta et documenta, edita a T. Granderath. Collectio Lacensis, in folio, tomus VII. Friburgi 1890.

B — CURIA ROMANA

RCA	Reverenda Camera Apostolica
SA	Signatura Apostolica
SC	Sacra Congregatio
SCC	Sacra Congregatio Caeremonialis
SC EpReg	Antiqua Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium
SCPF	Sacra Congregatio de Propaganda Fide
SCS	Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum
SO	Sacra Congregatio Sancti Officii
SRC	Sacra Rituum Congregatio
SRE	Sancta Romana Ecclesia
SRR	Sacra Romana Rota

C — AUCTORES

AEM — Acta Ecclesiae Mediolanensis. Editio Achillis Ratti (Pii P. XI) Acta a Sancto Carolo condita, tomi I et II Mediolani 1890-92.

APC — Annuaire Pontifical Catholique, Paris 1898-1948. Ab initio ad annum 1921 a Battandier Alberto editum (+ 25 Maii 1921).

BM — Barbier de Montault. Le Costume et les Usages Ecclésiastiques. Vide bibliographiam in fine operis.

DDC — Dictionnaire de Droit Canonique de Letouzey et Ané. Paris 1935 ss.

EL — Ephemerides Liturgicae, Romae ab anno 1887 ad 1956 editae.

EPR — Nabuco Joachim. Pontificalis Romani Expositio iuridico-practica. Petropoli, Brasilia, 1945. 3 vol.

Jaffé — Jaffé-Loewenfeld, Regesta Pontificum Romanorum ab anno 882 ad annum 1198, Lipsiae 1888.

Martène — De antiquis Ecclesiae Ritibus. Citatur editio Venetiis 1783 edita

MM — Martinucci. Manuale SS Caeremoniarum, editio Menghini. Romae 1911-15, 4 vol. Citantur volumen et pagina.

Moroni — Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica. Venezia 1840-61. 103 vol. cum indicibus.

MPL — Migne, Patrologia Latina

QL — Questions liturgiques et paroissiales. Louvain, Mont-César. Ab anno 1910 ad 1956.

RF — Rohault de Fleury. La Messe. Vide bibliographiam in fine operis.

NONNULLA SRC DECRETA GENERALIA

seu acta Sanctae Sedis quae frequentius citantur; sunt enim :

1. — Alexandri VII. De praelatorum inferiorum (lege ex ordine sacerdotali, privilegiis pontificalibus. 27 sep. 1659. D. 1131; *Fontes*, vol. VII, n. 5518.

2. — De canonicorum vestibus capitulariter tantum adhibendis. 4 iunii (et non iulii) 1817. D. 2579. *Fontes*, vol. VIII, n. 5832.

3. — Leonis XIII de throno alteri episcopo concedendo. 2 iunii 1899. D. 4023. *Fontes*, vol. VIII, n. 6295.

4. — De episcoporum privilegiis. CaeEp authentica interpretatio. 26 nov. 1919. D. 4355. AAS, 1920. p. 177-182.

5. — De usu pileoli ab episcopis. SC Consistorialis, 2 maii 1910. AAS, p. 330. A SRC editum D. 4284, III.

6. — De SRE cardinalibus decreta tria a SC Caeremoniali eodem die 23 maii 1902 edita fuerunt : primum ad omnes patres cardinales, inscriptum *Dignitatis eminentia;* alterum *Solemne semper*, datum rectoribus ecclesiarum Urbis; tertium praefecto Apostolicarum caeremoniarum datum. Decretum primum editum est in fine opusculi *Norme Ceremoniali;* in 1° appendice decretorum SRC, D. 4284, decreta I-II; in *Fontes*, vol. VIII, n. 6414, 3um tantum.

7. — Pii Pp. XII, g. r. motu proprio, *Valde solliciti*, de vestibus patrum cardinalium. 30 nov. 1952, AAS, 1952, p. 849.

8. — De loco ad caligas et sandalia sumenda et de habitu episcoporum et praelatorum. SRC, 4 dec. 1952, I et II. AAS, 1952, p. 887-888.

JUS PONTIFICALIUM

INTRODUCTIO

IN

CAEREMONIALE EPISCOPORUM

LIBER I — DE PERSONIS

TITULUS I

DE SUPREMA POTESTATE DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

CAPUT I

De Romano Pontifice

Romanus Pontifex, ob supremam suam in universali Ecclesia potestatem, amplissimis liturgicis fruitur privilegiis in omnibus Ecclesiis cuiusvis ritus, nec ulli homini licet quamcumque circa illa exceptionem seu exemptionem invocare. Imprimis Dominus Apostolicus :

1 — Praecedentia gaudet absoluta, etiam super concilio oecumenico.

2 — Nulli, etiam regali seu imperiali dignitate exornato, reverentiam facit.

3 — In excelso elevatur, seu in sella gestatoria, etiamsi portare debeat SSmum Sacramentum in solemni eiusdem processione (1).

4 — In signum supremae suae potestatis, cum in temporalibus tum in spiritualibus, a quavis humana auctoritate exemptae, cum triremio coronatur, eoque sacris vestibus indutus utitur.

5 — Summus Pontifex in sacro solemniter litando, praeter alios ritus speciales (2), ad solium papale sacram communionem recipit (3).

(1) Privilegium sedis excelsae gestatoriae exclusive Summo Pontifici reservatur, nec imperiali dignitate praeditis datur. Sedes gestatoria patriarchae Lisbonensis nunquam in altum portatur sed tantum ponitur in medio presbyterio quando patriarcha populum alloquitur.

(2) In solemni Missa papali epistola et evangelium cantantur primo in lingua latina, deinde in graeca, et ad introitum septem portantur candelabra ab acolythis, qui erant antiquitus septem candelabra altaris. Hic ritus etiam in missa solemni archiepiscopi Lugdunensis et Patriarchae Lisbonensis servatur. Ceteri ritus missae solemnis Papae sunt potius ritus solemniores et non papales, seu sunt ipsi ritus missae pontificalis episcopi, qui solemniori modo explanantur. Apostolici caeremoniarii duo ritum papalem exposuerunt ad usum caeremoniarum : Rinaldi-Bucci, *Caeremoniale Missae quae a Summo Pontifice ritu solemni celebratur*, Ratisbonae Pustet 1889, 56 paginae; J. B. Menghini : *Le solenni cerimonie della Messa pontificale celebrata dal Sommo Pontefice*, Romae 1904, 78 paginae. Ritum invenies in *Caeremoniali Romano seu Apostolico* Augustini Patricii. Ed. Catalani cum commentariis, Romae 1751, II, p. 55-91.

(3) Communio ad thronum privilegium papale est et quidem exclusivum et nunquam venit episcopis concessum : in Ecclesiis Mediolanensi, Lugdunensi, Lisbonensi, quae ritus proprios habent, communio episcopi fit ad altare. Rationes plures afferuntur : in ultima caena Christus ad Petrum accedit, eique corpus suum dedit in cibum; ceteri apostoli ad Christum accesserunt! Sed nec semper Papa ad thronum commu-

6 — Ubique terrarum et quoties missam pontificali ritu operatur sacro utitur pallio. EPR, I, n. 293.

7 — Papa gaudet speciali privilegio consecrandi episcopos sine coconsecratoribus, quo tamen privilegio non solet uti. EPR, I, n. 291 A (4-5).

8 — Tum clerus tum fideles ad osculum pedis Papae admittuntur, singularis reverentiae argumento; proinde super sandaliis eius, intra vel extra functiones liturgicas, crux prisco ex more apponitur, privativum Papae insigne (6-7).

nionem recipiebat. Quaestio haec singularis momenti erit alibi, data opera, explananda. Vide *Angelum Rocca, De sacra S. P. Communione ad thronum*, Romae 1610, in-8°, et opera omnia, Romae 1719, I, p. 9-32; Catalanus in CA, II, p. 78-85. Ait auctor " ignorantes caeremoniarii si de iisdem, imo etiam de aliis facilioribus, interrogentur, prompte respondent *sic voluere priores* ". P. 78.

(4) Privilegium liturgicum fortasse maximum Summorum Pontificum, quod post exsilium ad aquas Rhodanicas reliquerunt, erat consecrandi episcopos sine coconsecratoribus : legitur enim in canonum Breviatione Fulgentii Ferrandi diaconi Carthaginiensis saeculi VI " Ut unus episcopus episcopum non ordinet excepta ecclesia Romana ". MPL, 88, col. 818. Vide Duchesne, *Les origines du culte chrétien*, Paris 1920, p. 381; Grisar, *Storia di Roma*, ed. 1908, in-4°, p. 776. Et scripsit quidam romanus liturgista circa annum 925 " et benedicet eum Dominus apostolicus per semetipsum " (id est solus) " ... nam a ceteris episcopis benedici non potest minus quam a tribus ". British Museum MS. Addit 15222, fl. 15 r. Apud G. Ellard, *Ordination Anointings*, Cambridge 1933. *The Mediaeval Academy of America*. EPR, I, nota 121. Enimvero coconsecratores Supremo Pontifici non convenire docebant maiores nostri : tum de recepta consecratione Papae, tum de iure eius seligendi et consecrandi episcopos dubitare minime licet. Quoad ceteros episcopos expedit non solum consecrationis valorem omnimodo munire, verum etiam difficiliorem reddere, nam in episcoporum consecrationibus quodammodo firmatur Ecclesia Dei.

(5) Plurima exstabant privilegia Romanorum pontificum quae hac vel illa ratione obsoleta devenere. Sic in usu erat ut quoties Papa itinera arripiebat, ante eum Sanctissima Eucharistia portaretur solemni modo in tabernaculo portatili super equum album. Vide dissertationem hac de re Angeli Rocca, olim Apostolico Sacrario praepositi, Opera omnia, Romae 1719, I, p. 33-73.

(6) Christus D. N. solemnibus verbis suorum pedum deosculationem a sancta Maria Magdalena ratam habuit, et quum pro christianis *ubi Petrus ibi Christus*, facile intellegitur specialis significatio quam secum fert huius liturgici ritus renovatio. Expedit proinde ut ab omnibus servetur. In missa papali ante exsilium ad aquas Rhodanicas etiam diaconus cardinalis ante evangelii cantum pedes Pontificis semel et iterum osculabatur. Ad principes et reges quod attinet haec legis in libro qui solet vocari *Dictatum sancti Gregorii VII* " quod solius Papae pedes omnes principes deosculantur ". MPL, CXLVII, p. 407. Ritus enim erat singularis momenti quo ceteris fidelibus exemplum dabatur obedientiae et filialis reverentiae principum christianorum. Plures auctores de osculo pedum Papae scripserunt, recentissime tamen, data opera, egit Josephus a Persiceto OFM Cap. apud EL, anno 1915, p. 36 ss. Etiam separatim editum Romae 1916, 88 paginae, ubi invenies bibliographiam hac de re. Sed legenda est *Defensio ritus deosculationis pedis Romani Pontificis* a Du Saussay exarata *Panoplia episcopalis*, Appendix, p. 461 ad 504.

(7) In hodierno iure osculum pedum seu potius pedis dexteri Summi Pontificis praecipitur faciendum :

1 — A SRE Cardinalibus in trina veneratione quae fit electo pontifici in conclavi postquam electus summum pontificatum accepit.

9 — In sacro celebrando, praeter consuetas vestes sacerdotalis seu pontificalis ordinis, adhibet etiam duas, videlicet fanonem super humeros et subcinctorium, cum manipulo a latere dextero pendente. Praeterea solemnibus functionibus assistens, loco pluvialis, amplissimo utitur manto papali rubri vel albi coloris. Demum subter alba quoties se vestit in pontificalibus peramplam adhibet faldam.

10 — Extra sacras functiones, vel si eis assistit, super palliolum humerale adhibet semper stolam, tamquam insigne universalis suae iurisdictionis. EPR, I, nota 17, p. 33.

11 — Papa ipse solus celebrat ad aram maiorem Basilicarum Patriarchalium, ardentque cerei ornati, privilegium etiam papale. Aliquando tamen talem facultatem cardinalibus archipresbyteris earum tribuit singularis solemnitatis testimonium (8).

DE CONCILIO OECUMENICO

(Remissive)

2 — A Cardinali archipresbytero et a clero Basilicae Vaticanae quum Papa ad Missam solemnem incoronationis ingreditur.

3 — A SRE Cardinalibus, episcopis et abbatibus in Summi Pontificis incoronatione, postquam Pontifex in sede sua sedens sacrum pallium et mitram receperit, antequam incipiat introitum missae.

4 — A Cardinali archipresbytero et a clero Basilicae Lateranensis quum Papa ad eam accedit ut eius capiat possessionem.

5 — Item a clero ceterarum basilicarum apostolicarum quum Papa ad eas prima vice accedit.

6 — Ab episcopo electo et abbatibus in obedientia quae fit ante missam solemnem Papae.

7 — A subdiaconis, graeci scilicet et latini ritus, postquam cantaverint epistolam in missa solemni et simul ad thronum accesserint.

8 — A diacono graeci ritus antequam in Missa solemni evangelium cantet.

9 — A concionatoribus qui coram Summo Pontifice loquuntur intra vel extra sacras functiones.

10 — A noviter creatis cardinalibus :
a) In trina adoratione quae in publico consistorio fit antequam iterum ad thronum accedant ad galerum cardinalitium accipiendum.
b) In consistorio secreto quum titulum seu diaconiam et anulum a Summo Pontifice accipiunt.

11 — Ab episcopis qui ab ipso consecrantur :
a) In fine examinis.
b) Postquam ter decantaverint *ad multos annos*.

12 — A regibus seu principibus christianis :
a) In eorum consecratione a Summo Pontifice in initio functionis et secundo postquam coronam acceperint.
b) In eorum solemni receptione quando Urbem petunt, quod tamen in dies obsolevit.

13 — Ab episcopis, clericis et Christi fidelibus quum ad Urbem accedunt et Papam prima vice invisitant religionis seu peregrinationis gratia, quod tamen in dies obsolevit.

(8) Ex eo quod ad aram maiorum basilicarum Urbis Papa ad populum versus missam celebrat, concludunt nonnulli altare ad populum versum esse privilegium

Patriarchae, Primates, Metropolitae sive Episcopi, in concilio oecumenico congregati, nullo exinde speciali gaudent liturgico privilegio. In functionibus solemnibus, praesente vel absente Summo Pontifice, induunt pluviale sine tamen auriphrygiis et mitram albam lineam. Decreta concilii definientes, post Romanum Pontificem subscribunt.

Ad oecumenica concilia, iuxta monitum Codicis Iuris Canonici (can. 223, § 1, n. 2), etiam patriarchae et primates qua tales vocari debent. Vide p. 47 *D-Primates in conciliis oecumenicis*.

In congregationibus generalibus seu particularibus patres concilii adhibent vestes praelatitias non aliter ac in Urbe extra concilium adhibere solent. *Monitum Praefecti Caeremoniarum Concilii Vaticani*. ASS, V, p. 277. CV, col. 709.

Ordo in conciliis plenariis sive provincialibus servandus, congrua congruis referendo, etiam in oecumenicis observari debet. EPR, III, sect. II.

CAPUT II

De S. R. E. Cardinalibus

SRE Cardinales, Summi Pontificis electores et praelati maximi ecclesiastici, qui romanas congregationes componunt ad regimen Ecclesiae, peramplis fruuntur in toto orbe liturgicis seu pontificalibus privilegiis.

CIC (can. 239) privilegia Patrum Cardinalium in unum collegit, nulla quoad diversos ordines interposita differentia, quum in iure hodierno etiam cardinales ex ordine diaconorum sacerdotali charactere ornentur.

SRE Cardinales quoad liturgica seu pontificalia privilegia reguntur iure episcoporum residentialium, dempta limitatione territoriali, seu ubique extra Urbem in Ecclesiis Ritus Latini pontificalia exercere possunt ritu episcopi dioecesani.

Unde SRE Cardinales gaudent privilegio "fruendi honoribus locorum ordinariis tribui solitis quocumque se conferant" (can. 239,

papale. Sed perperam, nam in rubricis Missalis Romani praecipitur quid faciendum a celebrante si altare sit ad orientem, id est ad populum versum. Praeterea in multis Urbis ecclesiis altaria maiora sic aedificata sunt.

§ 1, n. 16), non excluso baculo (n. 13) et populum more episcoporum benedicendi (n. 12), etiamsi episcopali charactere careant.

In Urbe, vel extra Urbem si ibidem degat Summus Pontifex, SRE Cardinales populo more episcoporum benedicere possunt in ecclesiis, piis locis et fidelium consessibus (can. 239, § 1, n. 12), nam in Urbe Papa ipse solus publice benedicit.

Functiones ordinariae et per annum cardinalium qui episcopali charactere non sunt insigniti, aequiparantur illis qui eo ornantur, etiam quoad thronum, diaconos assistentes, mitram pretiosam, baculum, et crucem pectoralem. CIC, 239, § 1, n. 13.

Quoad functiones pontificales extraordinarias ab illis exercendas, confer EPR.

In Urbe patres cardinales throno cum baldachino uti possunt in suo quisque titulo seu diaconia solummodo. In ceteris Urbis ecclesiis thronus eis aliquando conceditur liberalitate Summi Pontificis, unicus qui nativo iure in Urbe thronum adhibere potest. CIC, 240, § 3.

Verba CIC (can. 239, § 1, n. 15) *cum throno et baldachino* ad normam iuris intellegi debent. Vide lib. II, *De Rebus*, p. 273.

Codex pianus antiquum Urbis usum confirmavit, videlicet diaconi cardinales in suis ecclesiis seu diaconiis missam pontificali ritu non celebrant sed cappa pontificali induti assistunt MM, IV, p. 517. NC, n. 61. Id evenit ex eo quod diaconi cardinales missam canere non poterant. Hodierno iure vero etiam diaconi cardinales sacerdotalem ordinem integrant et extra Urbem functiones pontificales agunt ritu episcopi loci ordinarii prout supra dictum est.

Cardinales ab obligatione petendi permissum loci ordinarii eximuntur et, si agatur de ecclesia cathedrali, ordinarium praemonere tantum debent. Sed, uti videre est, sic loquitur legislator quia ad homines prudentia et modestia praeditos verbum facit. In praxi patres cardinales ad ecclesiam cathedralem accedant si ab eius episcopo invitentur. Abstinebunt vero rectores ab invitandis cardinalibus extraneis, nisi prius audito suo ordinario, saltem obsequii et reverentiae causa.

¶ — Privilegia loci ordinarii vide p. 66. Septimum tamen candelabrum super altari privativum est loci ordinarii, nec proinde cardinalibus conceditur. D. 4355, III, 6a. MM, IV, p. 516. NC, n. 61.

SRE cardinales speciales vestes praelatitias adhibent rubri vel violacei coloris, et iure utuntur supellectili inaurata et auro in vestibus, prout in libro sequenti exponitur.

Cardinales ius habent ad amplum abacum cum vasis argenteis maioribus ad pompam (CE, lib. I, cap. XII, n. 20) et ad solemniorem lotionem manuum ad instar Summi Pontificis (CE, lib. I, cap. XI, n. 12)

SRE Cardinales in solemnibus functionibus a sua familia concomitantur, quae sic componitur :

1 — *Clericus a secretis* seu *Maestro di Camera* in pallio serico nigro amplo seu ferraiolo. NC, n. 76.

2 — *Gentiluomo* in veste nigri coloris cum lacerna seu parvo pallio, qui biretum cardinalis fert et lotioni manuum inservit. Formam vestium tradunt NC, n. 77b.

3 — *Caudatarius* cum veste violacea serica et *crocia* pariter violacea. NC, n. 78.

4 — *Camerarius (aiutante di camera)* seu *Decano di sala* in amplo pallio nigro, qui vestes cardinalis fert, idest pallium humerale sive capellum, seu alias vestes necessarias, NC, n. 79.

¶ — Si Cardinalis sit etiam metropolita, habebit pariter clericum cruciferum cum habitu violaceo et *crocea* sicuti utitur caudatarius.

Cardinalis Decanus gaudet privilegio ordinandi et consecrandi electum Pontificem... et tunc pallio utitur. CIC, 239, § 2.

Cardinalis Proto-diaconus, vice Romani Pontificis, pallia antistitibus tali privilegio fruentibus imponit (*Ibid.*, § 3) et ipsi Supremo Pontifici, cuius electionem populo notam facit, quemque cum triremio solemniter coronat. CA, I, p. 114.

Patres cardinales in choro veniunt immediate post Summum Pontificem, et praecedunt ipsos legatos apostolicos, qui ex ipsorum conlegio non sunt. CIC, 239, § 1, n. 21.

In Missis solemnibus et processionibus, sicubi interveniant, SRE Cardinales sacras vestes non assumunt, licet id faciant canonici vel episcopi in choro praesentes, sed habebunt cappam choralem et separatim sedent vel procedunt. Etenim Patres Cardinales praesidente tantum Summo Pontifice sacras accipiunt vestes. Vide EPR, III, notam 90, p. 152.

Suprema cardinalium dignitas id exigit ut ad liturgicis functionibus praesidendum non invitentur nisi prius constet sacros ritus ita persolvi posse ut eorum status nullum inde detrimentum patiatur. Ad talem obtinendum finem Concilium Sacris Caeremoniis praepositum sequentes edidit normas :

1 — Solemnitas sit singularis et non communis.

2 — Ambitus templi ad pontificalia peragenda par sit, praesertim in presbyterio.

3 — Maiores ministri sint in aliqua ecclesiastica dignitate constituti, minores vero saltem clerici, vel qui clericos optime supplere possint, seu qualitate commendabiles.

4 — Musices genus sit ab Ecclesia probatum nec in choro admittentur mulieres, etsi religiosae professae, ad cantum concomitandum. D. 4404.

Licet decreta SRC 4284 vel 4404 de servandis a SRE Cardinalibus in Urbe tantum agant, tamen tradunt normas, congrua congruis referendo, etiam extra Urbem servandas.

SRE Cardinales functionibus loci ordinarii seu apostolici in loco nuntii vel delegati non interveniant, ut ii liberius, praesertim functiones Pontificalis Romani, persolvere possint. CE, I, IV, 5. EPR, I, n. 29 *Praelatus superioris gradus*.

¶ — De iure assistendi ad thronum cardinalibus dato vide librum III *De functionibus pontificalibus in genere*.

SRE Cardinales speciale sequuntur caeremoniale :

1 — Quando creantur. Ordo servandus traditur a *Cerimoniale che deve tenersi da un nuovo eminentissimo nella sua promozione al Cardinalato*, Roma 1898, 33 p., in-8°, a Leone XIII approbatus; nova tamen editio desideratur (9-10).

(9) Solent summi pontifices, per traditionem bis saecularem, novis cardinalibus dare exemplar operis Hieronymi Plati s. j. *De Cardinalis dignitate et officio*. (Editio 1ma, Romae 1592. Editio 6a et ultima, Romae 1836.) Librum composuit cl. auctor occasione electionis fratris sui Flaminii ad cardinalatum a Gregorio XIV, die 6 martii 1591 factae. Paucissimae elucubrationes litterariae tam magni momenti devenerunt sicuti elucubratio haec, per saecula a Summis Pontificibus novensilibus cardinalibus tradita. In ea multa inveniuntur utilia etiam nostris diebus et lectu digna. Sic duo exstant capitula " Quid necessarium sit Cardinali ut ex animo extirpet desiderium Pontificatus " (cap. XXIX) et " Quomodo cardinales extirpare possint desiderium Pontificatus " (cap. XXX). Cl. auctor a secretis erat Claudii Aquaevivae, Societatis Jesu moderatoris, et, libro absoluto, obiit die 14 augusti 1591. Cardinalis Flaminius Plato seu Piatti vir erat summae virtutis. Moroni, 53, p. 313.

(10) Sed alii auctores de Cardinalatu, data opera, ante Platum scripserunt. Imprimis duo ejusdem saeculi XVI :

Paulus Cortesius Apostolicus protonotarius *De Cardinalatu libri tres ad Julium II, Senis 1510*. Editio unica. Opus revera curiosum : liber I ethicus et contemplativus; liber II oeconomicus; liber III politicus. Per latum agitat quaestiones de vita tum spirituali tum materiali cardinalium : comedere debent tantum semel in die ratione aetatis, aliaque multa. Primus qui effuso calamo de cardinalibus egit.

Hieronymus Albanus opus *De Cardinalatu* scripsit ad Paulum III Pontificem anno 1541. Ad quaestionem V *An cardinalis sit de iure divino*, concludit " ex iis igitur constare videtur cardinalatus substantiam de iure divino institutam fuisse ". Ad quaestionem VII *An cardinalatus dignitas maior sit episcopali*, concludit " cardinales

2 — Quando titulum presbyteralem seu diaconiam assumunt, vel "protectoratum" moralium personarum, ad quem nominantur per breve apostolicum, Ritum servandum tradit MM, IV, p. 508.

3 — In consistoriis seu capellis papalibus, scilicet *Caeremoniale Romanum seu Apostolicum.*

4 — In sepultura Romani Pontificis et in subsequenti Conclavi pro electione successoris et in novi Papae proclamatione seu in coronatione. *Caeremoniale electionis Romani Pontificis* publicavit Gregorius XV, anno 1622. Novissime rem totam in unum collegit S. Pius X, nonnullis additamentis seu mutationibus appositis, sua constitutione *Vacante Sede Apostolica,* data die Natali Domini anno 1904. Quae quidem apostolica constitutio, nonnullis factis mutationibus, iterum edidit Pius XII, anno 1945 in festo Immaculatae Conceptionis BMV *Vacantis Apostolicae Sedis.* AAS, 1946, p. 65.

5 — Normae a SRE Cardinalibus servandae quoad eorum vestes, sive familiam seu aulam nobilem habentur in libello *Norme Ceremoniali per gli Emi Signori Cardinali,* a Sacra Congregatione Caeremonialis edito, Romae 1943, 32 p., in-8°. Quod quidem libellum exclusive dari solet noviter electis cardinalibus ab Exmo Secretario Congregationis Caeremonialis.

SRE Cardinales in suis aedibus habere debent, meliore quo fieri possit modo dispositas, aulas tres pro receptionibus, scilicet :

1 — Camera ingressus, ubi stemmata cardinalis ponuntur sub parvo baldachino.

2 — Camera expectationis quae *Camera bireti* vocari solet, ex eo quod ibidem ex una parte biretum laneum cardinalis apponitur in lance.

3 — Camera maior throni seu receptionis ubi, sub parvo baldachino cum postergali, apponitur sedes cameralis super stratu unius tantum gradus, suo tapeto cooperto (11). In medio retro post sedem seu in digniore loco locabitur imago Summi Pontificis oleo depicta. NC, n. 71.

videntur digniores quia publica utilitas, cui ipsi operam navant, maior est privata, cui episcopi vocati in partem sollicitudinis tantum incumbunt".

Post istos non pauci auctores de cardinalibus scripserunt. Bibliographiam hac de re vide in DDC, tom. II verbum *Cardinal,* et apud expositores CIC, *De Personis,* passimque alibi. Recentissime fere eodem tempore de cardinalium origine scripserunt : Stephan Kuttner *Cardinalis — The History of a canonical Concept. Traditio,* New York 1945, p. 129 ad 214; Michel Andrieu, *L'origine du titre de Cardinal, Miscellanea Mercati,* Roma 1946, V, p. 113-144.

(11) *Norme Ceremoniali* (n. 70, c) aperte docent in aula throni apponi debere sedem camerariam super tapeto subtus umbraculum, et, quoties necessarium sit, additur

¶ — Descriptionem baldachini pro stemmatibus sive pro sede camerali, aliaque scitu necessaria habes in NC, art. VI *Dell' Appartamento cardinalizio.*

CAPUT III

De SRE Cardinalibus a latere legatis

SRE Cardinales amplissimo fruuntur privilegio personam Summi Pontificis gerendi tamquam *alter ego* Domini Apostolici. Nam licet fas sit Summo Pontifici suos cardinales huc vel illuc mittere, nulla proprie interposita legatione, ut suo nomine agant, tamen si ad legationem proprie mittantur, eo ipso *a latere* Pontificis exeunt tamquam legati nati.

Cardinales a Papa missi ad fungendum munere legatorum *a latere* Pontificis semper exire, opinio erat fere generalis. Sic Joannes Andreas Tria, auctor operis inediti *De Apostolicae Sedis legatis et nuntiis* docet cardinales legatos a latere pontificis exire, etiamsi verba *a latere* in ipsis litteris apostolicis minime legantur (12). Dominicus de Dominicis dicit " Cum Cardinales adhaereant Papae ut membra immediata et principalia capiti ... unde cardinales missi a Papa dicuntur missi a latere ejus ". *De dignitate episcopali,* p. 80 (13).

Legati a latere Papae summis honoribus recipiuntur a civili potestate veluti ipse Supremus Pastor.

Legati honoribus propriis frui incipiunt quum munus suum exercere incipiunt, id est, quum Urbem relinquunt, quousque iterum ad eam revertuntur. Nam cardinales legati a latere Pontificis exire debent,

gradus unus seu suppedaneum super quo sedes locatur. Uti videre est, non agitur de aedificando throno ad instar throni Ecclesiae cathedralis cum sede pontificali et tribus gradibus sicut hic et illic fit. Thronus cum amplo postergali super gradibus tribus extra ecclesias Summi Pontificis privilegium esto.

(12) Hac de re fusiore calamo agimus penes EL, 1938, p. 147-155 *De SRE Cardinalibus a latere legatis dissertatio.* Optimi consilii esset edere opus Ioannis Andreae Tria, Archiepiscopi titularis Tyrensis, *De Apostolicae Sedis legatis et nuntiis.* Opus suum ineditum reliquit auctor, tamen passim illud transcripsit in sua quarta editione libri Hieronymi Plati *De Cardinalis dignitate et officio,* Romae 1746. Vide Ed. 6ª, Romae 1836, p. 360, nota x, et p. 399, n. 50. Sed ubinam invenitur MS operis huius? Nescio, Deus scit! EPR, III, nota 51, p. 145. Vide Battandier, APC, 14, p. 115-124.

(13) Dominicus de Dominicis Venetus († 1478) liber scripsit *De dignitate episcopali,* sed in parte secunda *De dignitate cardinalium* agit data opera, et in parte tertia *De praeeminentia protonotariorum apostolicorum.* Opus editum est Romae anno 1757, fere trecentos annos post obitum auctoris. 440, 84 paginae, in-8°.

id est missionem suam incipiunt vel in publico consistorio, si in eo creantur (uti in more semper erat), vel quum ad eorum discessum ad Papam ad instructiones recipiendas admittuntur, suntque legati usquedum Romae revertantur.

Hisce nostris temporibus non raro legati creantur in ipsa natione ubi munus suum exercere debent, et a petenda Urbe a Papa excusantur. Hi legati eorum honoribus fruuntur a die quo ad locum vel civitatem legationis iter arripiunt.

Cardinales Legati a latere sequentibus fruuntur liturgicis privilegiis :

1 — Vestibus cardinalitiis rubri coloris utuntur toto anni tempore etiamsi sint ex ordinibus monasticis seu mendicantibus. NC, n. 39. Moroni, IV, p. 158 (14).

2 — Crux hastata ante eos portatur non aliter ac pro metropolita. NC, n. 39. EPR, III, nota 52, p. 146.

3 — Solemniter recipiuntur ad tramitem Pontificalis Romani. EPR, III, *Receptio Cardinalis a latere legati*, n. 180 ss, p. 279.

4 — Iure gaudent omnibus privilegiis episcopi residentialis ipsi soli. Unde tum metropolita tum loci ordinarius seu nuntius apostolicus palliolum humerale non assumunt, sedent in primis locis chori, et celebrant ad faldistorium et quidem absque pallio si eo die illud induere possint. EPR, I, nota 172, p. 374.

5 — Legatus extra Urbem gaudet praecedentia super ceteros cardinales praesentes, etiamsi ii sint antiquiores vel superioris gradus. NC, n. 39.

(14) Diximus cardinales legatos a latere uti debere rubris vestibus etiamsi sint de gremio ordinum monachorum et mendicantium. Nam revera usum vestium coccinearum seu purpurearum prius receperunt legati papales. Sic Cardinalis Pelagius, legatus Innocentii III ad unitatem Ecclesiae Constantinopolitanae cum Romana obtinendam, rubris vestibus usus est, et post illum sicut antea sic fecerunt legati apostolici, nam personam Papae gerunt et rubrus est color papalis. Bartolomeu Piazza, *L'Iride Sagra spiegata nei colori degli abiti ecclesiastici*, Roma 1682, p. 232. Filippo Bonanni, *La Gerarchia ecclesiastica*, Roma 1720, capo 104, p. 419.

Cardinalis Consalvi, a Pio VII Parisios missus ut rem concordatariam cum Napoleone firmaret, sine titulo legati Galliam petiit. Quum Parisios advenisset, a Napoleone quaesivit quomodo se praesentare deberet. Cui respondit Imperator *en cardinal autant que possible*. Sed cardinalis Consalvi usus est nigris vestibus, cum caligis, collario et bireto rubri coloris. Dicebat enim non licere cardinalibus non legatis extra Romanam Curiam purpuram adhibere in vestibus, et usus contrarius erat potius abusivus *col grande abito rosso si presentano i cardinali al solo Papa*. *Memorie*, Roma 1950, p. 303. Sic scripsit in initio saeculi XIX eminentissimus secretarius Status Pii VII. Quo tamen non obstante, seu contrarium iubente Napoleone, ad festivitates secundi matrimonii Imperatoris, cardinales praesentes vestes induerunt purpureas, Consalvi non excluso, quem tamen Napoleon ex aula exclusit. *Mémoires du Cardinal Consalvi*, Paris 1828, I, p. 349 et 457.

6 — Praeter suam familiam, cardinales legati a latere a sua nobili Curia concomitantur; videlicet a praelatis duobus, qui peramplo pallio laneo violaceo utuntur; a camerariis pariter duobus ab ense et lacerna, qui habitum ut aiunt hispanicum induunt (privativum eorum qui Summo Pontifici inserviunt), et a duobus officialibus seu equitibus nobilibus, quos omnes moderatur unus ex caeremoniariis apostolicis. Tamen numerus et gradus officialium Curiae pontificiae Legati a Summo Pontifice venit selectus et augeri potest vel minui. NC, n. 39.

Cardinales forte liturgicis functionibus praesentes coram legato sequentes servabunt regulas :

1 — Parentur sedes camerariae nobiles cum genuflexorio, sericis rubeis cooperto cum cussinis pariter rubeis, cum torulo aureo circumcirca super strato unius gradus rubeo tapeto cooperto a latere epistolae, ita ut legatus ceteros cardinales coram se habeat. Etenim thronus cum baldachino et tribus gradibus legato tantum dabitur. NC, n. 42 (15).

2 — Cardinalibus in choro sive in processionibus nulla dabitur canonicorum sive praelatorum assistentia, sed caeremoniarius unus ipsis inservit.

3 — Praesente legato, ceteri cardinales a benedicendo populo abstinebunt.

4 — In sacris solemnibus cardinales utentur cappa pontificali, licet episcopi in choro sint sacris vestibus parati, et incensantur duobus

(15) In dies frequentius convenire solent patres cardinales ad eucharisticos aliosve conventus, cum vel sine cardinali legato. Verum est cardinales omnes extra Urbem de iure frui privilegio throni cum baldachino. Sed ad mentem. Mens est ut thronus detur cardinali qui sacrae functioni praeest : missam vel vesperas celebrat, vel pontificali ritu missae assistit. Duo vel plures cardinales nequeunt simul missam solemnem celebrare vel iuxta Caeremoniale assistere in throno. Unde ceteri cardinales praesentes functioni interveniunt, non praesunt, et pro ipsis quoad reverentias, incensationem et pacem sequi debent regulas generales pro choro statutas. Quaestio sequenti modo poni potest, videlicet : Ubinam sedere debent SRE Cardinales qui extra Urbem sacris functionibus intersunt cappa cardinalitia induti?

Respondeo : Sedent " in digniori parte chori ". CE, I, 13, n. 8. In praxi melius est ut pro ipsis parentur sedes camerales rubri coloris super strato unius gradus cum genuflexorio eiusdem coloris in digniori parte chori et ab aliis praelatis segregatae. Generatim non solum difficile est sed evadit fere impossibile in nostris ecclesiis cathedralibus erigere thronum pro pluribus cardinalibus, sicut hodie convenire solent. Tamen in Eucharistico Conventu Londini celebrato anno 1908 in Ecclesia Metropolitana Westmonasteriensi perpulcher thronus unicus pro septem cardinalibus adstantibus aedificatus est non secus ac anno 1950 pro celebrationibus centenariis institutionis sacrae hierarchiae. Sed si praesens adest Cardinalis a latere legatus, ipsam personam Pontificis gerens, decet omnino ut ipsi reserventur honores, seu legatus solus sedet in throno excelso, salvo meliore iudicio.

ictibus a diacono Missae. In processionibus vero ibunt bini retro post pallium legati sine ulla assistentia, explicata cappa cum caudatario.

Episcopi in choro sacras vestes accipiunt ad missam solemnem legati una cum canonicis ecclesiae cathedralis, sed caput ornabunt mitra alba linea. EPR, III, nota 57, p. 147.

Ad aperiendos sermones oratores legatum tantum salutabunt. CE, lib. III, cap. XI, n. 5.

¶ — Ordinem servandum in Conventibus Eucharisticis si Legatus a latere praesens aderit invenies in EPR, III, p. 419.

CAPUT IV

De Nuntiis seu Legatis Romani Pontificis

Romano Pontifici ius est, a civili potestate independens, in quamlibet mundi partem legatos cum vel sine ecclesiastica iurisdictione mittendi. CIC, 265.

Legati alii sunt ordinarii, seu mittuntur cum legatione habituali et vocantur nuntii, internuntii, vel delegati apostolici; alii qui titulo extraordinario mittuntur ad munera specialia obeunda simpliciter vocantur legati. In hodierno usu Romano, tum legati ordinarii tum extraordinarii, semper titulo archiepiscopali ornantur.

Qui mittuntur cum missione diplomatica apud gubernia civilia vocantur nuntii vel internuntii, prout in loco suae legationis adest nunciatura (16) vel solum internunciatura, seu missio secundi gradus a gubernio ad gubernium.

Legati qui missionem diplomaticam apud gubernia civilia non exercent delegati apostolici vocantur.

(16) In initio saeculi quatuor exstabant nunciaturae primae classis, videlicet in Austria, in Gallia, in Hispania et in Portugallia; quatuor etiam secundae classis, videlicet in Bavaria, in Helvetia, in Belgio et in Brasilia. Et sex erant delegati apostolici. Nunc numerus tum nunciaturarum tum delegationum auctus est et plusquam quadraginta exstant nunciaturae seu internunciaturae et viginti tres delegationes. Nunciatura in Brasilia inter nunciaturas primae classis nunc adnumeratur et delegatus Americae Septentrionalis nuntiis primae classis aequiparatur. Nuntii primae classis utuntur sericis vestibus undulatis sicuti patriarchae, quod nunc nuntii omnes facere solent.

Pro re aliqua solemni, uti pro regum inthronizatione, Summus Pontifex pontificalem missionem mittit, cui semper praeest praelatus titulo archiepiscopali ornatus.

Si vero Summus Pontifex personaliter alicui functioni praesidere cupit, cardinalem unum mittit tamquam *suus alter ego* cum titulo legati a latere. Sed non raro Papa cardinalem huc vel illuc mittit ad functiones solemnes honestandas, seu ut rem aliquam suo nomine agat nulla propterea interposita legatione. Vide cap. III, *De SRE Cardinalibus a latere legatis*.

Nonnulli archiepiscopi residentiales erant antiquitus etiam legati apostolici illius regionis, seu titulus legati dabatur una cum titulo archiepiscopali. Hodiernis praelatis residentialibus qui etiam titulo *legati apostolici* ornantur, nullum exinde competit speciale ius. CIC, 270.

Legati cum titulo Nuntii vel Internuntii seu Delegati Apostolici, vel qui per modum actus renuntiantur, dummodo " charactere episcopali sint aucti, possunt, sine ordinariorum licentia, in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali, populo benedicere et officia divina, etiam in pontificalibus, adhibito quoquo throno et baldachino, peragere ". CIC, 269, § 3.

" Licet forte charactere episcopali careant, praecedent tamen omnibus ordinariis qui non sint cardinalitia dignitate insigniti ". *Ibid.*, § 2.

E citata Ecclesiae lege eruitur :

1 — Legati Sanctae Sedis, ratione eorum legationis, sunt praelati amplioris gradus, relate ad ceteros omnes praelatos qui ordinaria gaudent jurisdictione, etiamsi isti titulo primatis seu patriarchae ornentur.

2 — Quo tamen non obstante, " legati ordinariis locorum liberum suae iurisdictionis exercitium relinquant ". CIC, 269, § 1.

3 — Gaudent exinde liturgicis privilegiis episcoporum residentialium, quae infra, p. 66, habentur. Seu ad ecclesias accedunt, et in eis recipiuntur, et functiones solemnes sive pontificales agunt non aliter ac loci ordinarius.

Quoad cathedrales ecclesias observa :

A) *Si loci ordinarius inter SRE cardinales non adnumeratur :*

Legati apostolici eodem modo se gerunt, de licentia tamen loci ordinarii, qui nuntium seu delegatum apostolicum invitare ad

functiones pontificales peragendas in sua cathedrali potest, cauto tamen :

1 — Legatus non alio quam ipso throno episcopi, a latere evangelii seu in abside, utitur, et omnia facit prout de episcopo loci ordinario habetur (17).

2 — Episcopus sive metropolita ab interveniendo functioni abstinebit, ne adsit iurisdictionis vel praecedentiae dubium. Quod si interesse velit, id faciat cum palliolo humerali tantum et sedet in primo loco chori, vel si talis locus non habetur, sedet in sede camerali cum apposito genuflexorio, sine ulla assistentia nisi sui caeremoniarii, nec ei fiunt reverentiae, nisi quae choro sunt communes. Semper vero uti poterit cappa, caudam brachio ipso sustinente.

Quod si loci ordinarius sive metropolita missae solemni vel aliae functioni a legato celebratae in ceteris suae dioecesis ecclesiis, intervenire velit, eodem modo se gerat.

Quod si, e contra, legatus velit interesse functioni ab ordinario vel a metropolita celebratae ad thronum, sive in ecclesia cathedrali sive in aliis ecclesiis dioecesis, interveniat cum palliolo humerali sine cappa, eique praeparabitur sedes nobilis super tapeto cum unico gradu et genuflexorio, a latere epistolae. Nuntius habebit assistentiam unius caeremoniarii tantum, nec functioni quomodocumque se intromisceat. Loci ordinario a clero fit reverentia, loco genuflexionis, urbanitatis gratia.

¶ — 1. Quoad assistentiam nuntii apostolici functionibus extraordinariis Pontificalis Romani, confer EPR, I, n. 29; et CE, I, 4, § 5.

2. Fas est legato missae pontificali, seu aliis functionibus ordinarii interesse cum habitu piano, sed sedet in sede nobili extra presbyterium nec ullam habebit partem in functione.

B) *Si loci ordinarius cardinalitia dignitate fulgeat :*

1 — Absente vel praesente cardinali, legatus, nuntius seu delegatus apostolicus throno cardinalitio non utetur, iuxta receptum usum romanum quo cardinalis non nisi alteri cardinali thronum suum dat. D. 4023; NC, n. 63.

(17) Verba CIC "... in omnibus eorum ecclesiis, excepta cathedrali" intellegi debent relate ad verba quae praecedunt, videlicet de licentia ordinarii; quia si episcopus suum thronum aliis episcopis habitualiter dare nequit, nec legato apostolico. Secus adstaremus coram iurisdictionis et praecedentiae conflictu, quum thronus ecclesiae cathedralis sit sedes episcopi loci. Vide Menghini, *EL*, 1917, p. 713.

2 — Ad usum nuntii thronus alter ponetur a latere epistolae, ubi nuntius, absente cardinali, pontificales functiones celebrabit vel assistet, non aliter ac loci ordinarius, dempto septimo candelabro.

3 — Praesente cardinali nequit legatus seu nuntius pontificali ritu ad thronum missam celebrare vel assistere.

4 — Si nuntius vel delegatus apostolicus velit interesse missae solemni a cardinali celebratae, vel cum assistentia eius ad thronum, sedebit in sede nobili super strato unius gradus a latere epistolae, cum assistentia caeremoniarii tantum, nec ei fiunt reverentiae nisi quae choro sunt communes. Si placet utetur cappa, cuius extremitatem habebit super brachium plicatam.

Ex conventione Congressus Viennensis anni 1815, Legati et Nuntii Apostolici, ratione spiritualis et supremae auctoritatis Summi Pontificis, sunt semper decani nati corporis diplomatici seu legatorum diversarum nationum ubi deputantur. Quod si quandoque talis praerogativa non conceditur, Apostolici legati seu nuntii ad reges vel praesides non mittuntur (18-19). Internuntii vero, quum sint missi "a gubernio ad gubernium" praecedentia super legatos primae classis aliarum nationum *(ambassadeurs)* non gaudent. Quo tamen non obstante,

(18) Summi Pontificis legati locum semper obtinuerunt super ceteros legatos diversarum gentium et quidem nativo quodam iure, etenim potestas spiritualis Vicarii Christi ipsi semper praecedentiam dabat et proinde etiam ipsius legatis. Quaestio tamen primo post Gallicam Perturbationem gentium venit discussionibus aperta in Congressu Viennensi anno 1815 habito. Agebatur de concedendo primo gressu seu praecedentia Cardinali Ercoli Consalvi, Pii VII a secretis et in Congressu legato eminentissimo. Postquam res venerat discussa, sub firma oppositione legati Angliae Castlereagh, qui talem praecedentiam esse contra leges britannicas affirmabat, ultimo etiam iste, habilitate cardinalis Consalvi et Talleyrand vinctus, de necessitate concedendi praecedentiam apostolico nuntio suum gubernium informavit et certiorem fecit : ea lege ut in Anglia praecedentia acceptaretur non in principio seu in iure sed in facto. Exinde solebant legati Regis Angliae antequam legationes hic vel illic assumerent, pro forma tantum exceptionem facere contra receptum morem. Et quod quidem memoria dignum est retinendum, praecedentiam legati papalis proposuit ipse Talleyrand. Pius VII in consistorio secreto habito die quarto septembris anno 1815 suam mentem externavit, gratissimam erga legatos nationum qui ad altare Petri non se sistunt sed Summum Sacerdotem ita honestare voluere.

Ultimo quaestio soluta venit die 19 martii 1815, quando plenipotentiarii regimen praecedentiae subscripserunt edicentes "quoad praecedentiam nuntiorum Papae nihil esse immutandum". Quod quidem incorporatum est actibus novissimis Congressus, subsignatis die 9 iunii eiusdem anni, uti articulus IV, appendicis XVII.

Post Congressum Viennensem quaestio non venit amplius discussa et hodie usque praecedentia semper datur legatis apostolicis super ceteros antiquiores in loco. Id etiam explicat cur gubernium anglicum, quod suum legatum conservat apud Sanctam Sedem, nuntium apostolicum tamen non recipit ex eo quod ipsi praecedentiam dare noluit.

Quaestionem optime more suo exponit Iohannes Tracy Ellis, *Cardinal Consalvi and anglo-papal Relations*, Washington 1942, p. 37-39. Vide etiam litteras Cardinalis

semel et iterum vidimus talem praecedentiam etiam internuntiis concessam religionis seu urbanitatis gratia iis in locis ubi legati primae classis non mittuntur, sed tantum secundae *(ministres)*.

In Urbe vero nuntius apostolicus nullum speciale ius possidet et locum suum sumit cum ceteris archiepiscopis, iuxta suam ad sedem archiepiscopalem electionem, et ibit post secretarios seu assessores sacrarum congregationum. Vide notam 20.

¶ — Cum in iure hodierno vix aderit legatus qui nec titulo cardinalitio nec archiepiscopali ornetur, de legatis ex ordine sacerdotali non erit agendum. Quod si aliquando aderit nuntius seu legatus apostolicus ex ordine sacerdotali, protonotariorum privilegiis ornatus, gaudebit praecedentia etiam super loci ordinarium vel metropolitam. CIC, 269, § 2 non tamen uti poterit throno vel frui aliis privilegiis loci ordinarii.

Consalvi in libello *Il Congresso di Vienna del 1815 e la Precedenza dei Rappresentanti pontifici*, Tipografia Vaticana 1899, quas refert Tracy.

(19) Règlement sur le rang entre les Agents Diplomatiques, du 19 mars 1815. Congrès de Vienne — Annexe nº 17.

Pour prévenir les embarras qui se sont souvent présentés et qui pourraient naître encore des prétentions de préséance entre les différents agents diplomatiques, les plénipotentiaires des Puissances signataires du Traité de Paris sont convenus des articles qui suivent, et ils croient devoir inviter ceux des autres têtes couronnées à adopter le même règlement.

Article premier. — Les employés diplomatiques sont partagés en trois classes :

Celle des ambassadeurs, légats, ou nonces.

Celle des envoyés, ministres ou autres accrédités auprès des souverains.

Celle des chargés d'affaires, accrédités auprès des ministres chargés des affaires étrangères.

Article second. — Les ambassadeurs, légats ou nonces, ont seuls le caractère représentatif.

Article troisième. — Les envoyés diplomatiques en mission extraordinaire, n'ont, à ce titre, aucune supériorité de rang.

Article quatrième. — Les employés diplomatiques prendront rang entre eux dans chaque classe, d'après la date de la notification de leur arrivée.

Le présent règlement n'apportera aucune innovation relative aux représentants du Pape.

Article cinquième. — Il sera déterminé, dans chaque Etat, un mode uniforme pour la réception des employés diplomatiques de chaque classe.

Pius XI, die 8 iulii 1925, caeremoniale edidit servandum in legatorum receptione in Vaticano tum primae tum secundae classis et sic huic quinto articulo satisfecit. AAS, 1926, p. 350-363.

Article sixième. — Les liens de parenté ou d'alliance de famille entre les cours ne donnent aucun rang à leurs employés diplomatiques. Il en est de même des alliances politiques.

Article septième. — Dans les actes ou traités entre plusieurs Puissances qui admettent l'alternat, le sort décidera, entre les ministres, de l'ordre qui devra être suivi dans les signatures.

Le présent règlement est inséré au protocole des plénipotentiaires des huit Puissances signataires du Traité de Paris dans leur séance du 19 mars 1815.

CAPUT V

De Romani Pontificis Familiaribus sive de Praelatis Romanae Curiae

¶ — CIC de Praelatis Romanae Curiae dicit tantum : " Circa Romani Pontificis familiares, sive praelati titulo gaudeant, sive non, standum privilegio, regulis et traditionibus pontificiae Domus ". CIC, 328. Nonnulli ex ipsis partem magni momenti habent in Ecclesiae regimine et romanas Congregationes seu tribunalia componunt.

Privilegia, regulae et traditiones familiarium Romani Pontificis, qui praelati titulo ornantur, recentissime codificata fuerunt in duobus constitutionibus apostolicis, nimirum *Inter multiplices curas* (= IM) sancti Pii Papae X, diei XXI februarii anni 1905 (SRC D. 4154) motu proprio data, et *Ad incrementum decoris* (= ID) Pii Papae XI, diei 15 augusti anni 1934. AAS, 1934, p. 497-521.

Familiares Romani Pontificis illi dicuntur ecclesiastici vel laici viri qui quomodocumque cum familia vel domo pontificia conjunguntur, quique Domino Apostolico dant operam. In primis nominantur SRE Cardinales palatini, Datarius scilicet et a Secretis Status, de quibus hic non est agendum.

Familiares ecclesiastici in duos dividuntur ordines, praelatorum nimirum, et qui tali titulo non honestantur, nisi latiori quodam sensu.

Praelati alii collegium constituunt, alii ad personam nominantur. Alii diversis officiis seu congregationibus romanis dant operam, alii extra Urbem degunt. Ex praelatis, alii praelati tantum domestici sunt, alii vero, praeter domesticam praelaturam, etiam primi notarii apostolici nominantur vel ipsis aequiparantur, de quibus agendum per singula, servato ordine praecedentiae.

Art. I. — Collegium Assistentium Throno Papali

Nobilissimum Collegium Assistentium throno papali procedit immediate post Patres Cardinales et componitur praelatis qui episcopali charactere ornantur, sive titulo patriarchali, sive archiepiscopali seu episcopali fulgeant.

Ad hoc Collegium admittuntur archiepiscopi et episcopi, qui liberalitate Summi Pontificis eliguntur apostolicis litteris in forma brevi ad vitam concessis. Patriarchae vero de jure in Collegium

admittuntur, sicut etiam archiepiscopus Eleemosynarius Secretus Suae Sanctitatis et Episcopus Praefectus Sacrarii Apostolici.

Adscriptio huic Collegio secum fert dignitatem praelati domestici, si episcopus ea prius non fruebatur, et inscriptionem electi inter viros nobiles cum titulo comitis romani, eo quod throno papali assistere debet, sic enim legi solet in litteris nominationis " te nobilem dicimus atque creamus ".

Episcopi seu archiepiscopi duo huius Collegii funguntur munere capellanorum assistentium, cum superpelliceo super rocheto et cruce pectorali, quoties Summus Pontifex missam lectam cum solemnitate celebrat, vel sacramenta seu sacramentalia administrat.

Si vero functio papalis sit solemnis et diaconi cardinales Pontifici ministrent, duo episcopi assistentes cum cappa inserviunt cum libro et candela.

Collegialiter patriarchae ibunt iuxta receptam eorum praecedentiam (vide p. 40 ss.), archiepiscopi et episcopi vero servabunt ordinem ingressus in Collegio.

Extra Urbem, vel etiam in Urbe Summo Pontifice absente, Collegium Assistentium nullo speciali fruitur privilegio, et episcopi assistentes locum sumunt cum aliis episcopis in choro, nullo habito respectu ad nobilitatem eorum.

Cetera privilegia antiquitus episcopis assistentibus concessa a summis pontificibus Julio III, Gregorio XV et Benedicto XIV in jus commune transierunt. De praelatis assistentibus solio papali per latum agit Moroni (95, p. 164-181).

ART. II. — PRAELATI MAIORES EXTRA COLLEGIA

Praeter praelatos Romanae Curiae qui in collegia cooptantur, sequentes exstant praelati maiores :

A — Praelati a flocculis

Praelati camerales tres, videlicet :

Vice-camerarius SRE, qui locum tenebat Cardinalis Camerarii SRE, eratque Gubernator Urbis.

Auditor generalis Reverendae Camerae Apostolicae.

Thesaurarius generalis Reverendae Camerae Apostolicae.

Praelatus palatinus unus, videlicet Praefectus Palatii Apostolici.

Hi praelati quatuor, ex eo quod patriarcharum privilegio fruebantur apponendi videlicet flocculos violacei coloris duos ad caput equorum suorum *di fiocchetto* vocabantur.

Inde ab anno 1870, cum Sancta Sedes administrationem suorum Statuum amisit, praelati camerales vel honoris tantum causa nominantur inter archiepiscopos vel praelatos qui Romae commorantur, vel eorum officia simpliciter vacant, quousque novum eis tribuatur munus.

Apostolica Constitutio Pii XI de praelatis Romanae Curiae recentissime recognovit et confirmavit ius praecedentiae praelatorum maiorum a flocculis; de eorum liturgicis vel pontificalibus privilegiis tamen silet.

Sed etiam officium seu munus Praefecti Palatii Apostolici in hodierna civitate Vaticana eius gubernator exsequitur. Unde praelati vulgo *di fiocchetto,* saltem quoad eorum functiones, obsoleti devenerunt. Hodiernus tamen Praefectus cubiculi secreti Suae Sanctitatis uti praelatus palatinus a flocculis retinendus est iuxta declarationem apostolicam.

B — Assessores et secretarii Sacrarum Congregationum

Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum, prout praefectus est ipse Romanus Pontifex vel Pater Cardinalis, sunt praelati Maiores Romanae Curiae.

Sacrae Congregationes undecim in Codice iuris Canonici nominantur. Secretarius Sacrae Congregationis Reverendae Fabricae Sancti Petri iisdem gaudet privilegiis ac ceteri secretarii.

Secretariis SS. Congregationum aequiparantur quoad privilegia liturgica seu honoris qui sequuntur quatuor praelati maiores, videlicet :

1 — Praefectus cubiculi secreti Summi Pontificis.

2 — Secretarius Tribunalis Signaturae Apostolicae et Summi Pontificis auditor generalis.

3 — Decanus Sacrae Romanae Rotae.

4 — Substitutus Secretariae Status.

Assessores et secretarii duodecim Romanarum Congregationum, necnon praelati quatuor supra enumerati, sequentibus gaudent liturgicis seu honorificis privilegiis :

1 — Titulo *Excellentiae Reverendissimae* honestantur. SCC, 31-XII-30. AAS, 1931, p. 22. ID, n. XII.

2 — Gaudent ad personam et durante munere privilegiis et insignibus Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium, iis exceptis quae ad Collegium, quatenus Collegium, pertinent. Cessante munere, sunt ipso iure protonotarii ad instar participantium. ID, n. XVII.

Assessores et Secretarii Sacrarum Congregationum nonnunquam titulo archiepiscopali ornantur, consulto etenim, et tunc fruuntur privilegiis episcoporum titularium.

3 — Iuxta apostolicam constitutionem *Ad incrementum decoris* (n. XIX), praelati maiores sexdecim supra nominati gaudent praecedentia, etiam singuli, supra episcopos vel archiepiscopos, salvo iure metropolitae vel ordinarii loci in suo territorio.

Unde episcopi et archiepiscopi omnes, ipsique apostolici nuntii, quibus a Supremis Nationum praesidibus absoluta praecedentia conceditur, in Romana Curia ibunt post praelatos viginti superius nominatos sub litteris *A* et *B* (20).

4 — " Pro consistoriis et cappellis pontificiis *intimationem* accipiunt a Praefecto caeremoniarum apostolicarum et praefatis functionibus interesse debebunt ". ID, n. XVIII.

ART. III. — PROTONOTARII APOSTOLICI (21)

A — Collegium Protonotariorum Apostolicorum

Collegium Protonotariorum Apostolicorum septem complectitur praelatos qui *de numero participantium* dicuntur.

(20) Huiusmodi praecedentia praelatorum viginti super omnes archiepiscopos, tum intra tum extra Romanam Curiam, admirationem secum fert et quidem non spernendam, nec placet nuntiis apostolicis qui Romae visitationis causa degunt.

(21) Ad diversos protonotariorum ordines intelligendos nonnulla necessario praemittenda sunt.

Cum protonotarii collegii septem tantum adnumerabantur, Syxtus V eorum numerum ad duodecim ampliavit, sed postea ad septenarium numerum reverterunt, quem quidem numerum sanctus Pius X confirmavit. Sed nonnulli ex illis erant aetate provecti et eorum munera nequibant ab aliis exerceri. Propterea solebant Summi Pontifices ex praelatis Romanae Curiae eligere protonotarios extra collegium ad munera protonotariorum adimplenda vel tantum honoris causa. De his scripsit Pius VII " Cum vero praeter statos hosce protonotarios, qui de numero participantium vocati sunt, alios etiam, qui iisdem forsitan Adiutores adstarent, viros et laude virtutum et nobilitate generis et meritis in rem et sacram et publicam probatissimos in Urbe elegerint Romani Pontifices, eos etiam omnibus, quibus protonotariorum Collegium potitur privilegiis honoribusque insignibus, auctos decrevere ". Litterae *Cum innumeri*. D. 2583. Re quidem vera iam suo tempore docebat Hieronymus Faber (1672) protonotarios non participantes habere non nudum nomen sed dignitatem cum officio coniunctam : *participatio respicit emolumenta et non alterat substantiam officii. De protonotariis*, p. 26, 30. Sunt enim omnes notarii Papae, idemque de officio bene exsequendo praestant sacramentum. Protonotarii non participantes recentius a Pio IX *ad instar*

Pervetustum hoc Collegium praestantissimum locum in Romana Curia occupat. " Primos illos Ecclesiae notarios dicimus, qui maximorum actuum gestorumque Romanorum Pontificum, sive in Conciliis sive extra, irrefragabiles testes sunt constituti ". Pius XI, ID, *Prooemium*. Primi notarii apostolici amplissimis proinde ornantur liturgicis privilegiis prout sequitur :

1 — Sunt eo ipso praelati domestici et familiares Summi Pontificis et a locorum ordinariorum iurisdictione eximuntur.

2 — Vestibus praelatitiis utuntur prout in libro II, titulo I habetur.

3 — Gaudent extra Urbem iure pontificalium ad faldistorium, iuxta litteras apostolicas sancti Pii X *Inter multiplices*.

4 — Anulo gemmato semper uti possunt, etiam in missae privatae celebratione, sed cruce pectorali unica gemma adornata utuntur cum habito praelatitio tantum, quoties debent sacras vestes et mitram assumere, secus non.

5 — Privilegio gaudent oratorii privati et altaris portatilis : omnes autem fideles, qui ipsorum missae assistunt, praecepto de missa audienda satisfaciunt. Insuper kalendarium romanum ubique sequi possunt.

participantium vocati fuerunt (D. 3262), sed prout observat Suaresius privilegia seu iura data ad instar alterius revera dantur prout alteri data fuerunt. *De legibus*, l. 8, c. 15, n. 3. Pius IX tamen iura protonotariorum ad instar minuit, et sanctus Pius X iterum quoad plurima ea ampliavit, ita tamen ut magna nunc adsit differentia praesertim ex eo quod protonotarii rem pontificalem ad faldistorium agunt dum illi qui ad instar sunt ad scamnum se sistunt.

Sed maior differentia apparet in eo quod tempore Pii VII et serius protonotarii magna saltem ex parte eligebantur inter praelatos Romanae Curiae ubi domicilium habere debebant ratione etiam officii. Nunc protonotarii non participantes nominantur fere ubique per orbem, praesertim in maioribus ecclesiis metropolitanis. Antiquitus enim protonotarii extra Urbem nominati erant titulares seu honorarii eorumque iura non erant definita. Proinde nonnulli privilegia protonotariorum non participantium sibi arrogabant. Episcopi plurimi hac de re decisionem papalem volebant et Pius VII suis litteris *Cum innumeri*, datis idibus decembris anni 1818, decretum hac de re (D. 2583) a SRC datum adprobavit. Ita enim classis protonotariorum titularium redacta est ad id quod revera est : titulum honoris sine privilegio pontificalium et cum nigris vestibus. Tandem sanctus Pius X decretum Pii VII fere in omnibus approbavit et vicarios generales sive capitulares ad eorum fruendum privilegiis admisit.

Verum est Xystum V in suis litteris *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo*, diei sexti februarii anni 1586, amplissima dedisse privilegia pontificalium protonotariis de numero sine fere ulla restrictione et absque licentia loci ordinarii (vide IM, n. 5), dum saeculo haud elapso Alexander VII quam strictissimas edidit regulas servandas a praelatis inferioribus, abbatibus non exclusis, et nulla facta de protonotariis mentione. D. 1131 diei 27 septembris 1659. Optimo proinde consilio ductus egit sanctus Pius X, quum ad thronum papalem evectus, suam de quatuor ordinibus protonotariorum edidit constitutionem. Codex Pianus ultimo privilegiis protonotariorum de numero pluribus locorum ordinariis frui permisit.

6 — Locum sumunt immediate post episcopos : proinde gaudent praecedentia super capitula canonicorum, etiam in ecclesiis cathedralibus, et super abbates benedictos.

¶ — 1. Quoad ritum ab eis servandum in pontificalibus, vide lib. III, p. 323.

2. Quoad eorum privilegia quae liturgica non sunt, sed canonica potius, vide constitutiones *Inter multiplices* sancti Pii X et *Ad incrementum decoris* Pii XI (22).

B — Protonotarii supranumerarii

Huic protonotariorum ordini nemo tamquam privatus adscribitur, sed ii canonici qui sedent in capitulis quibus Sancta Sedes privilegia protonotariorum de numero concessit (23).

Protonotarii supra numerum :

1 — Titulo praelati domestici et familiaris Summi Pontificis non gaudent nisi per breve apostolicum inter tales praelatos fuerint adscripti.

2 — Vestibus praelatitiis utuntur non aliter ac protonotarii de numero.

3 — Extra Urbem sed in propria tantum dioecesi gaudent iure pontificalium ad faldistorium, iuxta litteras apostolicas sancti Pii X *Inter multiplices*, non aliter ac protonotarii de numero.

4 — Annulo gemmato uti possunt una cum cruce pectorali sine gemmis, sed cum habitu praelatitio tantum quoties sacras vestes et mitram assumere debent, nunquam tamen intra missam lectam. Vide lib. II, p. 196-202.

5 — Gaudent de iure privilegio oratorii privati domi rurique, ab ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis festis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V.,

(22) Petrus Piacenza in EL constitutionem sancti Pii X egregie commentatus est. Ibi invenies catalogum privilegiorum protonotariorum apostolicorum quae sex super viginti numerantur. EL, 1905, p. 524.

(23) Pius IX in sua constitutione *Apostolicae Sedis officium*, diei 29 augusti 1872 (D. 3262), de protonotariis apostolicis non participantibus egit. Sed iam prius cum suis litteris in forma brevis datis *Quamvis peculiares*, diei 9 februarii 1853, privilegia protonotariorum de numero ordinavit, sed litterae hae in collectione decretorum SRC non fuerunt editae. Nihil diminutum voluit Pius IX privilegiis capitulis patriarchalibus et metropolitanis concessis, de illis tacens. Sanctus Pius X longius ivit et in sua constitutione saepius citata *Inter multiplices curas* quatuor instituit protonotariorum classes inter quas unam novam, videlicet protonotarios supranumerarios, eorum privilegia definiens, non exclusis canonicis Patriarchalium Basilicarum Urbis. De hac nova protonotariorum classe agit Petrus Piacenza optime more suo in EL, 1905, p. 194-206.

SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius sacerdos, in propriam consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant. IM, n. 22.

6 — Protonotarii supranumerarii locum sumunt immediate post capitulum Ecclesiae cathedralis, seu post abbates benedictos si qui aderint. IM, n. 21.

Canonici trium Basilicarum Urbis, seu Lateranensis, Vaticanae et Liberianae, sunt protonotarii apostolici supranumerarii ad vitam cum privilegio celebrandi ad faldistorium ubique extra Urbem (24), dum canonici quarumdam ecclesiarum cathedralium extra Urbem id facere possunt durante munere et intra dioecesim in qua sunt canonici. Vide tit. II, cap. III *De Canonicorum capitulis pontificalibus privilegiis gaudentibus*, p. 73.

C — Protonotarii ad instar participantium

Protonotarii apostolici ad instar participantium ad vitam creantur clerici qui inter praelatos domesticos Papae adscribuntur et insuper tali titulo honestantur litteris apostolicis in forma brevi. Si tamen electus inter praelatos domesticos Summi Pontificis non adnumerabatur, eo ipso praelatus domesticus evehitur.

Protonotarii apostolici durante munere deveniunt, sed intra fines propriae dioeceseos, nec inter familiares seu praelatos Papae nominantur, canonici seu dignitates capitulorum cathedralium quibus talis dignitas conceditur liberalitate Summi Pontificis.

Protonotarii apostolici ad instar participantium :

1 — Vestibus praelatitiis utuntur non aliter ac protonotarii de numero.

2 — Gaudent iure pontificalium ad scamnum iuxta litteras apostolicas sancti Pii X *Inter multiplices*.

(24) In hodierno iure privilegia Capitulorum trium Basilicarum Patriarchalium Urbis aequiparantur, et canonicus unius Basilicae, si choro alterius Basilicae intersit, sedet cum canonicis quasi unus ex illis. Id tamen non fuit semper sic, nec omnia privilegia fuerunt eodem tempore concessa. Sic Paulus III, constitutione *Alias felicis* (5 iunii 1535), decretum Honorii III confirmans, canonicis Basilicae Lateranensis privilegia dedit apostolicorum notariorum; Sixtus IV, litteris *Licet ex debito* (26 martii 1479), idem fecit pro canonicis Basilicae Vaticanae; demum Innocentius X, litteris *Sacri Apostolatus* (7 octobris 1647), privilegia protonotariorum de numero ad canonicos Basilicae Liberianae extendit. Trombetta, p. 42.

3 — Anulo gemmato uti possunt una cum cruce pectorali prout supra de supranumerariis habetur, p. 24.

4 — Gaudent usu oratorii privati, non vero altaris portatilis, prout de supranumerariis habetur, p. 24. IM, n. 46.

5 — Quoad praecedentiam sequuntur regulas datas pro supranumerariis, p. 25. In capellis papalibus unum corpus efficiunt cum protonotariis de numero.

¶ — 1. Ritum ab illis servandum in pontificalibus sive in missis lectis cum solemnitate celebrandis habes in Caeremoniali.

2. Ritum creationis seu vestitionis novi protonotarii *ad instar participantium* habes in EPR, III, n. 285 (25).

D — Novus praelatorum ordo

In iure canonico postpiano, seu inde a promulgatione Codicis Iuris Canonici, novus exstat praelatorum ordo cum usu pontificalium. Ii antistites protonotarii apostolici de numero, vel supranumerarii vel ad instar non sunt, sed gaudent, durante munere, privilegiis

(25) Auctores varii de protonotariis, eorumque privilegiis, scripserunt :

1 — Dominicus de Dominicis, *De praeeminentia protonotariorum apostolicorum*, scripsit ante annum 1478. Vide p. 11, notam 13.

2 — Ioannes Baptista Sacchetto, *Privilegia Protonotariorum*, Lugduni 1667, 30 p. in-16. Privilegia tantum tradit.

3 — Hieronymus Faber Ravennis, *Tractatus de Protonotariis apostolicis*, Bononiae 1672, 157 p., in-8°. Protonotarios in duos dividit ordines, participantes seu ordinarios et non participantes sive extraordinarios. Opus a protonotariis legendum.

4 — Hieronymus Andreucci S. J., *Hierarchia ecclesiastica*, Romae 1766. De protonotariis e numero participantium agit per longum et latum in tomo I, p. 93 ad 164. Opus primo separatim edidit auctor, Romae 1742, in 4°.

5 — Aloysius Trombetta, *De iuribus et privilegiis praelatorum Romanae Curiae*, Serrenti 1906, in-8°.

6 — *Inter multiplices curas* egregie commentavit Petrus Piacenza, qui (uti fertur) in ipsa constitutione adlaboravit. EL, XIX, XX, XXI. Liceat hic votum emittere ut differentiae quae in fere omnibus rebus creantur inter diversos protonotariorum ordines, ab usu faldistorii ad colorem vittae crucis pectoralis, minuentur, nam confusionem gerunt et difficile memoriæ commendantur. Sic, protonotarius supranumerum utitur urceo cum pelvi in missa solemni non pontificali et in missa lecta praelatitia, dum protonotario ad instar res istae permittuntur in missa lecta prelatitia sed non in solemni. Si protonotarii omnes utuntur vitta rubini coloris in pileo cur non ad crucem pectoralem? praeterea privilegia pontificalium pro illis qui ad instar nominantur coarctantur nimis et sacrum pontificali ritu litare ad scamnum haud intellegitur cum ritus pontificalis sedem seu faldistorium tota traditione exigit.

pontificalibus protonotariorum apostolicorum de numero participantium, quae habes ad p. 23. Sunt enim :

1 — Secretarii seu assessores SS. Congregationum cum praelatis quatuor qui illis assimilantur. ID, n. XVII.

2 — Auditores Sacrae Romanae Rotae. ID, n. LXXIII.

3 — Vicarii et praefecti apostolici ex ordine sacerdotali in suo quisque territorio. CIC, 308.

4 — Administratores apostolici ex ordine sacerdotali dioecesibus sive praelaturis seu abbatiis nullius dioeceseos ad tempus dati in suo quisque territorio. CIC, 315, § 2, 2°.

Praelati infulati qui sub n. 1 et 2 recensentur sunt praelati domestici et familiares Summi Pontificis; qui vero veniunt sub n. 3 et 4 tali dignitate non fruuntur. Tum Codex Iuris tum apostolica constitutio *Ad incrementum decoris* nullam faciunt distinctionem inter sacerdotes cleri saecularis et regularis, et Sacra Congregatio Consistorialis (seu de Fide Propaganda) solet cunctis administratoribus et praefectis apostolicis easdem concedere facultates, etiam quoad usum pontificalium. Exinde nova certa facies iuris orta est, nempe praelatorum regularium ex ordine sacerdotali pontificalibus privilegiis fruentibus, quorum numerus augetur cum fere omnes praefecturae apostolicae regularibus dantur. Quod si sacerdos regularis ad altissimum munus secretarii cuiusvis Romanae Congregationis vel ad munus auditoris S. R. Rotae eligatur, eo ipso ad fruendum honoribus a Pio XI concessis in sua constitutione *Ad incrementum decoris* admittitur. Dicimus *facies nova* eo quod iuxta receptum morem romanum praelati regulares ad episcopatum vel ad cardinalatum tantum admittebantur. De praelatis istis in suo proprio titulo agitur.

E — Protonotarii titulares

Protonotarii titulares seu ad honores ii dicuntur sacerdotes qui aut ad personam ad talem dignitatem nominati fuerunt a nuntiis apostolicis vel a Collegio Protonotariorum; vel sunt dignitates capitulorum quibus talis dignitas conceditur, vel vicarii generales seu capitulares dioecesium seu praelaturarum nullius dioeceseos.

Protonotarii titulares sunt praelati extra Urbem, non tamen inter familiares Summi Pontificis seu praelatos domesticos adnumerantur (26).

(26) Protonotarii titulares nihil revera habent in communi cum protonotariis apostolicis nec proinde intellegitur cur ita vocentur cum sint potius praelati titulares extra Urbem, tamen ita eos vocavit Pius IX et postea sanctus Pius X. DD. 2583 et 4154.

Protonotarii titulares extra Urbem :

1 — Ius habent ad habitum praelatitium nigri coloris.

2 — Crucem et episcopum per reverentiam salutant loco genuflexionis et duobus ductibus thurificantur, more praelatorum proprio.

3 — In choro et in processionibus locum sumunt immediate post praelatos domesticos Summi Pontificis, cauto tamen quod protonotarii vicarii generales seu capitulares, penes quos est auctoritas seu iurisdictio, ipsa capitula cathedralium praecedunt.

4 — Palmatoria tantum iure utentur in functionibus solemnibus, vel in missa lecta cum solemnitate celebranda, dummodo sint habitu praelatitio induti.

Titulus protonotarii ad honores componitur cum titulo praelati domestici, uti quando vicarius generalis sit etiam praelatus domesticus. Si tamen protonotarius ad honores sit cubicularius Papae exinde uti nequit veste talari violacei coloris cum manteleto violaceo, sed induere debet habitum praelatitium ex integro nigri coloris.

ART. IV. — COLLEGIUM PRAELATORUM SACRAE ROMANAE ROTAE

Iudices Sanctae Sedis, seu auditores Tribunalis quod a pluribus saeculis *Sacra Romana Rota* nuncupatur, sunt praelati domestici suae Sanctitatis, cum iuribus et privilegiis protonotariorum de numero. Non tamen sunt protonotarii apostolici. ID, n. LXXI et LXXIII. Eorum numerus subest voluntati Papae, sed solent esse duodecim. ID, n. LX.

Munus auditoris Rotae componi nequit cum officio protonotarii de numero vel supranumerarii, unde auditores protonotarii talem dignitatem deponere debent. Titulus protonotarii ad instar tamen, ante electionem auditoris datus, conservatur. ID, n. LXXI.

Auditores SRR sunt subdiaconi apostolici et Missae solemni Papae inserviunt prout sequitur :

Decanus mitram seu tiaram usualem fert.

Secundus et tertius faldam Pontificis sustinent.

Quartus fungitur officio subdiaconi Missae.

Quintus manutergium affert.

Sextus sacrum pallium portat.

Novissimus fungitur officio cruciferi.

In Missa solemni incoronationis Papae vel in solemni possessione Ecclesiae Lateranensis subdiaconi apostolici omnes tunicam subdiaconalem induunt. ID, n. LXXVII.

Si Papa aliquem in episcopum consecrat, unus auditor mappulas consecrando imponit. ID, n. LXXVIII.

Cum antiquitus quaestiones rituales a SRR dirimebantur, tres antiquiores auditores sunt ipso facto officiales Sacrae Rituum Congregationis. ID, n. LXIX.

Auditores SRR, etiam singuli, ibunt immediate post Protonotarios Apostolicos participantes. ID, n. LXXXI.

Auditores SRR gaudent privilegio oratorii privati et altaris portatilis non aliter ac protonotarii apostolici de numero et kalendarium romanum ubique sequi possunt. ID, n. LXXIV.

ART. V. — COLLEGIUM PRAELATORUM REVERENDAE CAMERAE APOSTOLICAE

Collegium praelatorum Reverendae Camerae Apostolicae octo constat praelatis qui, vacante Apostolica Sede, speciales habent functiones.

Praelati RCA sunt praelati domestici Summi Pontificis et per breve apostolicum nominantur. Solent vocari *Clerici RCA* ad confusionem vitandam cum Praelatis Cameralibus eiusdem RCA, qui sunt praelati maiores a flocculis. Vide art. II, *A*.

Sede vacante praelati RCA adiuvare debent Cardinalem Camerarium SRE tum in recognitione cadaveris Papae defuncti, tum in bonis temporalibus Sanctae Sedis administrandis ad normam canonis 262 et constitutionis apostolicae *Ad incrementum decoris*, n. XCVII-CIV.

Sede Apostolica vacante praelati camerales utuntur habitu praelatitio nigri coloris cum rocheto plano.

Praeter usum palmatoriae praelatis domesticis concessae, praelati RCA iure utuntur canone et urceo cum pelvi quoties celebrant, dummodo sint habitu praelatitio induti. ID, n. CVII.

Praelati RCA tenentur functionibus papalibus solemnibus interesse, pro quibus intimantur a Praefecto caeremoniarum. ID, n. CIX.

In missa solemni Papae unus e clericis RCA gremiale sustinet. Praeterea inserviunt benedictionibus sacramentalium quae Summo Pontifici reservantur, uti Rosae Aureae, Agnorum Dei, ensis et pilei, et intersunt promulgationi universalis Iubilaei. ID, n. CX.

Praelati Reverendae Camerae Apostolicae locum sumunt post Auditores Sacrae Romanae Rotae.

Gaudent iure oratorii domestici et altaris portatilis non aliter ac protonotarii apostolici de numero. Insuper ubique sequi possunt kalendarium romanum. ID, n. CVIII (27).

ART. VI. — COLLEGIUM PRAELATORUM VOTANTIUM SIGNATURAE APOSTOLICAE

Collegium Praelatorum Votantium Signaturae Apostolicae constat novem sodalibus, e quibus septem sunt de numero, reliqui duo vero supranumerarii, ii duo tamen nec semper nominantur.

Praelati Collegii e Praelatis Referendariis eiusdem tribunalis eliguntur ad vitam, et sunt ipso facto praelati domestici Suae Sanctitatis. ID, n. CXXVII.

In functionibus papalibus munere acolythorum funguntur etiam in aula paramentorum. ID, n. CXXVII.

Praelatorum Votantium est consultores agere apud sacrum tribunal Signaturae Apostolicae. ID, n. CXXV.

Praelati votantes functionibus papalibus interesse debent, pro quibus intimantur a Praefecto Caeremoniarum et locum sumunt post praelatos RCA. ID, n. CXXVIII.

Gaudent privilegio oratorii privati, altaris portatilis et sequendi kalendarium Romanum non aliter ac protonotarii apostolici de numero. ID, n. CXXVII.

ART. VII. — PRAELATI REFERENDARII SIGNATURAE APOSTOLICAE

Praelati Referendarii verum et proprium collegium non constituunt sed tamquam consultores operam navant in Supremo Tribunali Cardinalium Apostolicae Signaturae. ID, n. CXXXIII. Eorum numerus subest voluntati Summi Pontificis, sed solet augeri eo quod praelati referendarii in suo munere conservantur quando ad alia licet altiora officia eliguntur. Sic in Annuario Pontificio pro anno 1948 quinque super viginti praelati referendarii numerantur, inter quos quatuor secretarii SS. Congregationum.

(27) Guglielmo Felici librum edidit cui titulus *La Reverenda Camera Apostolica, studio storico giuridico*, Roma 1940. De vetusta dignitate tam praeclarae institutionis per longum agit auctor et quidem laudabili quodam modo, eo praesertim consilio ut speciale munus R. C. A. iterum tandem aliquando veniat concessum. Enimvero in hodierna legislatione Sede plena vix exstat aliquid huic camerae commissum.

Praelati referendarii sunt eo ipso praelati domestici et familiares Summi Pontificis. ID, n. CXLII.

In functionibus papalibus hastas baldachini Summi Pontificis ferunt, ad qualem nobilissimam functionem intimantur a Decano Votantium Signaturae. ID, n. CXXVIII et CXLVI.

Gaudent insuper privilegio oratorii domestici et altaris portatilis non aliter ac protonotarii de numero. Insuper ubique sequi possunt kalendarium romanum. ID, n. CXLV.

ART. VIII. — COLLEGIUM MAGISTRORUM CAEREMONIARUM APOSTOLICARUM

Antistites qui apostolicas caeremonias moderantur collegium constituunt cui praeest Praefectus Caeremoniarum Apostolicarum. Non tamen inter collegia Romanae Praelaturae adnumeratur sed potius ratione officii constituitur.

Praefectus et caeremoniarius alter *participantes* nuncupantur et Sacram Personam Summi Pontificis zelantur. Qui sequuntur tres sunt *caeremoniarii de numero*. Ceteri quatuor vel ad summum septem *caeremoniarii supranumerarii* audiuntur.

Caeremoniarii participantes duo praelati domestici semper nominantur; insuper Praefectus inter protonotarios apostolicos inscribitur.

Caeremoniarii sunt cubicularii intimi Summi Pontificis et ad vitam nominantur per breve apostolicum.

Caeremoniarii omnes fruuntur usu superpellicei super rocheto in functionibus papalibus et cardinalitiis.

Caeremoniarii apostolici sunt consultores nati Sacrarum Congregationum pro ritibus tuendis vel de caeremoniali et huius consilii officiales.

Missiones pontificias vel legatos a latere semper comitantur.

In morte et sepultura Romani Pontificis, in conclavi pro electione novi Pontificis, vel in eius consecratione seu incoronatione, caeremoniarii partem magni momenti habent, et quousque novus pontifex clericos sui cubiculi eligat, eorum officio funguntur. Quae omnia explanantur in constitutione *Vacantis Apostolicae Sedis* Pii XII.

Insuper caeremoniarii apostolici sunt ex officio notarii pro actis et instrumentis (28).

Privilegia plurima et reditus caeremoniariis dederunt Pius IV (1563), Paulus V (1619), Clemens IX (1668), aliique Pontifices. Anno 1802 typographia Reverendae Camerae Apostolicae opusculum edidit *Privilegia Magistrorum Caeremoniarum SRE et Sedis Apostolicae.* Demum eorum privilegia et munera collegit Benedictus XV in decreto SCC diei 27 iunii 1917, non tamen in AAS edito.

ART. IX. — DE PRAELATIS DOMESTICIS SUMMI PONTIFICIS

Ecclesiastici viri qui ad mensam et domum Pontificis admittebantur illius familiares erant, et qui in gubernio sive spirituali sive temporali partem habebant inter praelatos pontificiae domus adscribebantur. Decursu temporis vero Summi Pontifices usum introduxerunt inter suos familiares et praelatos adnumerandi viros qui, speciali modo honestari debere censebant, sive in Urbe sive extra Urbem.

In hodierno iure praelati domestici Summi Pontificis seu Antistites Urbani nominantur per litteras apostolicas in forma brevi, quae sub annulo piscatoris a Secretaria brevium emittuntur, vel recentissime per schedam Secretariae status.

Domestica praelatura requiritur ut quis inter alumnos collegiorum praelatorum Romanae Curiae admittatur, vel Protonotarius Apostolicus creari possit. Agitur enim de ecclesiastica dignitate specialis momenti, quae electum pontificiae domui aggregat cum jure utendi habitu

(28) De hoc vetusto caeremoniarum conlegio, qui de Romana Ecclesia optime meruit, non unus sed plures scribendi essent libri, et quidem singularis momenti pro historia papali. Libri notarum conlegii, duobus auctoribus exceptis, dormiunt pacifice in archivo Praefecturae Apostolicarum caeremoniarum. Libros notarum Iohannis Burchardi († 1506) ab anno 1483 ad annum 1506 edidit Henricus Celani (Raccolta degli Storici Italiani, tomus XXXII, pars I, 2 vol., Città di Castello, 1907 ss). Editio absolutissima et notis illustrata. Sacerdos apostata Ioseph Turmel, volens praesertim scandalum promovere, edidit *Le Journal de Jean Burchard,* Paris 1932. Diarium Leonis X Paridis de Grassis ab anno 1513 ad annum 1521 edidit Marianus Armellini, Romae 1884; et diarium Expeditionum Iulii II edidit Ludovicus Frati, Bologna 1886. Nec omittere licet opus Gattici *Acta caeremonialia selecta SRE,* Romae 1753 in folio cum foliis tomi secundi : Incoeptum opus prohibuerunt maiores nostri ex eo quod functiones papales (natura sua publicas) publici iuris facere non convenire putabant.

Sacra Congregatio Caeremonialis amplissimum possidet archivum cuius catalogum edendum curavit Gregorius Palmieri OSB in *Bibliothèque des Analecta ecclesiastica,* Romae 1893, paginae 52. In votis est ut tandem aliquando id quod cum notis Burchardi fecit Celani facient alii pro ceteris notarum libris. De apostolicarum caeremoniarum magistris vide quae scripsit eruditus Moroni, 41, p. 163-181; Confer etiam Frezza, p. 39-58, qui in nota 31 citatur, et Filippo Bonanni, *La Gerarchia Ecclesiastica,* Roma 1720, capo 125, p. 486.

praelatitio et interveniendi cappellis papalibus, aliisque honoribus fruendi.

Nonnulla ecclesiastica officia vel beneficia per orbem dignitatem praelati domestici praeseferunt. Sic enim adnumerantur :

1 — Canonici Ecclesiae Metropolitanae Mediolanensis iuxta concessionem Leonis XIII. Opera, XIV, p. 183.

2 — Septem auditores Rotae Hispaniae, iuxta concessionem Pii XII litteris *Hispaniarum Nuntio,* art. VII. AAS, 1947, p. 155.

Alii ecclesiastici viri gaudent privilegiis praelatorum domesticorum durante munere et in propria dioecesi, seu sunt praelati domestici *ad instar,* innovatio quaedam iuris. Inter tales adnumerantur :

1 — Canonici Primatialis Ecclesiae Picensis iuxta concessionem Benedicti XV.

2 — Canonici Capituli Ecclesiae cathedralis Clavarensis iuxta concessionem Pii XI.

3 — Archipresbyter Capituli SS. Celsi et Iuliani in Urbe, iuxta concessionem Pii XII.

4 — Parochus-Abbas antiquae abbatiae de *Monastier* in Dioecesi Tarvisina adiecto privilegio presbyteri assistentis in Missa solemni, ex concessione Pii XII, *g. r.* AAS, 1947, p. 635.

Praelati domestici quae sequuntur gaudent privilegiis :

1 — Vestibus praelatitiis utuntur non aliter ac protonotarii apostolici, adhibito tamen colore violaceo in flocculis galeri seu bireti.

2 — Duplici ductu thurificantur, et ad crucem seu episcopum non genuflectunt sed profunde se inclinant.

3 — In choro seu processionibus locum sumunt post capitula collegiatim procedentia, licet sint tantum collegialia, sed ante canonicos singulariter sumptos.

4 — In functionibus solemnibus vel etiam in missa lecta cum solemnitate celebranda, si sint induti habitu praelatitio, usus candelae tantum eis conceditur.

5 — Ipsorum beneficia quum vacant summo Pontifici reservantur, ex eo quod super ipsis manus semel apposuit Papa cum expeditione brevis nominationis (29).

(29) Antiquissimum est iuris principium ut nempe res seu personae quas Papa ordinavit, sacravit, promovit vel quae Papae inserviunt ipsi deinceps reserventur quoad beneficia vel alia consulto quidem. *Regula tertia Cancellariae Apostolicae.*

6 — Gaudent titulo *Illmo et Revmo Monsignore*, non secus ac protonotarii de numero.

7 — In eorum stemmatibus pileolum praelatitium seu pontificale violacei coloris apponitur cum chordulis et flocculis sex utrimque pendentibus violacei pariter coloris. Color violaceus vero in rubinum mutabitur si praelatus domesticus inter protonotarios apostolicos recenseatur vel eorum fruatur privilegiis.

¶ — Quum praelati domestici extra Urbem degunt, laudabiliter episcopi in eorum vestitione servabunt normas seu formulam in EPR, III, n. 295 datas.

ART. X. — DE SUMMI PONTIFICIS CUBICULARIIS ET CAPELLANIS

Summus Pontifex, praeter suos praelatos domesticos, viros alios domesticos habet, sive inter clericos sive inter laicos selectos, qui de eius sanctissima persona curam habent, quique proinde familiae pontificiae adscribuntur.

Qui personae seu cubiculo Pontificis dant operam, sive clerici sint sive laici, cubicularii vocantur, qui vero sacris functionibus inserviunt capellani dicuntur.

A — Cubicularii laici

Cubicularii laici in tres dividuntur ordines, videlicet :

1 — Cubicularii secreti ab ense et lacerna participantes.

2 — Cubicularii secreti ab ense et lacerna

a — De numero seu decuriales quatuor.

b — Supranumerarii ceteri.

3 — Cubicularii ad honorem ab ense et lacerna

a — De numero seu decuriales quatuor.

b — Supranumerarii ceteri.

Cubicularii participantes maioribus funguntur muneribus civilibus Pontificiae Domus : Forerius Maior, Praefectus Stabuli, Praefectus tabellariorum, delatores Rosae Aureae, altiores gradus Nobilis Custodiae Summi Pontificis, Praeses Custodum Helvetiorum.

Cubicularii de numero secreti et ad honorem ad vitam eliguntur, supranumerarii vero ad usque mortem et sepulturam Pontificis qui illos elegerunt. Isti indigent proinde confirmatione modo electi Pontificis.

Quoad cetera vero cubicularii supranumerarii aequiparantur illis qui sunt de numero.

Cubicularii secreti vel ad honorem tribus utuntur vestibus, videlicet habitu hispanico, habitu quotidiano nigri coloris et eodem habitu cum tunica rubri coloris qui dicitur *di città*.

Praeterea super habitum hispanicum vel cum habitu civili *di formalità (frack)* catenam inauratam ponunt inde a Pio IX.

Insuper ad pectus utuntur insigni proprio iuxta gradum uniuscuiusque.

Tum habitu hispanico, tum quotidiano nigri coloris cubicularii utuntur quando Summo Pontifici seu legatis a latere inserviunt.

Extra Palatium Apostolicum et extra Urbem, si quandoque cubicularii habitum induere debent, induent tertium seu tunicam rubri coloris.

Si cubicularii Summi Pontificis cardinalibus vel episcopis inserviunt nequeunt ex inde uti insignibus vel vestibus propriis. *Instructio cubiculariorum, n. 30*. Tamen iuxta n. 15 et 16 eiusdem instructionis insigni ad pectus uti possunt cum habitu civili *(frack)* extra Palatium Apostolicum, dum usus catenae prohibetur sine speciali permissu Secretariae Status, n. 17.

¶ — Normae servandae a cubiculariis ab ense et lacerna secretis vel ad honorem cum eorum vestium descriptione editae fuerunt a SCC die 19 maii 1927 et ad unguem servari debent. AAS, 1927, p. 382-388. Exemplar earum solet dari novis cubiculariis ab exmo. Substituto Secretariae Status Suae Sanctitatis.

B — Cubicularii Ecclesiastici

Ecclesiastici viri qui sacrae Personae Summi Pontificis vel eius cubiculo inserviunt cubicularii secreti nominantur, alii vero ad honorem tantum eliguntur. En eorum ordines :

1 — Cubicularii secreti participantes.

2 — Cubicularii secreti supranumerarii.

3 — Cubicularii ad honorem.

4 — Cubicularii ad honorem sed extra Urbem.

In hodierno more cubicularii secreti participantes solent praeterea praelati domestici vel protonotarii apostolici renuntiari.

Cubicularii supranumerarii ad honorem, sive qui Romae degunt, sive qui extra Urbem per orbem eliguntur, praelati non sunt nisi latiore quodam sensu (30), et sequentibus tantum gaudent privilegiis :

1 — Iure utuntur habitu violaceo *di formalità* cum pallio talari vulgo *mantellone* pariter violaceo sine rocheto, et in functionibus papalibus adhibent *crociam* rubei coloris.

2 — Gaudent titulo *Revmo Monsignore.*

3 — In choro seu processionibus locum sumunt post praelatos domesticos seu protonotarios titulares.

4 — Simplici ductu thurificantur et per genuflexionem crucem et episcopum salutant, non secus ac ceteri clerici.

5 — Cubicularii supranumerarii funguntur munere ablegati quando, patribus cardinalibus modo creatis, qui Romae non degunt, biretum deferunt, et tunc *crociam* rubri coloris assumunt.

6 — Cubicularii supranumerarii duo, si desint qui de numero sunt, uti generatim accidit, flabella a lateribus pontificis gestant quoties in excelso solemniter portatur.

7 — Cubicularii seu capellani Summi Pontificis, non exclusis qui *de numero* audiunt, ad vitam regnantis Pontificis renuntiantur, et ab officio cessant expleto funere Papae; unde ab electo Pontifice confirmationem petere tenentur.

Concessione SSmi Dni Nostri Pii Papae XII canonici ecclesiae SS. Celsi et Iuliani in Urbe sunt cubicularii secreti supra numerum durante munere.

¶ — Cetera iura, privilegia et munera cubiculariorum Summi Pontificis, sive supranumerarii sint sive ad honorem, traduntur in instructionibus quae noviter electis cubiculariis ab Exmo Substituto Secretariae Status Suae Sanctitatis traduntur, et quae ad unguem servari debent (31). Iuxta regulas Cancellariae Apostolicae etiam eorum

(30) Proinde de ipsis tacent constitutiones apostolicae sancti Pii X *Inter multiplices* et Pii XI *Ad incrementum decoris*. Familiares isti nominantur a Cardinali a secretis Status ad vitam Pontificis. Proinde etiam genuflectunt cruci altaris et episcopo. Haec ultima differentia inter praelatos et cubicularios in functionibus papalibus locum non habet cum omnes praelati Papae et cruci genuflectunt (vel saltem genuflectebant). In choro extra Urbem praelati profunde se inclinant dum cubicularii genuflectunt!

(31) De cubiculariis tum laicis tum ecclesiasticis Summi Pontificis agit Filippo Frezza de San Felice, *Dei Camerieri secreti e d' onore del Sommo Pontefice memorie storiche*, Romae 1884, in-4°. De cubiculariis ecclesiasticis et de capellanis agit Aloysius Trombetta, *o. c.*, p. 115-144. Cf. praesertim Moroni : *Camerieri del Papa*, VII, p. 20 ad 49; *Cappellani comuni del Papa*, VIII, p. 100; *Capellani segreti del Papa*, *ibid.*, p. 104.

beneficia inamovibilia Papae reservantur eaque concedit Dataria apostolica.

C — *Capellani*

Ecclesiastici viri qui liturgicis functionibus Summi Pontificis inserviunt capellani secreti vel ad honorem sive communes nominantur. En eorum ordines :

1 — Capellani secreti de numero quatuor.

2 — Capellani secreti ad honorem.

3 — Capellani ad honorem extra Urbem.

4 — Capellani Communes qui collegium constituunt

a — Participantes sex.

b — Supranumerarii ceteri.

Capellani secreti, qui privato seu secreto oratorio Summi Pontificis dant operam, inde a Pio X quatuor adnumerantur. Missae privatae Papae inserviunt; generatim aliam missam in gratiarum actionem celebrant cui Ipse assistit; vel, si quandoque Papa celebrare nequit Missam, coram eo celebrant; praeterea Summum Pontificem adiuvant in Horarum recitatione vel in ceteris functionibus quae privatim in capella Papae fiunt.

Primus capellanus est etiam caudatarius Papae, et alter cruciferarius, extra tamen functiones pontificales in quibus inservit subdiaconus apostolicus. In Missa solemni Papae mitras pretiosas tres in initio processionis ad pompam portant. Praeterea eorum officium est lectionem facere ad prandium Papae et munera secretariorum agere.

Capellani secreti ad honorem substituere possunt capellanos secretos si quando isti absunt, eorumque iuribus et privilegiis fruuntur. Tot nominantur, tum in Urbe tum extra Urbem commorantes, quot Summus Pontifex voluerit.

Capellani ad honorem extra Urbem tot eliguntur quot Summus Pontifex maluerit. Extra Urbem iisdem gaudent privilegiis ac ceteri capellani secreti quum extra Urbem degunt. Quod si contigerit ibidem Summum Pontificem commorari, utrum possint necne suis uti privilegiis a Praefecto Cubiculi Papae pendet, qui eos invitare poterit ad supplendas vices capellanorum de numero.

Capellani communes participantes sex ad vitam eliguntur per breve apostolicum. Communes dicuntur ex eo quod sunt capellani

Sedis Apostolicae et non proprie Personae Papae. In publicis functionibus inserviunt tamquam acolythi et ceroferarii apostolici, praesertim quando Papa assistit, nam in missa solemni papali praelati Signaturae Apostolicae septem munere acolythorum funguntur.

Capellani communes supra numerum, non plus quam duodecim, ad vitam eliguntur per breve apostolicum et una cum participantibus collegium efformant; iisdemque gaudent iuribus et privilegiis ac capellani communes de numero.

In Missa solemni Papae capellani communes tres cum rubeis crociis, in capite processionis, portant tiaras papales tres, quae ad pompam sustinentur.

Capellani omnes iisdem gaudent iuribus et privilegiis ac cubicularii Suae Sanctitatis, seu, uti dici solet, sunt praelati *di mantellone*. Proinde tum capellani secreti tum ad honorem a munere cessant post obitum et sepulturam Pontificis qui eos elegit, indigentque confirmatione modo electi Pontificis.

ART. XI. — DE PRAECEDENTIA PRAELATORUM ROMANAE CURIAE

Sequens erit praecedentiae ordo inter praelatos Romanae Curiae :

1 — Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinales episcopi suburbicarii, vel titulum presbyteralem seu diaconiam habentes, iuxta ordinem creationis.

2 — Collegium episcoporum assistentium throno papali, iuxta eorum electionem ad Collegium, primo loco tamen patriarchae, deinde archiepiscopi, demum episcopi.

¶ — In Capellis papalibus episcopi seu archiepiscopi throno apostolico assistentes collegium constituunt, quod ipsis praelatis a Flocculis praecedit. Extra capellas papales episcopi seu archiepiscopi solio assistentes nulla exinde praecedentia gaudent, et ibunt cum ceteris episcopis seu archiepiscopis iuxta ordinem promotionis.

3 — Praelati quatuor a Flocculis.

4 — Assessores et secretarii Romanarum Congregationum, servato ordine vigente inter Sacras Congregationes.

5 — Praelati quinque qui assessoribus seu secretariis aequiparantur.

6 — Archiepiscopi seu episcopi, consecrati vel tantum electi, servato ordine promotionis ad episcopatum.

7 — Collegium Protonotariorum de numero participantium.

¶ — In functionibus liturgicis, si praesentes adsint protonotarii de numero, ceteri protonotarii, supranumerarii videlicet et ad instar, se illis adiungunt et una cum illis sedent et procedunt " tunc enim quasi unum corpus cum ipsis censentur ". IM, n. 57.

8 — Abbates generales, seu Generales ordinum religiosorum.

9 — Collegium Auditorum Sacrae Romanae Rotae.

10 — Collegium Clericorum Reverendae Camerae Apostolicae.

11 — Collegium Praelatorum Votantium Signaturae Apostolicae una cum Praelatis Referendariis eiusdem Collegii.

¶ Confer caput *De synodalium praecedentia*, EPR, III, p. 42-44.

CAPUT VI

De Patriarchis, Primatibus et Metropolitis

ART. I. — DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS

" Patriarchae aut primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae..., nullam secum fert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet ". CIC, 271.

Unde in hodierno iure liturgico patriarchae et primates gaudent praecedentia super archiepiscopos, nec amplius habent iurisdictionem in territorio patriarchatus sive nationis.

In Urbe patriarchae latini utuntur manteleto cum palliolo humerali, more patrum cardinalium et quidem e panno serico violaceo undulato, pontificio solio assistunt, et locum sumunt ante archiepiscopos Conlegii Assistentium. Vide notam 81 *De vestibus*, p. 138.

Insuper caput suorum equorum solebat flocculis violaceis utrimque stipari.

Primates nuncupantur archiepiscopi metropolitani quorum sedes, ratione antiquitatis, sunt sedes primariae illius regionis seu nationis. Titulus primatis dari debet a Sancta Sede, vel saltem confirmari, si ab immemorabili tempore sedes sic vocetur.

A iure nullum privilegium liturgicum primatibus conceditur, excepta praecedentia, seu extra suam provinciam primas praecedit ceteros archiepiscopos, non tamen loci ordinarium vel metropolitam sive legatum apostolicum. CIC, 280 et 347.

Unde, nisi contrarium expresse eis concessum fuerit a Sancta Sede, Primates extra propriam provinciam ius non habent ad thronum, sive ad cappam pontificalem, nec proinde uti possunt pallio archiepiscopali, nec ante se crucem deferre.

Nonnulli primates etiam titulo legati nati Sanctae Sedis fruuntur : reliquiae antiquae eorum iurisdictionis. Ad rem Thomassinus : " On sait que les primaties n'étaient dans l'Occident que comme des légations perpétuelles, ou des vicariats du Saint-Siège ". *Ancienne et nouvelle discipline de l'Eglise*, I, p. 185.

A — Patriarchae ritus latini

Hodie novem exstant patriarchae Ritus latini. Praecedunt quinque e quinque principalioribus sedibus christianae antiquitatis, iuxta Sedis dignitatem, videlicet :

1 — Romanus seu *Occidentis*, totius Ecclesiae Pontifex Maximus et Christi in terris Vicarius.

2 — *Constantinopolitanus*. Concilium Oecumenicum Lateranense IV, anno 1215 habitum, huic Ecclesiae primatialem praecedentiam honoris concessit. Titularis nunc Romae commoratur, cum vicario patriarchali Constantinopoli.

3 — *Alexandrinus*, qui tamen Romae commoratur.

4 — *Antiochenus*, qui etiam Romae commoratur.

5 — *Hierosolymitanus*, iterum vertentibus saeculis, a Pio IX litteris *Nulla celebrior*, diei 23 iulii 1847, territorialem iurisdictionem super regiones Palestinae, Transiordaniae et Cypri recepit, adiecto honore residentiae in suo patriarchatu.

Quatuor patriarchae latini inferius nominati sedent post patriarchas supra enumeratos et una cum patriarchis orientalibus, secundum propriam electionem, nulla habita ratione ritus vel antiquitatis sedis :

6 — *Venetiarum*. Perillustris Patriarchatus de Aquileia a Nicolao V Litteris *Regis aeterni* datis die 8 octobris 1451, Venetias venit translatus. Eius titularis nunc semper SRE cardinalis creatur, sed amplissimis liturgicis privilegiis quibus patriarcha Aquileiae fruebatur non amplius utitur. Vide notam 34.

7 — *Lisbonensis*, creatus a Clemente XI litteris *In supremo apostolatus* die 7 novembris 1716 datis. De eo speciali modo agitur in appendice huius capituli.

8 — *Indiarum Occidentalium*, 1520 vel circiter a Leone X creatus, honoris tantum titulus est, eiusque titularis est capellanus maior militiae Hispaniae. Post deambulationes diversas, hodiernus titularis est episcopus Matritensis, eiusque sedes in Regio Palatio illius civitatis locatur. Haud tamen intelligitur concessio tituli Patriarchae Indiarum Occidentalium praelato in Hispania commoranti et tituli Primatis Indiarum Occidentalium alii praelato, sed sic voluere Hispaniae Reges. Vide relationem horum patriarcharum a Battandier exaratam, iuxta Moroni et Eubel, apud APC, 1918, p. 168-170, inde ab Antonio Rojas da Poza, electo in Patriarcham die 11 maii 1524, et n. 21 infra in notam 31 A.

9 — *Indiarum Orientalium* est Archiepiscopus Primas Goanus et Damanensis seu Orientis et ita litteras subscribunt antistites inde a saeculo XVII. Titulum Patriarchae sed ad honorem tantum confirmavit Leo XIII vi art. secundi concordati cum Rege Ludovico facti die 23 iunii 1886.

Patriarcha gaudet privilegio praesidendi concilia provincialia Indiarum Orientalium. *Raccolta di concordati tra la Santa Sede e le Autorità civili*, Roma, 1919, p. 1030. Tamen Plenario Concilio Indiarum Orientalium anni 1949 praefuit Cardinalis a latere legatus Normannus Thomas Gilroy Archiepiscopus Sydneyensis.

B — Patriarchae rituum orientalium

Patriarchae Rituum orientalium sex enumerantur, quique omnes territorialem sive personalem habent iurisdictionem, propterea sacro pallio latino ornantur. Locum sumunt post patriarcham Hierosolymitanum una cum patriarchis latinis iuxta eorum electionem, sunt enim alphabetico ordine :

1 — *Alexandriae Coptorum* a Leone XIII instauratus die 19 iunii 1899. Titularis Le Caire in Aegypto commoratur.

2 — *Antiochiae Maronitarum* qui in Libano commoratur. Patriarchatus secunda medietate saeculi VIII ortus est et uti talis confirmatus ab Alexandro IV anno 1254.

3 — *Antiochiae Melchitarum* qui Damasci sive *Le Caire* in Aegypto commoratur. Patriarchatum iterum confirmavit Benedictus XIV anno 1746. Hodiernus Patriarcha Maximos IV fruitur titulo personali Patriarchae Alexandrini et Hierosolymitani Melchitarum.

4 — *Antiochiae Syrorum* qui in civitate Beyrouth commoratur. Patriarchatus iterum confirmatus est anno 1783 una cum hierarchiae constitutione.

5 — *Babylonensis Chaldaeorum* qui in Bagdad sive Mossoul commoratur. Patriarchatum iterum erexit Innocentius XI anno 1681.

6 — *Ciliciae Armenorum*. Patriarchatum confirmavit Benedictus XIV anno 1742. Eius titularis in Bzommar prope Beirut commoratur.

Hodierni Patriarchae orientales duo, Antiochiae Syrorum et Ciliciae Armenorum videlicet, praeter patriarchalem dignitatem etiam intra SRE patres cardinales adnumerantur.

Hi patriarchae in sacris functionibus, veluti praelati latini, sacras accipiunt vestes et locum sumunt iuxta eorum praecedentiam uti supra notatum est.

Patriarchae orientales, postquam iusiurandum fidelitatis et obedientiae erga Sanctam Sedem emiserint, sequentibus fruuntur liturgicis privilegiis :

1 — Postulandi Sacrum Pallium a Summo Pontifice; eo tamen non utuntur nisi cum illud recipiunt, et post eorum mortem quando cum ipso sepeliuntur. Iuxta declarationem SCPF patriarchae orientales quoad usum sacri pallii sequi debent regulas pro praelatis latinis datas. Proinde ante eius receptionem nequeunt ponere actus qui receptionem sacri pallii requirunt. Cf. EPR, I, sect. IV, et nota 162, p. 373. *Collectanea SCPF*, I, p. 492, n. 863.

2 — Consecrandi omnes episcopos sui patriarchatus post eorum confirmationem a Sancta Sede.

3 — Consecrandi Sanctum Chrisma pro toto suo patriarchatu.

4 — Convocandi concilia seu synodos patriarchatus.

¶ — Quoad cetera iura seu privilegia patriarcharum orientalium consule ius canonicum orientalium et (in futuro proximo) *codicem iuris canonici orientalium*.

C — De primatibus

Qui sequuntur archiepiscopi metropolitani in hodierno iure titulo primatis fruuntur, videlicet :

In Europa :

1 — *Archiepiscopus Romanus et Pontifex Summus* est etiam Primas Italiae.

2 — *Archiepiscopus Antibarensis*, Primas Serviae (Slavoniae et Dalmatiae) et legatus natus Sanctae Sedis. Titulum primatis recognovit et confirmavit Sancta Sedes decreto Sacrae Congregationis Consistorialis diei 7 martii 1902. Iam pridem Leo XIII sedem Scodrensem in Albania, quae Antibarensi unita venit, ab ea separavit die 8 octobris 1886 decreto eiusdem Sacrae Congregationis. APC, 1903, p. 346.

3 — *Archiepiscopus Armacanus* totius Hiberniae Primas, a constante traditione confirmatus et a Vaticana Synodo recognitus.

4 — *Archiepiscopus Bracharensis* Hispaniarum Primas, seu potius Portugalliae; ad titulum quem a maioribus accepit conservandum, strenue pugnavit venerabilis Dei servus Bartholomaeus a Martyribus, tum in Concilio Tridentino, tum post Concilium. Ob concessionem tituli Patriarchae Archiepiscopo Lisbonensi pro tempore, a Clemente XI facta, titulus primatis Bracharensis quodammodo nubilatus manet, sed in Vaticano Concilio recognitus est. Ecclesia etenim Bracharensis " quae prima metropolitanarum ecclesiarum a Mahumedanorum tyrannide liberata fuit " Hispaniarum Primas dicitur et est. Thomassin, *Ancienne et nouvelle discipline*, I, p. 207.

5 — *Archiepiscopus Gnesnensis* et *Posnaniensis* est Primas Poloniae (antiquae Poloniae Germanicae) iuxta litteras apostolicas in forma brevi Pii VII, datas die 6 octobris 1818. Primas est etiam legatus natus Sanctae Sedis.

6 — *Archiepiscopus Lugdunensis* est Galliarum Primas, inde a concessione sancti Gregorii Papae VII diei 20 aprilis 1079. Attamen Pius VII in litteris sub plumbo *Qui Christi Domini*, datis tertio kalendas ianuarii 1801, de titulo primatiali tacet (Bullarium Pii VII, pars I, p. 215, Editio Prati) sicut etiam in litteris *Commissa divinitus*, datis sexto kalendas augusti anni 1817. *Ibid.*, pars II, p. 1517. Vide APC, 1918, p. 465.

7 — *Archiepiscopus Mechliniensis* est primas Belgii inde a concessione Pauli IV diei 14 maii 1560. APC, 1916, p. 252.

8 — *Archiepiscopus Pisanus* est Primas insularum Corsicae et Sardiniae. Attamen nomen eius inter Primates Vaticanae Synodi non constat, quia locum obtinuit cum SRE Cardinalibus.

9 — *Archiepiscopus Salisburgensis* est Primas Germaniae et legatus natus Sanctae Sedis.

10 — *Archiepiscopus Strigoniensis* fruitur titulo Principis Primatis Hungariae et etiam, ex speciali concessione, iurisdictionem exercet in tota Hungaria, unicus forsan Primatus latinus de facto et de iure.

¶ — Ecclesia Metropolitana Agraensis, iam pridem Ecclesiae Primatiali Strigoniensi unita, nunc est sui iuris.

11 — *Archiepiscopus Toletanus* est etiam Hispaniarum Primas, inde a concessione Papae Urbani II anno 1088 data.

12 — *Archiepiscopus Varsaviensis* est Primas Poloniae, videlicet antiqui Regni Poloniae Russicae. In Vaticana Synodo tamen cum archiepiscopis sedit. Hodiernus Archiepiscopus Gnesnensis, Stephanus Wyzynski est etiam, per unionem ad personam, archiepiscopus Varsaviensis et proinde totius Poloniae Primas.

In Concilio Vaticano locum inter primates habuerunt archiepiscopus Tarraconensis, tamquam Hispaniae Primas, et archiepiscopus Salernitanus veluti Primas antiqui Regni Neapolitani seu utriusque Siciliae. Sed cum Regnum hoc non amplius viget, hodiernus archiepiscopus Salernitanus tali titulo non utitur. Praeterea Summus Pontifex est Primas totius Italiae.

Titulus Primatis Hispaniarum est penes Archiepiscopum Toletanum. Eius nomen inter Primates Concilii Vaticani non legitur quia Archiepiscopus Cyrillus de Alameda y Brea cardinalitia dignitate fulgebat, propterea inter patres cardinales locum sumpsit. Quod adsint primates duo contradictio est. Observare praeterea expedit in Concordatis a Pio IX cum Regina Elizabeth (Isabel) II Hispaniae firmatis, die 16 martii 1851, nec Ecclesiae Toletanae nec Ecclesiae Tarraconensi titulum primatialem datum fuisse. *Raccolta di Concordati*, p. 770 ss.

Archiepiscopus Senonensis solet vocari Primas Galliae et Germaniae inde a concessione Caroli "Calvi" regis Galliae, anno 876 facta, contra Hincmarum et ecclesiam Rhemensem. Sed inter primatiales ecclesias Galliae, nobilis Ecclesia Rhemensis, cui privilegium erat consecrandi reges imperii, speciale tenet locum. Etenim Hincmarus († 882) huius sedis archiepiscopus, ad sanctum Leonem Papam IV scribens suam ecclesiam *primam inter primates* vocat. Sed in iure concordatario tum Ecclesia Rhemensis tum Ecclesia Senonensis sive Burdigalensis primatis titulum amiserunt. *Bullarium Pii VII*, I, p. 228. Vide APC, 1916, p. 286. Penes archiepiscopum Rhemensem erat munus consecrandi reges Galliae, non proprie ratione primatus sed ad tuendam memoriam Regis Clodovei, qui Rhemi baptizatus est a sancto Remigio anno 496.

In Africa :

13 — *Archiepiscopus Carthaginensis* est Primas Africae. Antiquissimum huius sedis titulum, tertii videlicet saeculi ineuntis, reviviscere fecit Leo Papa XIII die 19 novembris 1884 apostolica sua plenitudine. Acta, V, p. 178. Tametsi in litteris apostolicis nulla fiat de primatu mentio, tamen metropolita sic ab omnibus vocatur sicque litteras subscribunt praelati sedis inde a primo electo seu a cardinali Lavigerie. Vide APC, 1918, p. 462.

In America :

14 — *Archiepiscopus SSmi Salvatoris da Bahia* est Primas Brasiliae. Titulus Primatis decreto Sanctae Sedis hucusque confirmatus non venit, tamen recognitus est saltem in Brasilia et in Concilio Vaticano sedit inter primates.

15 — *Archiepiscopus Bogotensis*, gaudet titulo Primatis Columbiae concessione Leonis XIII, iuxta decretum SC. Consistorialis diei 17 novembris 1902.

16 — *Archiepiscopus Bonaërensis* fruitur titulo Primatis Argentinae, generositate Pii Papae XI, decreto SC. Consistorialis dato die 29 ianuarii 1936. Quod quidem decretum in Actibus Apostolicae Sedis editum non est.

17 — *Archiepiscopus Limanus* est Primas Peruvii, liberalitate Pii Papae XII, prout legitur in decreto SC. Consistorialis diei 31 maii 1943. AAS, 1943, p. 280.

18 — *Archiepiscopus Sancti Iacobi de Chile*, Iosephus Maria SRE. Cardinalis Caro Rodriguez, fruitur titulo Primatis in Republica Chilena ex singulari concessione SSmi Domini Nostri Pii XII facta cum perillustris vir sexagesimum sui sacerdotii anniversarium celebrabat. "Singularis" dicimus, eo quod non solet Sancta Sedes titulum primatis *ad personam* concedere. Decretum SC. Consistorialis diei 11 octobris anni sancti 1950. Prot. 1089/50.

19 — Ludovico Martinez, *Archiepiscopo Mexicano*, suisque pro tempore successoribus, concessit Pius PP. XII, *g. r.*, titulum Primatis Nationis Mexicanae, amplissimis datis litteris in festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, die 29 iunii 1951 "*Honoribus et privilegiis* ornare viros, civitates et nationes dignitate, pietate ac erga Apostolicam Sedem devotione conspicuas, semper fuit Romanorum Pontificum sollicitudo, sive ut virtuti honor debitumque praemium tribuerentur,

sive ad meliora aemulanda charismata populi allicerentur ". Titulus Primatis datur honoris tantum causa et retenta praecedentia Delegati Apostolici in Republica Mexicana. Decretum solemni modo lectum est in Ecclesia Metropolitana, die 18 iulii, praesente emo viro Adeodato Ioanne Cardinali Piazza, SC. Consistorialis a secretis. Vide *Bulario de La Iglesia Mexicana*, Mexico, 1951, p. 582.

20 — Hodiernus *Archiepiscopus Caracensis*, exmus Dnus. Lucas Gulielmus Castillo Hernández, decreto SC Consistorialis diei 23 aprilis 1952, fruitur honoribus primatis Venezuelae *ad personam* non secus ac Primas de Chile.

21 — *Indiarum* (seu *Totius Americae) Primas* est archiepiscopus sancti Dominici in civitate Trujillo (31 A).

(31A) Prima sedes episcopalis totius Americae ea est quae ab ipso Christophoro Colombo inventa est *in Insula Hispaniola* et Civitate sancti Dominici, nunc *Trujillo* nuncupata, creata a Iulio II die 8 mensis augusti anni 1511, litteris *Romanus Pontifex*, una cum altera ecclesia sancti Ioannis Portoricensis et tertia de Conceptione de *La Vega* in eadem insula sancti Dominici. Haec ultima sedes anno 1546 ecclesiae sancti Dominici unita est una cum eius elevatione ad gradum archiepiscopalem, et paulo post, anno 1601, simpliciter deleta, nam civitas *La Vega*, olim principalis insulae Hispaniolae, derelicta est post terrae motum anni 1564. Nouel, p. 42, 50, 125, 126, 168. Alphonsus Fuenmayor in episcopum sancti Dominici electus (1534-51) plurima ad Dei gloriam egit : ecclesiam cathedralem complevit, eamque die 8 octobris 1540 dedicavit; erectionem Universitatis Pontificiae, primi in America studiorum floris, a Papa Paulo III obtinuit anno 1538, et ab eodem pontifice elevationem Sedis ad gradum metropolitanum consequutus est die 12 februarii 1546. Deinde Hispaniam invisitavit et ad sedem reversus est cum titulo Indiarum (Occidentalium) Primatis. (Haec scripta fuerunt quando Sancta Sedes et Respublica Sancti Dominici concorditer declaraverunt " Al Arzobispo de Santo Domingo corresponde el titulo de *Primado de Indias* de acuerdo com la Bula de Pio VII *Divinis praeceptis* del 28 de noviembre de 1816 ". Conventiones diei 16 iunii 1954, AAS, 1954, p. 438.)

Ad rem Nouel " Cuando regressa a su Arquidiocesis viene investido con el honroso título de *Arzobispo Primado de las Indias* que lega a sus sucesores " p. 162. Insula anno 1790 sub vexillo gallico venit translata et sedes quodammodo annihilata. Tandem anno 1815 iterum ad regnum hispanicum licet per paucos annos reversa est Hispaniola et Archidioecesis sancti Dominici reaedificata per decretum reale diei 17 iulii 1817 cum titulo *Primado de las Indias*, Nouel, p. 162, quod quidem decretum Pius VII, qui sequuntur verbis confirmavit " Archiepiscopalem ecclesiam sancti Dominici... (ubi) primum ex regionibus trans atlanticum detectis, sanctissimum Iesu Christi nomen et fides insonuerit... suis omnibus iuribus et privilegiis... ac titulo primatis indiarum, quibus iamdiu, ut praefertur, potiebatur, denuo imposterum libere frui atque uti posse decernimus ac statuimus ". Ex litteris *Divinis praeceptis*, diei 28 novembris 1816. Bul. Pii VII, pars II, p. 1410, ed Prati. Novissime Pius XII, *g. r.*, die 11 iulii 1952, votis legati Reipublicae Dominicanae solemni modo obsecundans ad nationem illam verba faciens ait *El país que dió cuna a la Sede Primada de las Indias*. AAS, 1952, p. 590. Vide etiam litteras Benedicti XV diei 14 iunii 1920 quibus titulum Basilicae minoris ecclesiae metropolitanae sancti Dominici concessit, verba Pii VII referentes. AAS, 1920, p. 433. Observari expedit indiarum terras illas fuisse quae trans Oceanum Atlanticum iacebant, et quae nunc *The Americas* dicimus : Indiarum Primas idem sonat ac *Totius Americae Primas*. Primum pallium Americae, ni fallimur, huic sedi datum est in personam Ioannis de Aleolares, Ordinis sancti Hieronymi, die 11 iulii 1566, *Nouel*, p. 194, nam Fuenmayor in metropolitam electus diversis de causis sacrum

Tituli ad instar primatis :

Archiepiscopus Baltimorensis est primus inter archiepiscopos Americae Septentrionalis et gaudet praecedentia super ceteros, titulus tamen primatis ei concessus nunquam fuit, veniat tamen! SCPF, die 19 iulii 1858 ita declaravit et Pius IX rem confirmavit die 25 eiusdem mensis. *Bouscaren apud Periodica*, 1940, p. 116.

Archiepiscopus Westmonasteriensis est primus praelatus Angliae et Cambriae, cum amplissimo privilegio praecedentiae, throni, sacri pallii et crucis hastatae in hisce regionibus. Sanctus Pius X, *Si qua est*, AAS, 1911, p. 553. Amore pacis tamen, et cum titulus primatis antiquitus erat penes archiepiscopum Cantuariensem, titulo non fruitur. EPR, I, p. 373, nota 168.

D — Primates in conciliis oecumenicis

Vir Dei Bartholomaeus a Martyribus, archiepiscopus Bracharensis in Regno Portugalliae et Hispaniarum Primas, quum ad Tridentinam Synodum advenisset, praecedentiam voluit super archiepiscopum Toletanum, ceterosque Hispaniae primates. Sed quum res componi non poterant cum legatis Philippi II, Hispaniarum Regis, et quum praeterea aliae exstabant lites quoad primatum praecedentiam et recognitionem, Pius IV, datis litteris in forma brevi die 31 decembris anni 1562, ante initium XVII sessionis concilii, statuit praecedentiam archiepiscoporum post patriarchas. Ita enim primates qua tales in concilio sedere non potuerunt. Sed iterum, instante Bartholomaeo a Martyribus, declaravit Pius IV nullum exinde primates ius suum amittere.

Quum in Sacra Vaticana Synodo quaestio praecedentiae primatum iterum agitata venit, congregatio praeparatoria ordinem Concilii Tridentini sequi voluit. Sed, instante archiepiscopo Strigoniensi Hungariae Primate, quaestio coram Summo Pontifice posita venit, qui primatibus praecedentiam concedere velle declaravit, et litteris apostolicis in forma brevi *Multiplices inter*, normas pro celebratione concilii Vaticani statuens, edixit " ... tertium locum, ex speciali nostra indulgentia obtinebunt Primates, iuxta ordinem suae promotionis ad primatialem gradum. Id autem pro hac vice tantum indulgemus, atque ita, ut ex hac nostra concessione nullum ius vel ipsis Primatibus

pallium non recepit. Consule Dom Carlos Nouel, *Historia eclesiastica de la Arquidioecesis de Santo Domingo. Primada de America*, Roma 1913, I, 450 p., in-8°. Tomi II et III editi non fuerunt.

datum, vel aliis imminutum censeri debeat ". ASS, V, p. 235 (32-33). Talis loquendi modus conciliorum proprius est, seu concilium quaestiones praecedentiae dirimere non intendit, nec cuiquam praeiudicium inferre. In praxi vero modus agendi concilii Vaticani iurisprudentiam constituit. EPR, III, nota 48, p. 145.

Codex pianus doctrinam Pii IX definitive approbavit legens ut ad oecumenica concilia vocentur... Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi residentiales (can. 223, § 1, n. 2). Procul dubio legere debemus primates qua tales. Sic enim clauditur saecularis lis!

Diversi agendi modus, Tridentinae videlicet et Vaticanae Synodorum difficultatem patefaciunt, et quidem non spernendam, quae in conciliorum celebratione occurrit. Nam si quoad patriarchas nulla exstat difficultas id evenit ex eo quod eorum elenchus explanatus est. Quoad primates vero quaestio alia movetur, nam si aliqui primates confirmationem seu concessionem sui tituli receperunt, alii in traditione tantum sua iura tuentur. Expedit proinde ut, ad dubia deponenda et ad primatiales titulos confirmandos, ii ad quos spectat adeant Sacram Congregationem Consistorialem et decretum de suo primatiali titulo petant, praesertim post promulgationem novi codicis qui praecedentiam primatum super archiepiscopos ratam habuit. Etenim commissiones litum seu praecedentiae oecumenicorum conciliorum quaestiones brevi

(32) Qui sequuntur archiepiscopi metropolitani tamquam primates in Vaticana Synodo sederunt, nimirum alphabetico ordine :

1 — Antibarensis et Scodrensis, Primas Serviae, Slavoniae et Dalmatiae.
2 — Armacanus, Primas totius Hiberniae.
3 — Bracharensis, Hispaniarum Primas, seu potius Portugalliae.
4 — Gnesnensis et Posnaniensis, Primas Poloniae.
5 — Lugdunensis, Galliarum Primas.
6 — Mechliniensis, Primas Belgii.
7 — Salernitanus, Primas Regni utriusque Siciliae.
8 — Salisburgensis, Primas Austriae.
9 — SSmi Salvatoris *da Bahia*, Primas Brasiliae.
10 — Strigoniensis, Primas Hungariae.
11 — Tarraconensis, Primas Hispaniae.
12 — Toletanus, Hispaniarum Primas.

Cf. *Elenchus praesulum Concilii Vaticani*, ASS, 5, p. 513, et Granderath, *Geschichte des Vatikanischen Konzils*, I, p. 466. Corrigendus proinde APC, 1918, p. 453-472. Nullibi constat titulum primatis Archiepiscopi Bracharensis fuisse revocatum.

(33) Ludovicus de Bonald SRE Cardinalis et Archiepiscopus Lugdunensis, infirmitatis causa concilio Vaticano non interfuit. Successor vero eius, Iacobus Ginoulhac, inter primates locum obtinuit. Archiepiscopus Rhemensis, Ioannes Baptista Landriot, et archiepiscopus Senonensis, Victor Felix Bernadou, cum archiepiscopis sederunt ad tramitem iuris Pii VII post concordata. Archiepiscopi Antibarensis, Mechliniensis et Salernitanus, die 14 februarii 1870 concilio iam aperto, postularunt locum cum primatibus. CV, col. 726 B. Vide *Elenchus patrum concilii Vaticani* apud Granderath, *o. c.*, p. 463-524.

manu tractant nec potestate conferendi vel auferendi titulos a Summo Pontifice instruuntur. Nec extra ordinem erit in memoriam revocare silentium CE tum quoad patriarchas tum quoad primates, de illis et istis tacens, nam etsi Tridentina synodus de primatibus nihil cognovit, de patriarchis egit, illis praecedentiam concedens.

ART. II. — DE METROPOLITIS

Salvo praescripto can. 275-280 (qui de sacro pallio agunt), Metropolita in propria dioecesi easdem obligationes eademque iura habet quibus episcopus fruitur in sua. CIC, 273.

In omnibus ecclesiis etiam exemptis dioecesium suffraganearum Metropolita potest, ordinario loci praemonito, si ecclesia sit cathedralis, peragere pontificalia, uti episcopus in proprio territorio, populo benedicere, cruce ante se delata incedere, non autem alia exercere quae iurisdictionem important. CIC, 274, 6° (34).

Indulgentias, sicut in propria dioecesi, dare Metropolitae a iure conceditur, non tamen benedictionem papalem cum plenaria indulgentia. *Ibid.*, n. 2°.

Ex inde sequitur :

Metropolita in sua dioecesi eadem iura et liturgica privilegia habet ac episcopus suffraganeus in sua. Praeterea metropolita duobus amplissimis ornatur liturgicis privilegiis, quae sunt correlativa, sacri nempe pallii et crucis hastatae.

Metropolita ius habet ad crucem hastatam a crucifero coram se elevatam, cum imagine crucifixi ad ipsum versa :

1 — In solemnibus receptionibus.

2 — In processionibus.

3 — Quum ad ecclesias accedit vel ab eis recedit, etiamsi non sit cappa pontificali indutus.

4 — Quoties populum solemniter benedicit.

5 — Quum tempore functionum crux hastata requiritur a rubricis, uti passim in Pontificali habetur.

(34) Iura et privilegia metropolitae decursu saeculorum multas passa sunt mutationes, et ante promulgationem codicis iuris canonici non patefiebant, proinde plurimae hac de re quaestiones agitabantur. Codex apertis verbis iura haec in unum collegit. Solebant metropolitae a suis suffraganeis exigere iusiurandum obedientiae et visitationis ante eorum consecrationem, quae ipsis erat reservata. Vide EPR, I, notas 119-120. Concilium Tridentinum visitationem suffraganeorum ipsis liberam reliquit. Sess. XXIV, *De reformatione*, cap. II. Vide Catalanum CE, lib. I, cap. XIII, § IX; I, p. 292, ed. Parisiensis.

Tempore functionum quum praelatus ad altare se sistit vel in sede sua sedet, crux a latere evangelii reponitur.

Tempore quo Caeremoniale Episcoporum redactum est, archiepiscopi ambulantes vel equitantes per suam dioecesim vel provinciam induti semper erant habitu praelatitio et crucem ante se deferri iubebant. CE, lib. I, cap. IV, n. 1. Sic enim facere solebat Sanctus Carolus Cardinalis Borromaeus. Tempora tamen mutantur et in hodierno usu crux archiepiscopalis liturgicis functionibus reservatur, praesertim ex eo quod etiam habitus praelatitius non amplius a praelatis adhibetur quum per dioecesim suam ambulant vel itinera arripiunt.

¶ — 1. De cruce archiepiscopali vide lib. II, *De rebus*, p. 216-221.

2. De pallio archiepiscopali vide EPR, I, sect. IV.

In dioecesibus suffraganeis Metropolita potest pontificalia peragere in omnibus ecclesiis suae provinciae, etsi exemptis, etiam sine expressa licentia loci ordinarii; nequit tamen functiones pontificales peragere quae iurisdictionem important, utpote personas vel res ordinare seu consecrare aut benedicere.

Licet a iure Metropolita possit pontificalia exercere, praemonito ordinario si ecclesia sit cathedralis, id tamen in praxi nunquam fit, et Metropolitae ad ecclesias suffraganeorum accedunt solummodo quando ab episcopis loci invitantur.

Si loci ordinarius functioni non interveniat, metropolita omnia facit non aliter ac episcopus loci, non excluso throno a latere evangelii, quod etiam servabitur in ipsa ecclesia cathedrali absente episcopo. Proinde utetur sacro pallio in missis solemnibus, si dies sit de pallio, habebitque diaconos assistentes (D. 4355, III, 6b), crucem ante se deferre facit, populum benedicit et indulgentias elargitur. Septimum candelabrum tamen non apponitur. D. 4355, III, 6a.

Si episcopus suffraganeus velit suum metropolitam invitare ad missam pontificali ritu celebrandam in sua ecclesia cathedrali, episcopus ipsi suum dabit thronum a latere evangelii seu in abside et sedebit in primo loco chori cum assistentia unius caeremoniarii tantum. Metropolita salutabitur per genuflexionem, et episcopo fient reverentiae quae choro sunt communes. Episcopus erit cum palliolo humerali, vel si maluerit cum cappa, sed sine caudatario, nisi cum intrat vel exit ab ecclesia.

Idem servabitur si metropolita invitetur ad aliam quamcumque functionem solemnem, veluti ut praesit benedictioni solemni cum Venerabili, et suffraganeus functioni intervenire velit.

¶ — De assistentia metropolitae missae solemni sui suffraganei, vide lib. III, p. 335.

Ad mentem Caeremonialis Episcoporum "ut episcopus commodius sua munia episcopalia exercere valeat, puta consecrare, ordinare, conficere oleum sanctum et similia facere ... Metropolitanus huiusmodi actibus intervenire non curet" (CE, I, c. 4, n. 5). Id valet etiam de ceteris functionibus anni liturgici et de ipsa missa solemni loci ordinarii. Et si in casu aliquo speciali metropolita invitetur, celebrabit ad thronum episcopi prout supra dictum est.

Quod si metropolita velit alicui extraordinariae functioni loci ordinarii assistere, sedebit in throno a latere epistolae cappa pontificali indutus et a sacris vestibus accipiendis abstinebit.

Quoad cetera vide libros II, p. 274 et III, p. 337 de praelatis maioribus simul convenientibus seu de usu duorum vel plurimorum thronorum.

APPENDIX

De Lisbonensi Patriarcha

¶ — Patriarcha Portugalliae singularibus privilegiis liturgicis fruitur, proinde de eo erit speciali modo hic agendum.

Clemens XI, datis litteris sub auro *In supremo apostolatus solio*, die 7 novembris 1716, nuper electo seu eligendo patriarchae Lisbonensi suisque successoribus permisit frui "nomine, titulo et praerogativis ad instar venerabilis fratris nostri moderni Patriarchae Venetiarum, cum facultate utendi insigniis... aliisque ornamentis quibus idem Patriarcha Venetiarum de iure aut consuetudine utitur". CT, I, p. 103. Fortunato de Almeida, *Historia da Igreja em Portugal*, tomo 3°, 1ª parte, p. 823. Insuper concessit usum vestium cardinalitiarum dempto rubro pileo.

Idem Pontifex addidit privilegium sacri pallii cum titulo legati et cum praecedentia super primatem in toto territorio Regni Portugalliae. Breve *Sacrosancti Apostolatus*, 26 septembris 1720. CT, I, p. 132.

Benedictus XIII die 19 septembris 1724, in initio sui pontificatus, concessit usum rationalis eidem Patriarchae. CT, I, p. 391. Vide notam 39 *De sacris vestibus*, p. 190.

Insequens Pontifex Clemens XII, die 27 decembris 1737 datis litteris *Inter praecipuos*, singulare privilegium Patriarchae concessit,

nimirum ius ad cardinalatum in primo consistorio post suam electionem habito. Fortunato de Almeida, *op. cit.* tomo 3°, 1ª parte, p. 858. BulRom cont. 24, p. 313; CT, I, p. 417. Quod quidem privilegium Pius VI, litteris *Onerosa pastoralis*, diei 1 martii 1778, ratum habuit. BulRom cont. Pius VI, tomus I, p. 481.

Praeter haec privilegia liturgica nullibi constat alia fuisse a Summis Pontificibus concessa, seu non exstant diplomata aliarum concessionum. Quaeritur proinde quaenam erant tempore publicationis bullae *In supremo apostolatus solio* liturgica privilegia quibus *de iure vel consuetudine* fruebatur Venetiarum Patriarcha (35).

(35) Ad quaestioni huic respondendum non nulla explananda erunt de origine Patriarchatus Venetiarum, deque eius privilegiis si quae sint.

Anno 1433 Eugenius Papa IV in episcopum sancti Petri *di Castello*, insulae venetae, elegit Laurentium Iustinianum. Nicolaus V, datis litteris *Regis aeterni*, die octavo mensis octobris 1451 (BulRom, 3, pars 3, p. 68), tum sedem episcopalem sancti Petri *di Castello* tum Patriarchatum Gradiscanum exstinxit, ex illis creans novum Patriarchatum Venetiarum, evecta Ecclesia episcopali sancti Petri ad dignitatem metropolitanae cum iisdem ecclesiis suffraganeis quae ad Ecclesiam Gradiscanam pertinebant, adiecto titulo Patriarchali; insuper idem Pontifex elegit sanctum Laurentium († 1456), iam episcopum sancti Petri, uti primum Venetiarum Patriarcham. *Eubel, Hierarchia Catholica Medii aevi*, II, p. 134, 177, 290; Moroni, 91, p. 4-10.

Tamen prope Patriarcham Venetum alius exstabat Patriarcha cum vetusto titulo *de Aquileia* quique fruebatur titulo Ducis Foriiuliensis. Sedes patriarchatus pluries ab uno ad alium locum migravit et novissima erat civitas Utinensis, ubi palatium ad usum patriarchae non erat; solebant ex inde patriarchae, sicuti nobiles omnes, Venetiis commorari, etenim uterque Patriarcha, Venetiarum videlicet et *de Aquileia* inter cives venetos eligebatur et nominabatur a Senatu Ducis Venetiarum cum insequenti approbatione Summi Pontificis.

Tandem, expletis fere ad diem tribus saeculis ab exstinctione Patriarchatus Gradiscani, die sexto iulii 1751, Benedictus XIV, voto Senatus Veneti obsecundans, Patriarchatum de Aquileia cum suo capitulo exstinxit, concedens vetusto templo titulum Basilicae Ipsi immediate subiectae, duasque creans sedes archiepiscopales, Utinae videlicet pro parte Italiae seu Veneto, et Goritiensis pro parte Germaniae. Benedictus XIV, 17, pars 1, p. 300; 17, pars 2, p. 1 et 40.

Et ita res permanserunt usquedum, die 19 octobris 1807, exstincto iam Senatu Ducali, Eugenius Princeps de Beauharnais, per decretum civile sedem Patriarchatus Veneti ab Ecclesia Sancti Petri *di Castello* ad Augustam Ecclesiam Ducalem, sicuti vocari solebat Basilica Sancti Marci, transtulit, et Nicolaus Gamboni, XXX Patriarcha Venetiarum, decreto principis exsecutionem dans, una cum suis canonicis ecclesiam sancti Marci petiit. Moroni, 93, p. 142.

Tandem, Pius VII, qui in Urbe Venetiarum electus est et in Ecclesia sancti Georgii coronatus, capitulum sancti Marci specialibus condecoravit privilegiis, et deinde, datis litteris *Ecclesias* diei 24 septembris 1821, Augustam Basilicam sancti Marci ad dignitatem et gradum Basilicae Patriarchalis evexit, et vetustam ecclesiam sancti Petri *di Castello* ad simplicem ecclesiam paroecialem cum titulo Basilicae minoris elegit. BulRom, cont. tomus VII, pars II, p. 2186 ed. Prati. Nunc Ecclesia sancti Petri gaudet titulo Basilicae Concathedralis et sedes est unius e decanatibus Urbis, etenim ab anno 1451 ad annum 1821 seu per quatuor fere saecula honoribus fruebatur Basilicae Patriarchalis.

Pius VII creans Basilicam Patriarchalem sancti Marci, Patriarcham pro tempore nullis specialibus ornavit privilegiis sed illis tantum *quomodolibet sibi legitime competentibus*. Hodierni etenim Patriarchae nullis ornantur papalibus privilegiis et sacro solemniter litant ad normam iuris liturgici. Sed non videtur id semper fuisse sic, nam antiquitus Patriarchatus *di Aquileia* erat ... *propugnacolo d' Italia contra le irruzioni de' barbari, appellata altra Roma, ... già imperiale, splendida per magnifici edifizi e per numeroso popolo.* Moroni, 82, p. 113. Procul proinde dubio, Patriarchae more solemniori missam celebrabant. Patriarchatus Gradiscanus certe sequebatur usum Patriarchatus Aquileiae, et cum eius extinctione usus et ritus huius Patriarchatus ad Patriarchatum recentiorem Venetiarum translati fuerunt.

Patriarchatus Venetiarum inde a suo protopatriarcha Laurentio Iustiniano ad nostra usque tempora seriem ininterruptam habuit praelatorum, ex quibus plurimi homines erant virtutibus et scientia praediti. XXIII Patriarcha Petrus Barbadicius munere suo functus est ab anno 1714 ad 1725, Moroni, 93, p. 138, quando privilegia sedis novo patriarchae data fuerunt. Sed quibusnam fruebatur privilegiis?

Certe illis gaudebat, secus inutilia forent verba concessionis Clementis XI. Insuper Clemens XII in Bulla *Inter Praecipuas* (16-XII-1737) Patriarchae praecedentiam concedens etiam super legatos a latere eius, de concessis insignibus a suis praedecessoribus mentionem facit. BulRom, 24, p. 313. Sed cum in Ecclesia sancti Petri *di Castello*, et in Augusta Basilica sancti Marci desint liturgici libri, caeremonialia sive ordines de ritibus illo tempore in usu (36-37), et cum

(36) Cognitio ritus missae solemnis patriarchalis iuxta ritum patriarchinum prout in Basilica de Aquileia et in ecclesia sancti Petri *di Castello* Venetiis celebrabatur circa initium saeculi XVIII magni esset momenti ad argumentum nostrum explanandum, sed desunt monumenta. Forsan nonnulli libri destructi fuerunt tempore Napoleonis et finis regni Ducalis, prout opinatur Iohannes Schiavon, hodiernus caeremoniarius Basilicae Patriarchalis sancti Marci. Quoad Ecclesiam sancti Marci constat Calixtum III die 12 decembris 1456, anno quo mortuus est sanctus Laurentius Iustinianus, usum Ritus Patriarchini prohibuisse, tamen cum tempore decreti sancti Pii V Missale Patriarchinum plusquam duorum saeculorum usu frueretur, in usu permansit. Ritus Patriarchinus observabatur in Patriarchatibus de Aquileia et Gradiscano, et post huius exstinctionem in Patriarchatu Venetiarum. *Cappelletti apud Moroni*, 90, p. 312. In Augusta Basilica sancti Marci primicerius erat veluti episcopus, sed Dux functionibus praeerat, et in eorum fine benedictionem impertiebatur. Moroni, *ibid.*

Ex liturgicis libris nunc cognitis Ecclesiae Aquileiensis, praesertim ex Missali anno 1494 edito, nihil de ritibus a patriarcha servandis eruitur; nec exstat ordo ab eo servandus quando sacro solemniter litabat, forsan tamen in usu erat sed perditus est. De ceteris functionibus pontificalibus unus remansit codex *De septem ordinibus ecclesiasticis* qui fere ad unguem sequitur pontificale Durandi Metensis, constans etenim semper fuit traditio ecclesiae Aquileiensis ut omnia ibi fierent more romano " Aquilea, come volle san Paolino, seguì Roma. Fece suoi, è vero, tanti usi liturgici dovuti a gusto o divozione personale; ma l' essenziale è stato sempre quanto accettò dalla Sede di Pietro". J. Vale in libro *La Basilica di Aquilea*, p. 381. Insuper in thesauro Basilicae nihil de supellectili patriarchali remansit ex quo concludi liceat patriarcham more papali missam celebrare consuevisse; e contra exstant duo baculi pastorales ad usum patriarchae. *J. Vale, tavola CII.* Ad nullam proinde conclusionem devenire possumus circa privilegia pontificalium ad instar papalium quibus circa initium saeculi XVIII fruebatur Venetiarum Patriarcha, quaeque Clemens XI nuper creato Patriarchae Lisbonensi dedit : certe concludere non licet talia privilegia non exstitisse et frustra fuisse verba Clementis XI. Viam tamen exploravimus ad ulteriores inquisitiones hac de re.

(37) De nobili ritu patriarchino, antiquo ritu romano annexis privilegiis et usibus localibus, paucae exstant elucubrationes, etenim iam suo tempore cl. Lebrun lamen-

statim post concessionem Clementis XI protopatriarcha Thomas de Almeida (1716-1754) coepit sacro solemniter litare more papali, procul dubio concludi licet id non fecisse si exemplum a Patriarcha Venetiarum non accepisset, erat enim omnium consensu homo virtutibus et scientia excellens. Praeterea facile erat Regi Portugalliae per suos legatos se certiorem de concessis privilegiis reddere. Sic enim Rex postulavit concessionem cardinalatus Patriarchae quia patriarchae Venetiarum generatim ad cardinalatum non eligebantur (38). Postulavitque sellam portatilem et flabella eadem motus ratione. Sed Rex privilegiis nondum concessis utebatur " bastava ao rei a promessa de uma concessão para lhe dar execução imediata e a interpretar no mais amplo sentido ". *Privilégios do Cabido*, p. 6.

Patriarcha Thomas de Almeida tres post annos a creatione Patriarchatus, seu anno 1719, missam celebravit more papali prout sequitur : Praelatus omnes induebat vestes sacras Papae necnon faldam rubri coloris. Deinde fiebat solemnis introitus Patriarchae sub pallio, sine baculo tamen, nam in missa Papa eo non utitur. Exceptione facta pro lectione epistolae et evangelii in lingua graeca et communione ad thronum, cetera omnia, congrua congruis referendo, exsequebantur ut in missa solemni Papae, secundum ritum qui *Patriarchalis* vocatur, qui quidem ritus etiam nunc adhibetur, duobus expletis saeculis in Ecclesia Ulyssiponensi (39).

tabatur quam difficile fuisse ipsi illum cognoscere, nunquam enim prae manibus habuit Missale Patriarchinum. *La Messe*, 2, p. 191, ed. 1843. Diclich, praeclarus liturgista Venetus, typis mandavit opus cui titulus *Rito Veneto Antico detto Patriarchino*, Venezia 1823, et in quarto volumine sui *Dizionario sacro liturgico* (ed. 3ª Venezia 1836) de eo fusius agit, quem tradit Moroni, 90, p. 307-313; recentius Joseph Vale († 1950) studiis huius ritus vacavit et expolitas edidit dissertationes *Il tesoro della chiesa de Aquileia* et *La liturgia nella chiesa patriarcale di Aquileia*, p. 347-381 operis *La Basilica di Aquileia*, Bologna Zanichelli editore, 1933, 406 paginae et CVII tavole in-4° : insigne monumentum perinsignis basilicae. De Joseph Vale vide EL, 1951, p. 113; G. Brusin, *La Basilica di Aquileia nel IX centenario della sua ricostruzione* in Illustrazione Vaticana, anno II, n. 13, 15, Luglio 1931, p. 30-36 et Giuseppe Vale, *Il Patriarcato di Aquileia dall' origine alla soppressione*, *ibid.*, n. 14, 31, Luglio 1931, p. 28-34; Caietanus Moroni Romanus suum *Dizionario* Venetiis typis mandavit cum veneto auxilio; re proinde perspecta exploratissimas de tam nobili civitate tractationes scripsit in voluminibus 90 ad 93. In vol. 90, p. 247-297 effuso calamo describit ecclesiam sancti Marci (§ V) eiusque liturgiam (§ VI). In vol. 93, p. 123-156 absolutam seriem patriarcharum tradit, adiectis vitis, usque ad Angelum Ramazzotti, XXXV patriarcham, anno 1850 electum.

(38) Regnum Venetiarum ius ad tres cardinales habebat, e quibus unus semper erat presbyter cardinalis sancti Marci in Urbe, ubi cives Venetiarum conveniebant, ibique morabatur. Alii duo non solebant in Patriarcham eligi. Sed etiam primus patriarcha Lisbonensis galerum cardinalitium recepit viginti annos post suam electionem seu anno 1737, in consistorio habito statim post concessionem Clementis XII.

(39) Anno 1940 Illmus Dnus Joseph Emmanuel Pereira dos Reis, rerum Patriarchatus studiosissimus, edidit caeremoniale missae Emi Patriarchae in quo omnia fiunt

Sed quomodo legenda sunt verba *ad instar Patriarchae Venetiarum?*

In primo tomo Codicis Titulorum, scripto paucis annis post concessionem Clementis XI, auctor effuso calamo agit de verbis *ad instar Venetiarum* et concludit " Auctores conveniunt privilegium *ad instar* esse latissime interpretandum " (CT, I, p. 103), seu idem sonat ac *non secus ac* et citat nomina auctorum praesertim Suarez, *De forma privilegii quod vocatur ad instar*, *De Legibus*, 8, 15, 2. Conclusio latissima forsan haec erat : Privilegia Patriarchae Portugalliae data fuerunt ad instar privilegiorum quibus Patriarcha Venetiarum iure vel consuetudine gaudebat. Unde si privilegia huius Patriarchae de iure vel de consuetudine data fuerunt *ad instar* privilegiorum Summi Pontificis sequitur privilegia Summi Pontificis data fuisse Patriarchae Lisbonensi (40-41-42).

Tria tamen sunt privilegia Papae, quae iuxta sensum communem fidelium, et praesertim ratione eorum magnitudinis Summo Pontifici speciali modo reservantur, quibus generatim una simul utitur Papa : tiara, sella gestatoria, flabella.

Privilegium tiarae nulli homini concessum fuisse constans est Ecclesiae traditio. Lisbonenses tamen patriarchae iam ante annum 1746, stemmata

adamussim ut in missa papali, non exclusis septem acolythis, probationibus vini et aquae, et lotionibus calicis et urceorum. In litteris ad Emum Patriarcham missis, quorum exemplar nimia sua benignitate nobis transmisit Emus, exponit auctor se omnia scripsisse iuxta diarium manuscriptum Ecclesiae Patriarchalis anni 1719 et in in quo, ad modum caeremoniariorum apostolicorum, omnia quae fiebant adnotabantur. Nonnulla tamen privilegia, ait ipse, post annum 1719 data fuerunt. Sed quaenam?

(40) Iohannes V novam *Urbem* instituere conatus est sine ullo tamen haeretico vel schismatico intuitu : Voluit enim ut Ecclesia Patriarchalis primum locum in mundo haberet : Collegium Principaliorum instituit veluti Collegium cardinalium rubris vestibus non exclusis. A Benedicto XIII pro iubilaeo anni 1725 privilegium obtinuit quatuor basilicarum cum Porta Sancta. Insuper civitatem suam in duas divisit Ecclesias, occidentalem scilicet et orientalem. Emissarios per Europam misit ad videnda quaenam essent maiora liturgica privilegia aliis nobilibus sedibus data, ut et illa ipsi donarentur.

(41) Eodem anno 1719, die 8 iunii, ad festum Corporis Christi celebrandam, solemnis habita est processio de iussu Regis. Descriptionem huius commemorationis pretii astronomici, propter sedulam ornamentationem viarum, tradit chronographus Regni Ignatius Barbosa Machado. Patriarcha et sui assistentes ibant sine mitris et ante Patriarcham minister cum baculo licet in missa eo non utatur, canonici vero capituli ibant cum mitra in capite et explicata syrma habitus talaris, unusquisque cum caudatario et duobus capellanis; insuper dignitates utebantur formali pretioso non secus ac cardinales episcopi suburbicarii. Ignacio Barbosa Machado, *Historia... da festa e procissão do Corpo SSmo de Cristo.* Lisboa 1759, p. 280-1.

(42) Circa annum 1740 in Ecclesia Patriarchali erant : 24 Principales seu canonici maiores; 72 canonici praelati; 20 canonici minores; 76 mansionarii; 83 clerici; 76 cantores, qui adnumerabantur 351 personae: maxima tamen pars etiam canonicorum in sacris ordinibus constituta non erat. Etiam subdiaconi et acolythi patriarchales erant praelati veluti subdiaconi et acolythi Papae.

sua cum tiara, sine tamen clavibus, coronabant. Ea non utitur in capite et in sacrario Ecclesiae Patriarchalis nulla exstat tiara papalis. Sed quando Patriarcha ecclesiam ingreditur cum pluviali magno more papali ad sacrum litandum, adhibet mitram solemniorem cum magnis gemmis in tribus ordinibus positis, quae quidem mitra in Ecclesia Patriarchali *triregnum*, seu mitra *regnum* vocatur et quae saeculo XVIII in usu iam erat. Ed. Brazão, *Subsidios para a Historia do Patriarcado de Lisboa (1716-1740)*, p. 162 (43).

Sellam gestatoriam et flabella data non fuisse in bulla Clementis XI certe constat ex eo quod insequenti anno talia privilegia petita explicite fuerunt. Exstant enim litterae de mandato Regis ad suum legatum Fontes missae die 22 iunii 1717 ab Antonio Rebelo da Fonseca " ... hé da mente de sua Magestade fazello a VE sabedor de que ouve quem obteve da Sé Apostólica semelhantes liberalidades e a este proposito se fez menção a VE dos abanos de plumas (flabella) do Arcebispo de Napoles e da cadeira gestatoria do Arcebispo de Paris, afim de que ou actividades de VE consegui-se estas, ou outros quasi semelhantes preeminências". Brazão, o. c., p. 156. Profitemur tamen nos nullibi invenisse nec concessionem flabellorum Archiepiscopo Neapolitano, nec concessionem sellae gestatoriae Archiepiscopo Parisiensi factas. Proinde potius concludendum est legatum Fontes Romae responsionem accepisse talia privilegia dari non posse nec unquam data fuisse (44-45).

(43) Cum in iure heraldico, tum in generali gentium sensu, tiara signum est exclusivum Papae; et ita semper intellexerunt Summi Pontifices qui usum tiarae nulli episcopo sive regi concessere unquam; nam quando saeculo XV Archiepiscopi Beneventani tiaram adhibuerunt, Paulus II (1464-1471) abusum impugnavit poenis canonicis non exclusis. Moroni, 45, p. 276. Heim, note 65, p. 166. Quoad privilegium Ulyssiponense haec habet Heim " La tiare aurait été, dit-on, concédée au patriarche peu après 1716, par le Pape Clément XII (1730-40). Malgré des recherches minutieuses, nous n'avons pas réussi à trouver preuve de cette affirmation, et d'après ce que nous savons on n'en possède, même à Lisbonne, aucun document authentique". *Droit héraldique*, p. 64. Codex titulorum Ecclesiae Patriarchalis (=CT), opus omnino absolutum, editum est annis 1746-48 et si hac de re pontificalis exstaret concessio, ibi legeretur; tamen in fronte tomi I depingitur nomen *Sanctae Ecclesiae Lisbonensis* cum tiara in medio throno (sine clavibus sed cum cruce et baculo). Super mensa ad sinistram depinguntur diplomata pontificia cum tiara et clavibus necnon diplomata Regis. Id probat tunc tempore tiara in usu fuisse verbali forsan concessione. Ait Galbreath " Sancta Sedes usum tiarae nec approbavit nec impugnavit". *Papal Heraldry*, p. 26. In stemmatibus Cardinalis Patriarchae quae in *Annuario Pontificio* habentur tiara non depingitur, et ita fieri debere extra Patriarchatum saltem nobis videtur, privilegium enim iure consuetudinario Sedi datur.

(44) In Ecclesia Patriarchali exstat rubra sella gestatoria, omnino similis sellae Papae, quae tamen nunquam in excelso elevatur. Sella ponitur in medio presbyterio quoties intra missarum solemnia Patriarcha praedicat; insuper ea utitur antistes Feria Quinta Maiore dum sacra olea consecrat. De sede hac tacet ordo manuscriptus anni 1719 nec ullibi de eius concessione constat; e contrario, ex textu antiqui ordinis

Ex inde concludi licet specialissima privilegia fuisse una cum patriarchatu implorata et concessa, tum in intentione Papae tum in intentione Regis, quibus iam a duobus saeculis et amplius pleno iure fruitur Portugalliae Patriarcha, cuius cives in fide per novos orbes propaganda enixe adlaboraverunt, ita " ut profecto inter ecclesiasticos praesules et antistites plurimum excellat". Clemens XII, *Inter praecipuas*.

¶ — Vide bibliographiam de Sede Patriarchali Lisbonensi in fine operis, p. 361.

DE CONCILIIS PLENARIIS ET PROVINCIALIBUS

(Remissive)

Vide EPR, III, sect. II.

CAPUT VII

De Vicariis et Praefectis Apostolicis

Sacerdotes qui locorum ordinarii sunt et proinde tamquam delegati Summi Pontificis ordinariam habent in aliquo territorio iurisdictionem, specialibus honoribus honestari expedit, ut coram clero et populo eorum dignitas seu munus clarius appareat. In nationibus ubi hierarchia ecclesiastica nondum constituta est, huiusmodi sacerdotes sunt vicarii vel praefecti apostolici, prout eorum territorium in vicariatu vel tantum in praefectura erectum est.

Basilicae Patriarchalis ante annum 1792 scripti, constat sellam gestatoriam in usu per totum saeculum XVIII non fuisse. Brazão, o. c., p. 160 et 172.

(45) Emus Cardinalis Aloisi Masella, olim in Apostolica Nuntiatura Ulyssiponensi auditor, nobis declaravit Sanctam Sedem flabella permisisse donec consumentur. Sed in praxi perpulchrae plumae struthiocamelorum nunquam consumantur. Responsio Sanctae Sedis certe data est cuidam consultationi Patriarchatus. Nihilominus usus flabellorum in Ecclesia Lisbonensi initium habuit cum ipso Patriarchatu, de illis testimonium dans Barbosa Machado, nam in descriptione solemnis processionis Corporis Christi anni 1719, scripsit " ... Hião (atrás do pálio) dois escudeiros levando dois grandes abanos ou flabelos de candidas plumas que rematavão em base chata sobre um pé redondo mais alto que um homem, todo coberto de veludo carmezim e agaloado de oiro : destes flabelos não só usa o Pontífice (Papa) mas também alguns prelados da cristandade", o. c., p. 195. Etiam ex ordine Ecclesiae Patriarchalis saeculi XVIII constat flabella tunc tempore in usu fuisse. Brazão, o. c. p. 160. De strichione vide *Le Bestiaire du Christ : L'autruche emblème direct du Rédempteur*, p. 475. Raphael in Signatura pinxit virtutem iustitiae cum bilance in dextera manu et cum capite struthionis in sinistra. Nec erit abs re hic memorare verba Job de vita perpulchrae avis (c. XXXIX, v. 13-18). Sic enim harum pennarum praesentia in sacris functionibus iustificatur, nam res liturgicae hoc vel illo modo nos ad Christum Redemptorem trahere debent.

Ex eo quod sunt locorum ordinarii, vicarii et praefecti apostolici iisdem gaudent iuribus et privilegiis seu facultatibus iurisdictionalibus in suo territorio, quae in propriis dioecesibus competunt episcopis residentialibus (CIC, 294, § 1) non tamen liturgicis, quae a CIC haud sunt immutatae.

Vicarii apostolici, qui e regula fere generali titulo episcopali ornantur, tum in proprio territorio tum extra illud, fruuntur honoribus episcoporum titularium propriis, quas vide infra, p. 68.

¶ — Quoad functiones pontificales Pontificalis Romani confer quae in EPR habentur.

Vicarius apostolicus ex ordine sacerdotali (qui vix aderit) vel praefectus apostolicus eiusdem ordinis (fere omnes) habent *durante munere et in proprio territorio* insignia et privilegia protonotariorum apostolicorum de numero, non tamen sunt protonotarii. CIC, 308.

¶ — Privilegia protonotariorum habes ad p. 22.

Vicarii et praefecti apostolici omnes possunt etiam, intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopis benedictis consecrare, indulgentias centum dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre. CIC, 294, § 2.

Qui ex ordine sacerdotali sunt nequeunt proinde, expletis functionibus, benedictionem pontificalem impertiri cum consueta formula *Sit nomen Domini benedictum;* neque per ecclesiam populum more episcoporum benedicere.

Tonsuram et ordines minores ipsi conferre possunt non solum propriis subditis, sed etiam aliis qui litteras dimissorias a iure requisitas exhibeant. CIC, 957, § 2.

Quoad consecrationem vero altarium portatilium, calicum seu patenarum, clausula *intra suum territorium* potius videtur posita ad liceitatem et non ad valorem harum consecrationum, dummodo tales res ad eorum ecclesiarum usum destinentur (46).

(46) Quaeritur an praelati huiusmodi possint necne extra proprium territorium suos subditos privatim confirmare et ordinare? Licetne eis pariter extra territorium calices et patenas sive altaria portatilia consecrare? Certe si id a Sancta Sede *non* conceditur, tales actus consecratorii seu ordinis ab ipsis extra territorium positi non solum habendi sunt tamquam illiciti, sed etiam invalidi. Nam extra suum territorium praefectus apostolicus, utpote sacerdos, si id faceret, actionem nullam poneret. CIC, 1147, § 1.

Quoad ordinationes, quibus aequiparatur a iure clericalis initiatio, licet suis subditis datas, si dentur extra fines sui territorii sunt, ex positiva determinatione legislatoris nullae et irritae. CIC, 957, § 2. Idem dicendum de sacramento Confirmationis si ab ipsis extra territorium administretur, licet agatur de propriis subditis. CIC, 782, § 3.

Ad consecrationem altarium portatilium, calicum seu patenarum, quae ad usum ecclesiarum sui territorii destinantur, pluries vidi homines prudentia praeditos affirmare clausulam *intra suum territorium* non esse ad valorem, sed ad liceitatem, proinde causam iustam permittere harum rerum consecrationem ab ipsis extra proprium territorium, et sic procedunt.

Argumentum sumunt ipsi ex paritate cum sacra supellectili benedicenda, quae ab ipsis benedici potest etiam extra territorium pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii ad normam canonis 1304, 2°. Ratio sufficiens frequenter exstat ex eo quod non raro tum praelati tum calices et altaria se sistunt extra territorium et res istae quamprimum ad suas ecclesias mitti debent. Permanet vero dubium de valore harum consecrationum extra territorium factarum et in casu potius videtur consulenda commissio pontificia ad CIC authentice interpretandum. In praxi vero solvitur difficultas quia *formula minor* privilegiorum SCPF, quae praefectis apostolicis ex ordine sacerdotali ad decennium conceduntur ipsis indulget jus utendi suis facultatibus intra fines suae iurisdictionis tantum, quod idem sonat ac intra fines sui territorii.

Praeter privilegia a iure eis concessa, vicarii seu praefecti apostolici diversis ornantur privilegiis, prout in formula maiore (pro episcopis) vel in formula minore (pro sacerdotibus) a SCPF ad decennium conceduntur, uti sequitur :

1 — Vicarii et praefecti apostolici, etsi episcopali dignitate careant, benedictionem papalem cum indulgentia plenaria impertiri possunt in die solemni Paschae et alio solemniori per annum die, etiamsi iidem Missae solemni adstiterint tantum, adhibita praescripta formula. *Sacra Poenitentiaria*, die 20 iulii, 1942. AAS, 1942, p. 240. Sed iuxta facultates decennales benedictio papalis, de qua supra, ab eis dari potest in tribus solemnioribus per annum festis, ab ipsis seligendis et in die solemni Paschae, id est, plus quam ceteri locorum ordinarii.

2 — Vicarii apostolici, episcopali dignitate ornati, possunt, vigore facultatum in formula maiore datarum sub n. 53, uti throno cum baldachino et cappa magna in pontificalibus; necnon possunt permittere ut presbyteri in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantes eorum nomina, sive in precibus ferialibus Breviarii, sive in canone Missae (non vero in Praeconio paschali), addant, non aliter ac pro episcopis residentialibus.

3 — Privilegium throni cum baldachino et cappae magnae in pontificalibus secum fert ius celebrandi functiones sacras ritu episcopi dioecesani cum diaconis assistentibus, non exclusa salutatione per genuflexionem sed excluso semper septimo candelabro.

4 — Praefecti apostolici ex ordine sacerdotali, tenore facultatum in formula minore eis datarum (n. 53) possunt, durante munere, extra territorium, proinde etiam in Urbe et coram Summo Pontifice, uti insignibus et privilegiis protonotariorum de numero participantium, videlicet habitu praelatitio seu piano cum anulo sed sine cruce pectorali.

5 — Functiones pontificales protonotariis concessas exercere possunt extra Urbem de licentia explicita loci ordinarii uti ibidem legitur.

CAPUT VIII

De Administratoribus Apostolicis

Administrator Apostolicus permanenter constitutus, iisdem iuribus et honoribus fruitur, iisdemque obligationibus tenetur, ac episcopus residentialis. CIC, 315, § 1.

Verba iuris se referunt ad administratorem ex ordine episcopali; nam administrator ex ordine sacerdotali nequit frui omnibus honoribus dioecesani. In praxi tamen dubium non occurrit cum administrator apostolicus permanenter constitutus semper seligatur ex ordine episcopali, ut sua munera, veluti ordinationes maiores, expedire possit.

Unde administrator huiusmodi omnia officia pontificalia in cathedrali vel aliis dioecesis locis sacris exercere debet cum throno, non aliter ac episcopus residentialis.

Titularis dioecesis ab interveniendis functionibus, quae ab administratore fiunt, abstinebit, ut iste suam iurisdictionem libere exercere queat.

Administrator apostolicus ad tempus datus, si charactere episcopali ornetur, ius tantum habet ad honores episcopis titularibus communes, quas vide infra p. 68.

Episcopo qui, ad aliam sedem translatus, prioris retinet administrationem, in hac quoque omnia episcoporum residentialium honorifica privilegia competunt. CIC, 315, § 2, 2°.

Administrator ad tempus ex ordine sacerdotali, ius habet intra fines sui territorii et durante munere ad privilegia pontificalia non aliter ac protonotarius de numero participantium, licet inter protonotarios non adnumeretur. CIC, 315, § 2, 2°.

¶ — Privilegia protonotariorum de numero vide p. 22.

Apostolicus administrator praelaturae seu abbatiae nullius eodem iure regitur ac ille qui dioecesis curam habet. Proinde si ad tempus nominetur, seu ad nutum Sanctae Sedis, ius tantum habet ad pontificalia ad faldistorium nec in throno praelatitio sedere potest, etiamsi sit abbas benedictus vel episcopus consecratus.

CAPUT IX

De Praelatis nullius dioecesis

Praelati qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo, dicuntur abbates vel praelati nullius, nempe dioecesis, prout eorum ecclesia abbatiali vel praelatitia dignitate gaudet. CIC, 319, § 1.

Praelati territorii nullius dioeceseos vel sunt episcopi, vel abbates benedicti, vel simplices sacerdotes, de quibus agendum per singula.

I. — Praelatus seu abbas nullius episcopus.

Licet id non sit de necessitate territorii *nullius*, generatim tamen tum abbates tum praelati huiusmodi episcopali charactere ornantur. Id aliquando fit ex recepto more seu concessione papali, vel explicita declaratione apostolica in litteris erectionis praelaturae (47). Dignitas episcopalis omnino convenit talibus praelatis ut possint omnia sua munera adimplere, non secus ac vicarii apostolici quibus episcopalis consecratio semper conceditur.

Abbas seu praelatus nullius ex ordine episcopali, eo quod thronum cum baldachino habitualiter in sua ecclesia (quae cathedralis nomine exinde exornatur) erigere potest, et omnes functiones pontificales exercere (CIC, 325), concluditur ipsum liturgicis privilegiis gaudere sicut quilibet episcopus residentialis in sua dioecesi, non exclusa praecedentia, cappa magna, et solemni receptione quum in sua cathedrali ecclesia recipitur (EPR, III, n. 159), dempto vero septimo candelabro in Missa pontificali (48).

(47) Abbatiae nullius suum habent abbatem rite benedictum et praelaturae nullius saeculares, excipe praelaturam de *Schneidemühl* in Breslavia, habent tamquam praelatum episcopum titularem. In Brasilia, ubi quinque super viginti praelaturae nullius enumerantur, earum titulares sunt episcopi, et praelati qui charactere episcopali non ornantur administratores ad nutum a Sancta Sede nominantur. Vide *Annuario Pontificio : Abbazie e Prelature nullius.*

(48) Quaeritur an privilegium throni habitualiter concessum abbatibus nullius secum fert necne usum cappae magnae et ius ad reverentiam cleri per genuflexionem? Difficilis agitatur quaestio quae sic etiam poni potest : An huiusmodi praelatis locorum ordinariis cum concessione throni intendit Sancta Sedes etiam alia privilegia episcoporum residentialium dare? Si ad thronum celebrant debentne ritum Missae pontificalis prout in CE habetur servare? Possuntne missae solemni sacris induti vestibus praeesse?

Respondendum censemus : Consule legislatorem qui privilegium concessit. Sed si instent quid in facie iuris liturgici, respondemus prout sequitur.

In iure liturgico privilegium throni cum baldachino est privilegium maximum episcoporum residentialium a quo cetera privilegia pendent, et dari solet patribus

II. — **Praelatus nullius abbas** rite benedictus, ius habet ad thronum cum baldachino habitualiter erectum in sua ecclesia abbatiali et ad cappam magnam. Insuper potest omnes functiones pontificales quae episcopatum non requirunt rite peragere, non exclusa ecclesiarum consecratione (CIC, 323, § 2). Pileolum et biretum erunt violacei coloris, sicut etiam flocculum eiusdem, quae quidem violacea capitis indumenta, ubique, etiam Romae, rite adhibebit (49).

cardinalibus et Sanctae Sedis legatis, qui de iure gaudent fere omnibus privilegiis locorum ordinariorum. Unde si Sancta Sedes praelatis qui ordinariam habent in suo territorio iurisdictionem, uti praelatis nullius dioecesis, maximum concedit privilegium, throni scilicet cum baldachino, ea intentione agit ut episcopis residentialibus aequiparentur. Etenim qui dat magis etiam minus concedit. Amplius : episcopis residentialibus vetatur usus throni sine cappa magna et consulto quidem, nam cappa est vestis propria episcopi quando functionibus liturgicis assistit ad thronum. Praeterea quando loci ordinarius suum thronum dat episcopo extraneo, una cum throno cetera omnia concedit, id est, episcopus extraneus celebrat non aliter ac dioecesanus ipse cuius throno utitur. Casus diversus est ab illo de abbate cui conceditur thronus non habitualiter sed tantum pro casu singulari, scilicet ad missam pontificali ritu celebrandam, ideoque secum non fert privilegium cappae.

Unde respondendum censemus : concessio throni modo habituali locorum ordinariis, ipso iure concedit usum cappae magnae, reverentiae per genuflexionem, et cetera iura uti solemnis assistentiae missae. Id etiam comprobatur privilegio throni et baldachini quod dari solet vicariis apostolicis una cum iure ad cappam pontificalem. *Formula Maior SCPF*, n. 53. Quae tamen dicta sint salvo iudicio illius qui privilegium concessit, nimirum Sacrae Congregationis Consistorialis. Responsiones SCPF, n. 1081 et 1304 ius commune tradunt et thronum cum cappa non concedunt.

(49) Colores pileoli et bireti sunt correlativi, seu unus esto color. Id enim probatur e regula generali : praelati ex ordine sacerdotali utuntur pileolo et bireto nigri coloris, episcopi vero tum pileolo tum bireto violacei coloris, SRE Cardinales pro utroque capitis indumento rubrum adhibent colorem. Consonat rationi et sensu communi : biretum violaceum cum pileolo nigro vel vicissim absonat. Sic enim abbates Praemonstratenses (sicut clerici omnes illius ordinis canonicorum regularium) bireto albi coloris utuntur, proinde etiam pileolo albo solebant adhibere. Cum vero pileolum albi coloris Summo Pontifici reservetur, Abbas generalis Ordinis Praemonstratensis Sacram Rituum Congregationem adivit et, re sedulo perpensa, an pileolum deberet esse nigrum aut coloris habitus religionis (in casu albus), SRC respondit pileolum debere esse nigri coloris iuxta decretum generale Alexandri VII (D. 1131, n. 8), SRC, 31 iulii 1929. Id confirmatur ipso Caeremoniali Episcoporum ubi legitur episcopos ex ordinibus regularibus assumptos uti debere vestibus coloris suae religionis cum bireto tamen nigro (CE, I, 1, n. 4). Nam neque pileolum neque biretum sequitur colorem habitus, sed ambo esse debent coloris nigri. Differentia coloris pileoli et bireti abbatum Ordinis sancti Norberti exceptio est regulae generali : et in casu exortum dubium potius regulam confirmat. Re quidem vera canonici regulares, qui fere omnes albis vestibus utuntur, biretum nigrum adhibent, cum sit color communis bireti omnium clericorum, nam ante sanctum Pium V ipsi patres cardinales regulares nigro utebantur pileolo et bireto et rubro galero, et usque ad Leonem XIII etiam episcopi regulares et saeculares : sic intellegitur regula ab Alexandro VII data de pileolo nigro ab abbatibus adhibendo, quod legi debet etiam de bireto iuxta monitum Caeremonialis Episcoporum.

Solebant canonici sanctissimi Salvatoris Lateranenses uti bireto albo, tamen inde a declaratione SRC diei 26 septembris 1620, a Summo Pontifice approbata, biretum album reliquerunt et nigrum receperunt. Idem fecerunt canonici Sancti Spiritus post rescriptum SRC diei 10 ianuarii 1634 resolutionem capituli generalis ordinis confirmans. BarMon, I, p. 453-4. Tamen SRC permisit Priori Eremitarum sancti

III. — **Praelatus nullius nec abbas nec episcopus** ius habet ad thronum cum baldachino in sua ecclesia praelatitia et ad officia divina ritu pontificali celebranda adhibita etiam cappa magna. Nequit tamen uti mitra pretiosa, quae episcoporum propria est, nec baculo pastorali, eo quod nullibi conceditur. Crucem pectoralem inauratam cum unica gemma, anulum cum gemma, ac pileolum cum bireto violacei coloris, ubique, etiam Romae rite gestabit. Vide litteram Sancti Pii X ad calcem notae 14, libri secundi.

Ei licet benedictiones episcopo reservatas impertiri, calices et patenas, ac altaria et ecclesias ipsas consecrare, intra fines tamen sui territorii. CIC, 323, § 2 et 294, § 1. IA, die 29 ianuarii 1931, AAS, 1931, p. 110. Nequit tamen, expletis functionibus, benedictionem pontificalem dare (50).

Pauli primi eremitae usum "vestium praelatitiarum albi coloris non exclusis pileolo et bireto eiusdem albi coloris", decreto diei 3 februarii 1907, ASS, 41, p. 344.

Sed contra obiicitur ex eo quod Pius IX episcopis pileolum violaceum concessit, Leo XIII vero serius biretum. Sed objectio potius doctrinam nostram confirmat, nam episcopi non pauci in Gallia et aliis regionibus post concessionem pileoli violacei coloris etiam biretum violaceum adhibebant. Leo XIII, tum ad usum passim introductum ratificandum, tum vero ut correlationis servaretur ordo, episcopis per orbem usum bireti eiusdem coloris ac pileoli concessit. Praeterea ipse Leo XIII qui in concessione bireti violacei episcopis edixerat "hoc ita illis proprium volumus, ut alius, qui episcopali dignitate non sit insignitus, huiusmodi ornamento nullatenus potiri queat" (Litteris *Praeclaro divinae gratiae*, die 3 februarii 1888) postea nonnullis praelatis nullius concessit privilegium bireti et pileoli violacei coloris et iussit ut in editione caeremonialis pro novo cardinali legeretur "abbas electus se sistit cum bireto nigro vel violaceo si sit tali privilegio ornatus". Ed. 1898, n. 5. Vide APC, 1903, p. 356.

Proinde dicimus novum iuris privilegium praelatis et abbatibus nullius dioecesis datum de usu pileoli violacei ubique secum ferre usum bireti eiusdem coloris. Sic enim ius interpretantur abbates nullius qui solent non solum pileolum sed etiam biretum violacei coloris adhibere uti argumentum suae territorialis iurisdictionis. Sic etiam Abbas Generalis Ordinis Cisterciensium qui gaudet privilegio pileoli violacei, etiam biretum eiusdem coloris adhibet tum in Urbe tum extra Urbem.

Quo tamen non obstante, canonici qui, potius ex consuetudine quam ex positiva concessione Sanctae Sedis, veluti canonici ecclesiae cathedralis Monacensis, biretum violaceum adhibent intra propriam dioecesim, pileolo nigri coloris utantur necesse est. Agitur enim de usu non praeter sed contra ius commune, strictissime proinde interpretando. Quod de bireto legitur etiam de pileo seu galero intellegi debet. Consule Philippum Bonanni s. j., *Ordinum religiosorum Catalogus cum iconibus*, Romae 1722.

(50) Fateri debemus iura et privilegia liturgica praelatorum nullius verbis iuris non satis explanari. Si agitur de abbate regulari vel de episcopo, res facilius solvitur si ad privilegia abbatum vel episcoporum vertemur. Sed etiam hic res non est satis explanata. Privilegium throni fixi, quod ipso facto ecclesiam abbatialem vel praelatitiam ad dignitatem ecclesiae cathedralis seu sedis evehit, ut nobis videtur, secum fert cetera privilegia episcopi residentialis, non exclusa cappa, uti superius diximus.

Cum agitur de aliis ordinariis codex apertis verbis utitur : sic praefectus, vicarius vel administrator apostolicus, si est ex ordine sacerdotali, habet privilegia protonotarii de numero, quae alibi fusius traduntur. Praelato nullius saeculari lex concedit pileolum violaceum, sed quid de ceteris vestibus vel privilegiis? Ne verbum quidem in CIC. Nullibi, v. g. usus baculi tali praelato conceditur, sed datur facultas consecrandi

Omnes abbates vel praelati nullius, cum vel sine charactere episcopali, possunt, adhibita formula Pontificalis Romani, papalem benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus dare in die solemni Paschae et alio die solemniori pro eorum libitu eligendo. *Sacra Poenitentiaria*, die 20 iulii, 1942.

Praecedentia. Abbas vel praelatus nullius ex ordine episcopali, intra proprium territorium, sequitur regulas pro episcopis residentialibus datas.

Abbas nullius rite benedictus intra proprium territorium praecedit episcopos vel archiepiscopos, excepto proprio metropolita vel praelato superioris gradus. CIC, 347 et 215, § 2.

Extra proprium territorium abbas nullius ibit immediate post episcopos praesentes et ante ceteros abbates; et si plures adsint abbates nullius sequuntur tempus electionis ad abbatiam seu confirmationis electionis a Sancta Sede (51).

Praelatus nullius qui non est episcopus nec abbas, intra proprium territorium praecedit ipsos archiepiscopos, excepto suo metropolita vel praelato superioris gradus. Extra proprium territorium vero ibit ante abbates titulares et protonotarios.

Abbates et Praelati nullius dioeceseos intervenire possunt consistoriis semipublicis ante beatorum canonizationes ad suffragia ferenda, dummodo singuli indultum interveniendi tempestive a Sacra Congregatione Caeremoniali impetrent. SRC, D. 4066.

ecclesias pro qua baculus requiritur. Et sic de aliis. In praxi tamen vix exstat praelatus nullius qui non sit vel abbas benedictus vel episcopus.

(51) Si praelatus nullius non est episcopus extra proprium territorium ius ad pontificalia non habet. Sed mitra praecedentiam concedit. Proinde licet praelatus nullius a CIC episcopus vocetur (can. 215, § 2), tamen extra proprium territorium, veluti in Missa pontificali si chorus sacras accipit vestes, praelatus sedebit post illos qui mitra iure utuntur, quousque aliter a Sancta Sede determinetur. Practica solutio est ut praelatis nullius saecularibus detur episcopalis consecratio, prout facere nunc solet Sacra Congregatio Consistorialis. Vide EPR, III, notas 45 et 61. Circa praecedentiam abbatum nullius utiliter leges dissertationem M. A. Benko, OSB. *The Abbot nullius, CUA*, Washington 1943, p. 101.

TITULUS II

DE POTESTATE EPISCOPALI DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

CAPUT I

De Episcopis

Ius pontificalium nativo titulo pertinet ad episcopos, qui per apostolicam successionem ecclesias sibi concreditas regunt in sollicitudinem Christi ad animarum salutem. Exinde episcopi ad fruendum honoribus pontificalibus ab Ecclesia pleno iure admittuntur.

Episcopi in tres dividuntur ordines, scilicet ii qui dioecesim proprio nomine regunt, quique residentiales nuncupantur, alii qui dioecesibus proprio nomine non praesunt, sed nomine Summi Pontificis tamquam earum administratores seu vicarii; alii coadiutores sunt episcoporum residentialium vel ceteris intenti sunt negotiis. Episcopi secundi et tertii ordinis sedem habent, generatim in partibus infidelium, et episcopi titulares audiunt (52).

Praeconium consistoriale. Facta ab illis ad quos pertinet designatione electorum ad beneficia vel officia consistorialia, et habita confirmatione a Summo Pontifice, fit titulorum collatio per proclamationem nominum electorum in consistorio secreto coram Sacro Collegio, quaeque proclamatio praeconizatio dicitur.

(52) Titulus archiepiscopi solet recentissime dari, specialis argumenti gratia, aliquibus episcopis residentialibus, veluti quando archiepiscopus titularis ad sedem episcopalem residentialem eligitur. Sed id haud intellegitur ex eo quod titulus episcopi vel archiepiscopi datur ratione sedis. Cum agitur de sedibus titularibus difficultas non exstat quia Sancta Sedes sedem episcopalem in aliam archiepiscopalem mutat; sedes residentiales vero haud mutari possunt. Solutio historica esset episcopo transferendo vel promovendo dare *etiam* sedem titularem archiepiscopalem, nam titulus " Archiepiscopus-episcopus " per se nihil significat, licet concedat praecedentiam extra proprium territorium. Benedictus XIV episcopo Papiensi pro tempore titulum Archiepiscopalem concedere volens, perpetuo unitam voluit Ecclesiae Papiensi Ecclesiam titularem Archiepiscopalem Amasiensem in Helenoponto. Litterae *Ad supremam equidem* diei 15 februarii 1743. Opera, tom. 15, p. 269.

Praeconium in consistorio instituit Paulus IV, anno 1557, quique exegit approbationem duarum partium cardinalium ad episcoporum electionem ratificandam, ad hoc enim cardinalibus mittitur *propositio consistorialis* ut possint tempestive de eligendis episcopis certiores reddi. In hodierna legislatione vero nomina in propositione consistoriali apposita iam fuerunt a Summo Pontifice acceptata. Vide Moroni, 15, p. 218 ss.

Post proclamationem nominum novorum cardinalium, si qui sint, in propositione consistoriali nominantur, servata eorum praecedentia, electi ad sedes suburbicarias, patriarchales, metropolitanas, archiepiscopales, episcopales vel nullius dioecesis, cauto quod nullae fiunt declarationes sedium primatialium. Sacra pallia deinde conceduntur patriarchis, metropolitis, vel episcopis eo ornatis, illa postulantibus, nulla facta mentione de primatibus, eo quod sacra pallia metropolitis conceduntur vel etiam patriarchis sed non primatibus. Praeconizationes litteris apostolicis ratificantur. Tamen cum consistoria nunc diutius differuntur, electi extra consistorium tituli collationem recipiunt per litteras apostolicas, quae, inde a sancto Pio X, post consistorium diei 9 novembris 1903, ASS, 36, p. 277, fiunt sub plumbo et in proximiori consistorio publicantur. Sanctus Pius X ita priscum restituit morem, nam usus recentior receptus erat ut sedes episcopales darentur vel confirmarentur in forma brevis.

ART. I. — DE EPISCOPIS RESIDENTIALIBUS

Episcopi residentiales quae sequuntur habent liturgica privilegia :

1 — Utuntur habitu praelatorum proprio, et civili seu piano, cum cruce pectorali et anulo.

2 — Uti possunt omnibus sacris vestibus seu insignibus ordinis pontificalis, ea excepta quae Summi Pontificis vel metropolitae privativa sunt.

3 — Erigendi habitualiter in sua ecclesia cathedrali thronum cum baldachino, et etiam in aliis ecclesiis etiam exemptis sui territorii, sed per modum actus, videlicet si quandoque in illis sacras functiones, quae thronum exigunt, exsequi debent. D. 2212.

4 — Salutationis per genuflexionem simplicem, si praesens non aderit praelatus superioris gradus.

5 — Solemnis receptionis sub pallio cum ad sedem suae dioecesis vel ad ceteras civitates sui territorii prima vice accedunt.

6 — Celebrandi liturgicas functiones ritu pontificali cum mitra et baculo in omnibus suae dioecesis ecclesiis, etiam exemptis, dummodo non teneantur celebrare in sua cathedrali iuxta Caeremoniale.

7 — Nominationis in canone Missae, in precibus ferialibus Breviarii et in Paschali Praeconio.

8 — Celebrandi Sacrum solemniter ad thronum cum diaconis assistentibus et clero seu capitulo sacris vestibus induto, prout in CE (lib. II, cap. VIII) traditur, septem super altari ardentibus cereis.

9 — Res vel personas benedicendi, ordinandi, consecrandi, ut in Pontificali Romano exponitur, quaeque omnia loci ordinario reservantur, pro quibus semper utitur baculo in signum pastoralis sui officii.

10 — Concedendi indulgentias centum dierum intra vel extra sacras functiones.

11 — Receptionis ad ianuam ecclesiae a rectore cum omni clero.

12 — Visitationis ecclesiarum suae dioecesis. EPR, III, sect. IV.

13 — Convocandi synodum dioecesis. EPR, III, sect. III.

14 — Praecedentiae super ceteros omnes episcopos seu archiepiscopos sive primates. CIC, 347.

15 — Assistendi ad thronum, sive cum cappa pontificali sive paratus, missae solemni ab alio celebratae, vel horis maioribus sive solemni benedictioni cum Venerabili, cum cappa pontificali. D. 4302, I-II. Sacris functionibus ad thronum assistens Episcopus loci ordinarius diaconos assistentes habebit. CE, I, 8, n. 4.

16 — Baptizandi pueros vel adultos a presbytero catechizatos. EPR, III, p. 336.

17 — Celebrandi matrimonii sacramentum cum missa ab alio celebranda. EPR, III, p. 351.

18 — Benedicendi solemniter candelas in die Purificationis, cineres feria quarta cinerum, et palmas in earum Dominica, ad thronum ante missam ab alio celebrandam.

19 — Concedendi benedictionem papalem cum indulgentia plenaria in die solemni Paschae et aliis duobus maioribus per annum festivitatibus, servata formula Pontificalis Romani. CIC, 914; *Sacra Poenitentiaria*, 20 iulii 1942, AAS, 1942, p. 240.

20 — Dandi absolutionem ad tumulum post missam de requie ab alio celebratam. IM, n. 30. D. 4355, II, 3.

21 — Solemnium exsequiarum cum quinque absolutionibus et sepulturae in sua ecclesia cathedrali. CIC, 1205, § 2.

Vestibus praelatitiis episcopi residentiales iure utuntur ab accepta notitia suae electionis, sine tamen anulo, sineque cruce pectorali.

Ab accepta consecratione usque ad captam suae dioecesis possessionem episcopi residentiales ius habent ad privilegia liturgica episcoporum titularium tantum. A capta sedis possessione vero, intraque eius limites, omnibus iuribus pontificalibus fruuntur prout supra.

Extra proprium territorium episcopi residentiales habentur tamquam titulares, quorum privilegia tantum habent.

ART. II. — DE EPISCOPIS TITULARIBUS

Episcopi titulares sequentibus liturgicis fruuntur privilegiis :

1 — Utuntur habitu praelatorum proprio, et etiam civili seu piano, cum cruce pectorali et anulo.

2 — Uti possunt omnibus sacris vestibus seu insignibus ordinis pontificalis, exceptis quae summi pontificis, metropolitae vel loci ordinarii privativae sunt.

3 — Celebrare possunt sacras functiones ritu pontificali ad faldistorium cum presbytero assistenti etiam in Urbe, de expresso tamen permissu loci ordinarii, sed sine septimo candelabro et sine baculo, nisi functio illum requirat.

4 — Celebrare possunt missam lectam cum modificationibus pontificalis ordinis propriis, acceptisque sacris vestibus ab altari.

Vestibus praelatitiis, non excluso bireto et pileolo violacei coloris, sed sine cruce pectorali et sine anulo, episcopi uti possunt ab accepta authentica suae electionis notitia.

Vestibus pontificalibus ceterisque sui ordinis privilegiis, etiam quoad missam lectam, episcopi titulares utuntur ab accepta consecratione tantum.

Ad honorifica privilegia quod attinet, episcopis titularibus aequiparantur :

1 — Episcopi residentiales consecrati, nondum capta suae dioecesis possessione.

¶ — Episcopi residentiales ad aliam sedem translati, quousque novae sedis possessionem capiant honorifica episcoporum residentialium privilegia conservant intra limites dioecesis a qua. CIC, 315, § 2, 2°; 430, § 3, 2°.

2 — Episcopi coadiutores vel auxiliares.

3 — Vicarii generales vel capitulares titulo episcopali ornati. CIC, 370, § 2; 439.

4 — Episcopi residentiales extra suum territorium vel metropolitae extra suam provinciam.

5 — Nuntii seu delegati apostolici extra territorium suae missionis.

ART. III. — DE EPISCOPORUM COADIUTORIBUS

Episcopus coadiutor seu auxiliaris fruitur privilegiis liturgicis episcopi titularis tantum, proinde :

1 — In dioecesi ubi est coadiutor vel auxiliaris utetur semper manteleto sine mozeta et, aliis episcopis praesentibus, locum sumit iuxta ordinem promotionis ad episcopatum.

2 — Functiones pontificales celebret ad faldistorium, et quidem sine baculo.

3 — Ab usu throni episcopali abstinebit semper, nec episcopus loci suis auxiliaribus usum throni dare quit. D. 4023.

Quae coadiutor potest et vult exercere, episcopus habitualiter alii ne deleget. CIC, 351, § 3.

Nisi aliud in apostolicis suis litteris constet, coadiutor qui datur episcopo prorsus inhabili, habet omnia iura ac officia episcopalia (CIC, 351, § 2), proinde functiones omnes ritu pontificali ad thronum celebret non aliter ac episcopus residentialis.

Observa tamen : Si episcopus loci, infirmus vel inhabilis, sit SRE cardinalis, coadiutor administrator ab usu throni cardinalis abstinebit, cuius stemmata ubique patebunt.

Si metropolita sit infirmus vel inhabilis, coadiutor cum omnibus iuribus et officiis pallio archiepiscopi nunquam utetur, nec proinde crucem archiepiscopalem ante se deferre faciat.

Quoad indulgentias vero, si nihil hac de re in apostolicis litteris habeatur, coadiutor eas dabit nomine episcopi loci, proinde ducentorum vel trecentorum dierum, prout iste metropolita vel SRE cardinalis sit.

Coadiutor, iusto impedimento non detentus, debet, quoties fuerit a coadiuto requisitus, pontificalia et alias functiones obire, ad quas episcopus ipse teneretur. CIC, 311, § 4.

Coadiutor sedi datus potest in territorio ea quae sunt ordinis episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione (CIC, 352) sed ad faldistorium non secus ac episcopus titularis.

¶ — Si alii locorum ordinarii, utpote vicarii apostolici, administratores apostolici vel praelati nullius, sint ex ordine episcopali, confer quae de illis habetur in sectione I huius libri, capitibus VII, VIII et IX, p. 57-64.

ART. IV. — DE EPISCOPO CANONICO

Episcopus titularis, cum vel sine titulo auxiliaris vel vicarii generalis, qui sit canonicus ecclesiae cathedralis vel collegialis, fruitur omnibus privilegiis episcoporum Basilicarum Patriarchalium Urbis (DD. 1457 et 1469) et sequentes servabit regulas.

1 — Episcopus in choro utetur semper habitu praelatitio episcoporum titularium, id est veste talari violacei coloris (vel coloris ordinis sui) cum rocheto et manteleto.

2 — Episcopus canonicus praecedit omnes dignitates vel canonicos ex ordine sacerdotali (D. 1508), cauto tamen quod hebdomadarius qui officio praeest sedet in scamno seu primo loco chori.

3 — In functionibus episcopi loci, episcopus canonicus nullo fungitur officio, nec presbyteri assistentis, et si chorus sit paratus, induit pluviale cum amictu et accipit mitram albam, quam ipse sibi imponit et aufert. D. 2283, 3, 4, 5, 6.

4 — Episcopus in choro, primo est canonicus, deinde episcopus, proinde quum legit lectiones in officio petit de more et accipit benedictionem in earum initio. In officio cantato tamen lectiones non cantat. Cetera omnia in choro de more facit.

5 — In missis de turno subroget alium, nec fungitur officio hebdomadarii. D. 2283, ad 7.

6 — Incensationem cum duplici ductu et pacem recipit post assistentes throno. D. 2283, ad 1.

7 — Ad circulos coram episcopo, a CE praescriptos, tenetur. D. 2283, ad 2.

8 — In maioribus solemnitatibus vel feriis, loci ordinario impedito, ad missam solemnem ritu pontificali ad faldistorium aut vesperas celebrandas seu ad processiones praesidendas invitabitur.

DE SYNODO DIOECESANA

(Remissive)

Vide EPR, III, sect. III.

CAPUT II

De Vicario Generali vel Capitulari

Vicarius generalis ex ordine sacerdotali eo ipso est praelatus extra Urbem et protonotarius titularis seu ad honorem, nisi ampliori dignitate ornetur, veluti titulo praelati domestici Summi Pontificis. CIC, 370, § 2. Liturgica privilegia protonotarii titularis habes ad p. 27.

Si vero vicarius generalis episcopali charactere fulgeat, gaudet iuribus et privilegiis episcoporum titularium, prout supra, p. 68, habetur. CIC, 370, § 2.

Praecedentia. Vicarius generalis ex ordine sacerdotali "praesente etiam episcopo, publice privatimque praecedentiae ius habet super omnibus dioecesis clericis, non exclusis dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis, etiam in choro et actibus capitularibus". CIC, 370, § 1. SCC, 17 maii 1919 apud AAS, 1919, p. 349.

Proinde, etiamsi sit tantum protonotarius ad honorem, praecedit praelatos domesticos Summi Pontificis, protonotarios ad instar participantium vel supranumerarios, ipsosque abbates benedictos. Locum exinde sumit immediate post episcopos vel post praelatos qui episcopos praecedunt (53).

Si vicarius generalis sit ex ordine episcopali et si praesentes aderint alii episcopi, sedet iuxta ordinem praeconizationis seu promotionis ad episcopatum.

In choro si capitulum ecclesiae cathedralis sacras assumit vestes, et vicarius generalis de eius gremio non sit, erit in habitu praelatitio in loco a canonicis distincto.

Quod si dignitates capituli, vel saltem prima dignitas, usu mitrae gaudent, et vicarius generalis ea uti nequit, quum mitra praecedentiam concedit, vicarius generalis utetur habitu praelatitio et ei parabitur locus segregatus in choro, supra canonicos et dignitates.

In processionibus in quibus sacrae vestes a canonicis assumuntur vicarius generalis ibit post episcopum seu pallium in habitu praelatitio. CE, I, 33, n. 11.

(53) Si in dioecesi adsint dignitates capituli vel extra capitulum qui usu mitrae gaudent, oritur conflictus praecedentiae cum sacrae vestes et mitra praecedentiam concedunt. Expedit proinde ut vicarius generalis sit etiam prima dignitas capituli, vel in maioribus civitatibus seu dioecesibus ut episcopali praefulgeat dignitate et sic melius solvitur difficultas.

Si vicarius generalis sit de gremio capituli, intra functiones capitulares primum locum prout supra occupat, etiamsi alii canonici sint antiquiores, cauto tamen quod haec praecedentia non mutat ius Caeremonialis episcoporum relate ad actus primae dignitatis capituli proprios. Sic prima dignitas hyssopum episcopo ad ingressum ecclesiae tradit, fungitur officio presbyteri assistentis, episcopum incensat et pacem ei tradit, ceteraque exercet prout in Caeremoniali praecipitur.

Vicarius capitularis dioecesis vel praelaturae nullius vicario generali aequiparatur quoad liturgica seu honorifica privilegia et quoad praecedentiam. CIC, 439.

Si vicarius capitularis sit sacerdos invitare debet episcopum extraneum ad functiones ordinis pontificalis exercendas, utpote confirmare, ordinare et olea sacra conficere. Si vero sit episcopus, functiones pontificales facere potest per se vel per alium, cauto tamen quod ei nullo pacto licet uti throno episcopi, vacat enim (D. 1007), nec alio throno etiam extra ecclesiam cathedralem, nec potest thronum ecclesiae cathedralis qui eius non est episcopo extraneo concedere.

Nequit etiam vicarius capitularis indulgentias concedere consuetas nec apostolicam, etiamsi sit ex ordine episcopali.

SCHOLIUM

De Episcopis Auxiliaribus

Episcopi auxiliares in hodierna Ecclesiae legislatione nulla gaudent in dioecesi iurisdictione vel beneficio, nisi eis a loci ordinario detur. Praeterea, mortuo auxiliato, auxiliarius statim suum officium relinquit. Insuper si auxiliaris de gremio capituli ecclesiae cathedralis non sit, fas est capitulo, sede vacante, auxiliari posthabito, unum e suis in vicarium capitularem eligere, sicut pluries iam factum est. Et cum episcopus impeditus, iuxta constitutiones capitulorum ipsiusque Caeremonialis, substitui debet, a prima dignitate capituli substituitur; frequenter enim accidit ut in maioribus solemnitatibus episcopus auxiliaris ad sacras functiones celebrandas loco sui episcopi minime invitetur sed prima dignitas capituli. Ex inde accidit episcopos auxiliares, qui, ratione ordinis, ceteros ecclesiae clericos praecedunt, in praxi iuribus aequivalentibus non frui.

His omnibus difficultatibus satisfieret si iure communi episcopi auxiliares (vel coadiutores sedibus dati) admitterentur uti dignitates supra numerum capituli, nam dignitates de numero ex ordine episcopali nequeunt inservire episcopo ad thronum vel ad altare : id fieret a dignitatibus ex ordine sacerdotali iuxta Caeremoniale; dignitates vero supra numerum ordinis episcopalis supplerent episcopum impeditum; et si dignitates capituli in episcopos auxiliares eligantur eo ipso dignitates vacant et aliae supra numerum creantur. Episcopi auxiliares veluti dignitates supra numerum in suis locis manerent usque ad nominationem successoris et tunc a Sancta Sede confirmarentur vel non, prout in singulis casibus expedire videretur.

DE CANONICORUM CAPITULIS

(Remissive)

¶ — Ius et praxis capitularis pars est et quidem specialis momenti iuris canonici. De eo agit codex pianus a canone 391 ad canonem 422. Hac de re proinde expedit, data opera, alibi questionem explorare. Consule, praesertim quoad partem canonicam, expositores libri secundi CIC, *de Personis*. Hic a nobis agitatur questio de canonicis qui usu pontificalium gaudent vel singularibus privilegiis exornantur et in libro secundo de canonicorum vestibus choralibus.

CAPUT III

De canonicorum capitulis pontificalibus privilegiis gaudentibus

Licet privilegium pontificalium nativo iure ad ordinem episcopalem pertineat, Sancta Sedes nonnunquam eorum usum sacerdotibus qui capitularia conlegia integrant concedit, humanitatis argumentum.

Privilegia protonotariorum, aliorumque praelatorum ex ordine sacerdotali tum singulariter, tum collegialiter, frequenter codificata fuerunt a Sancta Sede, eo praesertim consilio ut episcoporum servaretur dignitas, nam humana praesertim fragilitate, solebant praelati non tantum concessis uti privilegiis, quum ea ampliare et privata auctoritate alia assumere. Principaliores Sanctae Sedis hanc super rem decisiones sunt hae :

1 — Constitutiones Sixti V *Romanus Pontifex* (XVI kalendas decembris 1585) et *Laudabilis* (nonis februarii 1586) de Protonotariis de numero, quos ad duodenarium numerum ampliavit.

2 — Decretum SRC 1131, coram Alexandro VII, datum die 27 septembris 1659, una cum decreto SRC 1163 (20 iulii 1660) ab eodem Pontifice confirmatum.

3 — Decretum SRC 1728 (22 aprilis 1684) de usu mitrae.

4 — Decreta SRC : 2376 (31 martii 1744); 2377 (16 maii 1744);et 2418 (29 ianuarii 1752), quae apostolicis litteris *In throno iustitiae*, die 28 februarii 1752 datis, Benedictus XIV confirmavit. Opera, 17, I, p. 343.

5 — Decretum SRC 2583 (27 aprilis 1818) cum insequenti constitutione Pii VII *Cum innumeri* (13 decembris 1818).

6 — Decretum SRC 2624 (27 augusti 1822) cum insequenti constitutione *Decet Romanos Pontifices* (4 iulii 1823) eiusdem Pii VII, agens de canonicis aliisque praelatis pontificalibus privilegiis fruentibus.

7 — Constitutio Pii IX *Apostolicae Sedis* (quarto kalendas septembris 1872) SRC 3262, de protonotariis ad instar participantium.

8 — Constitutio apostolica (in forma motu proprio) Sancti Pii X *Inter multiplices curas* (= IM, 21 februarii 1905), SRC 4154, de diversis protonotariorum ordinibus et de praelatis romanis.

9 — Constitutio Apostolica Pii XI *Ad incrementum decoris* diei 24 iulii 1934 (AAS, 1934, p. 497-521), de Conlegio Praelatorum et de Praelatis omnibus Romanae Curiae.

Sanctus Pius X, collectis in unum privilegiis protonotariorum quatuor classium, voluit ut canonicorum capitula per Orbem, qui pontificalibus gaudebant privilegiis, ad uniformitatem cum sua constitutione *Inter multiplices curas* revocarentur. Id facile erat pro praelatis tamquam singulis, sed difficile pro illis qui suorum capitulorum consuetudines sequebantur et quidem peramanter. Iussit enim Papa " ut in pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis conlegiis (capitulorum) pertinenti in posterum ampliora suffragantur privilegia, quam quae ... competunt protonotariis, sive supranumerariis, sive *ad instar*, et quidem non ultra propriae ecclesiae, aut ad summum dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites, et quae arctiora sunt ne augeantur ". IM, n. 80.

Praeterea iussit sanctus Pius X ut singuli locorum ordinarii, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio (si de exemptis agebatur) aliquis ex praedictis coetibus canonicorum inveniatur, documenta apostolicarum concessionum ipsis faventia intra tres menses ad Sacram Rituum Congregationem mitterent, sub poena immediatae amissionis eorum quae occultaverint, et ut parati sese ostenderent privilegia maiora minoribus coarctari. IM, n. 81.

Uti apparet, episcopi quorum capitula pontificalibus privilegiis fruebantur, constitutioni sancti Pii X obtemperare curaverunt. Responsiones episcoporum intimationi Papae, eiusque ad eos responsiones,

exstant in scrinio Sacrae Congregationis Rituum pro anno 1905. Piacenza, EL, 06, p. 259; 07, p. 147. Vide notam 109 libri II, p. 162.

Clemens XI canonicis ecclesiarum metropolitanarum Mediolanensis et Beneventanae, et postea ecclesiae patriarchalis Lisbonensis, privilegium indulsit pontificalium cum clausula *ad instar abbatum*, sine aliis declarationibus. Sed talem loquendi modum relinquit Sancta Sedes ex eo quod abbatibus pontificalia conceduntur ad thronum cum baculo ad instar episcoporum residentialium; canonicis e contra dantur pontificalia ad instar episcoporum titularium ad faldistorium, vel ad instar sacerdotum ad scamnum. Huiusmodi tamen concessio sine restrictionibus (54) diversos intulit usus : Mediolani unum, Lisbonae alium, quique omnes, consuetudine potius quam explicita Sanctae Sedis concessione, in usum receptum transierunt (55).

(54) Dicimus *sine restrictionibus* quia solebant ita legere verba *ad instar abbatum* praelati seu canonici quibus usus pontificalium concedebatur. Sed Summi Pontifices cum verbis istis intentionem habebant concedendi privilegia pontificalia ad mentem decreti Alexandri VII (D. 1131), cuius observantiam saepe saepius urgerunt, praesertim Benedictus XIV litteris SRC diei 31 martii 1744, D. 2376. Tandem Pius VII litteris *Decet Romanos Pontifices* (D. 2624) decretum Alexandri VII ad usum capitulorum, qui privilegiis pontificalibus fruebantur, adaptavit. In istis, aliisque decretis, mens legislatoris semper eadem est : privilegia pontificalia praelatis inferioribus, inter quos primo loco adnumerantur abbates, restringere, nam pontificalia *per se* ordinis sunt episcopalis. Exinde sequitur privilegia praelatis seu canonicis data cum verbis ad *instar abbatum* fuisse pauca revera et non illa amplissima quae sibi arrogabant praelati seu canonici privilegiati, praesertim in ecclesiis cathedralibus in quibus usu throni non fruebantur. Secus enim, id est, si ampliora privilegia concederentur, contra se ipsos agerent Pontifices Maximi.

Post codificationem privilegiorum protonotariorum privilegia pontificalia dari solent ad eorum instar. Tamen exstant recentiores concessiones privilegiorum abbatum pro ecclesiarum rectoribus. Sic sanctus Pius X die 17 decembris 1912 privilegium abbatum ad instar concessit Parocho Concilii (Hof-und Burgpfarrer) Vindobonensis et Pius XI die 8 septembris 1933 Magno Magistro Germanici Ordinis pro tempore dignitatem abbatialem concessit cum privilegio pileoli violacei coloris. Sed vide notam 49, huius libri I et verba Leonis XIII. Pius IX dignitatibus et canonicis Ecclesiae Metropolitanae Siracusanae dedit usum pontificalium ad instar abbatis Montis Cassini. Sed, prout aperte docet SRC, conceduntur insignia pontificalia, non vero ritus pontificales abbatis. D. 3093, II. Seu verba *ad instar abbatum* vel etiam *ad instar abbatis Montis Cassini*, quae legi debent ad mentem decreti Alexandri VII, demptis ritibus seu functionibus ad thronum, in praxi multo minus concedunt quam privilegia protonotariorum apostolicorum participantium vel etiam ad eorum instar. Hac de re egit Philipp Hofmeister OSB, Neresheim, *Das Pontifikalprivileg more abbatum*, *Liturgisches Jahrbuch*, 1951, p. 75-101; 1952, p. 15-43.

(55) Capitulum Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis tempore Iohannis V Regis Portugalliae († 1750) amplissimis privilegiis auctum est, non exclusis vestibus rubri coloris et omnibus fere episcoporum vel cardinalium privilegiis. Nunc tota haec imitatio Sacri Collegii pars historiae est, et per breve Pii IX, *Iam inde ab anno*, diei 30 martii 1855, cum rescripto S. C. Concilii, diei 21 septembris 1903, omnia fiunt ad normam iuris. Tamen facilior redderetur tota haec per saecula lis si sex dignitatibus Capituli simpliciter concederentur privilegia protonotariorum supra numerum : liceret eis uti mitra e serico damasceno et non tantum linea, et sic de aliis. Lectores remittimus ad opusculum *Privilégios do Cabido de Lisboa*. Vide appendicem *De Patriarcha Lisbonensi* et notam 100 libri secundi de rubinis canonicorum vestibus, p. 156.

Sic explicatur usus baculi pastoralis penes canonicos neapolitanos, aliosque. Quem quidem extra ordinem usum, ipsis episcopis titularibus denegatum, Benedictus XIII concessit canonicis Ecclesiae Lucencis, ab ipso, anno 1726, ad dignitatem archiepiscopalem elevatae. Vide *Benedictus XIV*, Opera, XI, p. 83. Forsan Benedictus XIII, liturgista emeritus, putabat usum mitrae sine baculo dari non debere, cum sint res correlativae. Sed etiam quatuor dignitates capituli ecclesiae metropolitanae Sipontinae (Manfredonia) utuntur mitra et baculo, ius ipsis a Papa Caelestino III anno 1195 concessum, et hodie usque in usum. Sacra Rituum Congregatio tamen declaravit usum baculi canonicis antiquitus concessum esse taxative et strictissime interpretantum, videlicet in ipsa ecclesia cathedrali ad missam solemnem et absente ordinario, nec ad incensationem adhibendum. D. 3765, diei 12 februarii 1892. Quibus tamen non obstantibus, usus baculi pastoralis, ex positiva voluntate sancti Pii X, episcopis reservatur. Vide n. 4 infra.

Ex iis documentis constat :

1 — " Sacra peragere ritu pontificali de iure inhaeret episcopali dignitati " (D. 2624, n. 1), et praelatis ex ordine sacerdotali conceditur privilegio exclusivo Summi Pontificis, a cuius voluntate pendet.

2 — Privilegium pontificalium protonotariis apostolicis, ceterisque praelatis ex ordine sacerdotali concessum " utpote laesivum dignitati episcopali, de iure strictissime est interpretandum ". D. 2624, n. 5. IM, n. 80.

3 — Nemini licet privilegia pontificalia vel praelatitia sibi arrogare, neque si hac de re exstat consuetudo immemorialis, etenim Summus tantum Pontifex privilegia huiusmodi concedere potest.

4 — Non intendit Apostolica Sedes protonotariis concedere privilegia quae ipsis episcopis titularibus denegantur, praesertim usum throni cum vel sine baldachino, septimum candelabrum, baculum pastoralem, cappam pontificalem, diaconos assistentes. IM, n. 6. Litterae sancti Pii X ad Commissionem Liturgicam, EL, 1906, p. 260 et p. 163 infra. Insuper :

5 — Quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in motu proprio *Inter multiplices* contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint, libere et licite retineantur; quae vero contraria exstent, ea tamquam abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. D. 4162, diei 14 martii 1906.

Sancta Sedes aliquando capitulis concedit privilegia protonotariorum de numero et ii supranumerarii vocantur, vel solummodo privilegia protonotariorum ad instar, qui in nulla speciali classi adnumerantur; vel privilegia talia concedit dignitatibus capituli et non omnibus canonicis.

Inter canonicos supranumerarios imprimis numerantur canonici, etiam honoris tantum causa, trium Patriarchalium Basilicarum Urbis, videlicet Lateranensis, Vaticanae et Liberianae, sunt enim protonotarii apostolici supranumerarii ad vitam. Fruuntur proinde pontificalibus privilegiis protonotariorum participantium dummodo per breve apostolicum intra praelatos domesticos adscripti fuerint, et praescriptum fidelitatis iusiurandum Decano Conlegii Protonotariorum, per se vel per legitimum procuratorem, praestiterint. IM, n. 34.

Canonici harum trium Patriarchalium Basilicarum Urbis, ob Summi Pontificis praesentiam, pontificalium privilegium exercere nequeunt, proinde illis permittitur ut in ecclesiis totius Orbis, impetrata ordinariorum venia ac praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, vesperas et missam operari valeant ad faldistorium ritu protonotarii supranumerarii, aliasque sacrae functiones peragere cum mitra. IM, n. 33.

Capitula seu eorum per orbem dignitates qui pontificalibus privilegiis ornantur a capitulis Basilicarum Urbis exemplum sumere debent et se illis conformare. Relationem fere absolutam horum capitulorum habes ad calcem (56). Fatendum tamen sic amplissima privilegia vilescere quando non solum dignitatibus sed omnibus canonicis non exclusis honorariis conceduntur qui sat frequenter inter iuniores

(56) Privilegiis protonotariorum supra numerum fruuntur durante munere quae sequuntur capitula canonicorum Italiae :

Patriarchalis Basilicae sancti Marci, Venetiis, concessione Pii IX, litteris sub plumbo *Romana Ecclesia*, die 3 iulii 1860.

Ecclesiarum Metropolitanarum quatuor, videlicet : Florentinae, Panormitanae (et etiam capellae Palatinae), Goritiensis et Utinensis, inde a Benedicto XIV, litteris datis die 29 aprilis 1755.

Ecclesiarum suffraganearum Patriarchatus Venetiarum duarum, videlicet Concordiensis et Pataviensis. Benedictus XIV, vol. 15, p. 345.

Specialissimis gaudent privilegiis pontificalibus canonici Ecclesiae Metropolitanae Mediolanensis a Clemente XI concessis; praeterea sunt comites *delle Tre Valli* et, inde a concessione Leonis XIII, omnes praelati domestici Summi Pontificis eliguntur. Leo XIII, *Opera*, XIV, p. 183.

Dignitates capituli ecclesiae metropolitanae Beneventanae, inde a concessione Clementis XI, gaudent iure pontificalium more abbatum non secus ac canonici Ecclesiae Mediolanensis et sunt abbates nullius ad instar sancti Lupi. Quid sibi velit hoc nescimus. Benedictus XIV, *De Synodo*, III, cap. XI, n. 11.

Iure pontificalium ad faldistorium gaudent canonici Ecclesiae Metropolitanae Neapolitanae.

Canonicis omnibus, proinde etiam honoris tantum causa electis, Ecclesiae Metropolitanae Lucensis Benedictus XIII concessit " usum omnium pontificalium ac

sacerdotes eliguntur. Expedit proinde pontificalia privilegia restringere ad mentem sancti Pii X, non tantum quoad modum seu gradum verum etiam quoad numerum sacerdotum qui sic exornantur (57).

Canonici protonotarii in choro uti debent vestibus propriis capitulo a Sancta Sede concessis, nec uti possunt manteleto, nisi hoc eis specialiter concessum venit, secus tamquam absentes habendi sunt. Semper

omnibus insigniis abbatialibus ac cruce, annulo et baculo, aliisque indumentis *ad instar abbatum* usum mitrae et baculum habentium, necnon in suis armis et insigniis mitram et baculum apponi facere et addere, necnon populum inter missarum solemnia aliarumque functionum benedicere ". BulRom Benedicti XIII, p. 209, diei 15/2/1726. Sed mitram ex serico albo tantum (n. 1) et dummodo sint pluviali induti. Vide EPR, I, notam 19.

Canonicis Ecclesiae Capuanae idem Pontifex concessit privilegia suae Ecclesiae Beneventanae "... mitra, aliisque indumentis et paramentis..." et in suis armis mitram apponi..., BulRom Benedicti XIII, p. 165. Canonicis Ecclesiae Viterbiensis privilegia protonotariorum concessit Pius VII, die 19 iulii 1805. Bul. Pii VII, I, p. 719.

Sunt protonotarii *ad instar participantium* canonici ecclesiarum metropolitanarum quae sequuntur :

In Italia :

Bononiensis; Calaritanae; Mutinensis; Senensis inde a Pio VII; Urbinatensis. Litterae *In throno iustitiae*, Benedicti XIV datae die 28 februarii 1752. Opera, 17, I, p. 343 ss. Nomen tamen ultimi capituli in *Annuario Pontificio* non legitur, sed nec Ecclesiae Senensis.

Canonici, etiam honoris tantum causa, Ecclesiae Cathedralis Tarvisinae sunt protonotarii apostolici ad instar durante munere, et, ex speciali concessione sancti Pii X, etiam singulariter et extra Dioecesim Tarvisinam. Ait sanctus Pontifex " in capitulum illud cathedrale et nos ipsi adlecti fuimus ". Litterae *Singularis prorsus*, diei 5 decembris 1903. ASS, 37, p. 7.

Extra Italiam gaudent privilegiis protonotariorum ad instar :

Canonici ecclesiarum metropolitanarum Pragensis, Melitensis et Strigoniensis;

Dignitates quatuor Ecclesiae Metropolitanae Fluminis Ianuarii in Brasilia. Rescriptum SCC diei 13 februarii 1906, antiquum usum inde a tempore Regis Iohannis VI ratificans;

Dignitates sex Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis gaudent usu pontificalium ad faldistorium *ad instar abbatum* iuxta breve Pii IX, diei 30 martii 1855. Sed cum mitra simplici alba linea iuxta responsionem SCC diei 21 septembris 1903 ad secundum. *Privilégios do Cabido*, p. 45.

(57) Quam plurima capitula canonicorum Italiae privilegiis pontificalibus exornantur, id explicatur cum notum sit in hisce ultimis saeculis fere omnes summos pontifices ex Italia venisse. Generatim Papae erant prius episcopi residentiales, et ad pontificatus apicem elevati, suas ecclesias honestare voluere. Sed aliae erant rationes, praesertim humana vanitas : unusquisque primum locum pro sua ecclesia volebat. Sic Hugo Guirardi, Archiepiscopus Beneventanus, scripsit anno 1374 " Nos pro nostra Ecclesia Beneventana, prae ceteris ecclesiis metropolitanis maiori, digniori et praecellenti... (plus volumus) ", etenim fundata est saeculo primo. Sarnelli, *Memorie cronologiche dei Vescovi ed Arcivescovi di Benevento*, Napoli 1690 a Heim, *Droit héraldique*, citatus. Ex inde sequitur canonicos infulatos in Italia, etiam honoris tantum causa, numerari non posse, multiplicantur enim ad instar stellarum caeli, sed nec nos absolutam relationem dedimus, et Benedictus XIV confitetur eorum numerum ignorare. *De synodo*, III, c. XI, n. 11.

tamen licet uti habitu talari violacei coloris sine cauda et zona pariter violacea. IM, n. 19 et 52.

Canonici protonotarii supranumerarii pontificalia agunt ad faldistorium; qui vero gaudent privilegiis protonotariorum *ad instar* missam et vesperas ritu pontificali ad scamnum agunt. Vide lib. III, p. 323 et 326.

¶ — 1. De eorum vestibus praelatitiis vel pontificalibus suis locis agitur.

2. De sacris ritibus ab eis servandis in functionibus pontificalibus sive in missa praelatitia agitur in Caeremoniali.

3. Regulas pro usu mitrae in choro habes in libro II, p. 175-178.

4. Quoad cetera privilegia eorum vide lib. I, cap. V, art. III, B, *De protonotariis supranumerariis*, p. 24.

CAPUT IV

De Abbatibus regularibus

Abbates per solemnem benedictionem Pontificalis Romani quemdam liturgicum characterem accipiunt. Etenim benedictio abbatis in multis ipsae episcoporum consecrationi ritibus aequiparatur. Nihil proinde mirum si abbates hi vel illi episcoporum privilegia, pontificalium praesertim, a summis pontificibus sint impetrati. Sed cum res gratiosae sint ampliandae, odiosae vero restringendae, abbates nonnulli concessis privilegiis alia addiderunt. Frustra tamen, nam in iure " privilegium tantum valet quantum sonat ", et ex ipsius tenore aestimandum est. CIC, 67. Cum vero " privilegia adquiri possint non solum per directam concessionem... et per communicationem sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem " CIC, 63, pontificalia privilegia uni abbati seu abbatiae concessa, ceteri abbates ea sibi data putaverunt. Et res eo devenerunt ut fere omnibus privilegiis episcoporum abbates uti consueverunt.

Tandem ad abusus coarctandos et ad dignitatem ordinis episcopalis servandam, Alexander VII decretum dedit generale, die 27 septembris 1659, " circa usum pontificalium a praelatis episcopo inferioribus " D. 1131. Nam Caeremoniale Episcoporum saeculum ad dimidium ante evulgatum de abbatibus fere nihil edixit. Proinde Caeremoniale quodammodo absolvi voluit Alexander VII, de abbatibus et praelatis leges statuens.

Tenore huius decreti abbatibus, sive regularibus sive saecularibus (D. 1178), etiamsi nullius essent dioecesis, licitum erat pontificali ritu, et quidem ad thronum cum baldachino, in tribus solemnioribus per annum diebus sacrum facere, et vesperis sive laudibus praeesse. Ceteris per annum diebus et in aliis quibuscumque liturgicis functionibus, sive intra sive extra eorum ecclesias, usus pontificalium ipsis interdictus venit. Insuper abbatem in missa lecta celebranda a simplici sacerdote discrepare non licebat.

Decretum Alexandri VII usum pontificalium abbatibus vix permisit : ter in annum et quidem ad missam et ad vesperas! Usus exstabant contrarii et abbates sese Sanctae Sedi iteratis vicibus opposuerunt, quae aliquantulum decretum mitigavit, permittens usum pontificalium in ordinationibus et quoties sacra olea erant adhibenda. D. 1163. Deinde, decursu temporis, abbates, vel novis obtentis apostolicis privilegiis vel propria auctoritate, ad missam ceterasque functiones liturgicas celebrandas ritu pontificali utebantur.

Inde a decreto generali Alexandri VII anni 1659 privilegia abbatum codificata iterum non fuerunt. Post codificationem vero privilegiorum protonotariorum apostolicorum a sancto Pio X factam, vel praelatorum Romanae Curiae a Pio XI, codificatio privilegiorum abbatum ad bonum commune valde desideratur, et in votis omnium est ut quamprimum fiat. Quousque talis codificatio a Sancta Sede facta veniat, quae sequuntur regulas in unum collegimus, non pro lubitu, sed visis principiis et regulis iuris liturgici prout hodie exstant in Ecclesia ad mentem canonum 325 et 625 Codicis Iuris Canonici.

In iure sunt *superiores maiores* " 1) abbas primas, 2) abbas superior congregationis monasticae, 3) abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam congregationem pertinentis " (CIC, 488, n. 8°), qui etiam *praelati regulares* audiunt. Praeterea exstant abbates benedicti qui in coadiutores cum iure futurae successionis eliguntur vel alia de causa benedicuntur, uti procurator generalis Sacri Ordinis Cisterciensium, aliique. Aliquando dignitas abbatialis a Sancta Sede conceditur honoris tantum causa sine ecclesia abbatiali.

¶ — 1. De abbatibus ad honorem sive de regimine, qui titulo abbatis fruuntur sed non benedicuntur hic non agitur eo quod nullo gaudent liturgico sive pontificali privilegio.

2. De abbatibus vel praelatis nullius dioecesis cum territoriali iurisdictione agitur in capite IX, tituli I huius libri.

A — De abbatibus benedictis intra propriam ecclesiam

Abbates de regimine rite benedicti, intra limites ecclesiae sui tituli, functiones solemnes ritu pontificali exercere queunt cum mitra et baculo, qui sequitur ordine :

1 — Missam solemnem celebrant ritu pontificali ad thronum, cum presbytero et duobus diaconis assistentibus et quatuor clericis pro insignibus D. 1163, ad 7, praeter diaconum et subdiaconum de more. In choro seu scamnis sedebunt presbyteri sex ex dignioribus monasterii; cum pluvialibus duo, cum planetis duo, cum dalmaticis duo, ad instar chori sacris vestibus parati, vel sex cum pluvialibus seu planetis. Super altari sex tantum ardebunt cerei D. 348 et celebrans a clero per genuflexionem salutabitur D. 3059, ad 20.

2 — Pontificali ritu missam celebraturi, etiam vesperas eiusdem missae eodem ritu celebrabunt.

3 — Ceteras functiones liturgicas, quae ritu pontificali fieri debent, quoties eas facere debent de iure vel de indulto apostolico, ut rerum vel personarum consecrationes, ritu pontificali agunt.

4 — Missam pontificalem iis celebrantibus coram loci ordinario vel coram praelato superioris gradus, praelatus sedet in throno a latere evangelii, abbas vero sedet ad faldistorium et omnia facit prout in missa a loci ordinario celebrata ad faldistorium coram SRE cardinali. D. 4562, 26 novembris 1919 (58). Abstineant tamen episcopi ... a frequenti huiusmodi accessu ad ecclesias exemptas ... ut liberius abbates valeant suis uti privilegiis. D. 1131, n. 16.

5 — Fas non est abbatibus cum pluviali et mitra vel cum cappa, si eius usu gaudeant, missae solemni ad thronum assistere, cum sit privilegium loci ordinarii vel praelati superioris gradus; nec possunt abbates ceteris episcoporum residentialium uti privilegiis. Vide p. 66-67 (59).

(58) Iuxta decretum Alexandri VII abbas missam pontificalem celebrans coram loci ordinario id faciat in throneto seu sede cum duobus gradibus a latere epistolae, et episcopus faciat confessionem cum abbate (D. 1131, n. 15). Sed in praxi talis agendi modus male exsecutioni mandatur nec respondet principiis servatis in missa loci ordinarii coram SRE cardinali, nam ordinarius celebrat ad faldistorium et cardinalis recitat confessionem in sede sua. Casus sunt fere identici. Id confirmatur a SRC in D. 4355, III, ad 4, ubi citatur CE, I, 23, n. 24; et II, 9, n. 5.

(59) Iam ante Alexandrum VII privilegia abbatum coarctari voluit Sancta Sedes. Sic SRC die 18 martii 1617 (paucis proinde annis post promulgationem Caeremonialis Episcoporum) decretum dedit generale usum pontificalium abbatum restringens non quoad dies sed quoad modum D. 348. Elapso fere saeculo a promulgatione decreti

6 — In missa lecta publice celebranda sequuntur ordinem Caeremonialis Episcoporum.

¶ — 1. Quoad formam throni et quoad vestes pontificales confer librum sequentem.

2. Quoad tonsuram et ordines minores ab abbatibus conferendos, vel ceteras functiones Pontificalis Romani exercendas, confer EPR.

Papae Alexandri, ipse Benedictus XIV, praeclarum Ecclesiae luminare, litteras dedit circulares die 31 martii 1744 de decreto sui praedecessoris servando, frustra tamen. D. 2376 et in EL, 1934, p. 104. Ad quaestionem recte intellegendum necesse est eam ab incunabulis explanare.

1. — Saeculo x usus mitrae Summo Pontifici reservabatur, qui eius usum episcopis concedebat uti privilegium singularis momenti. Ad rem Egerton Beck " En 1049 saint Léon IX en gratifie Eberhard, archevêque de Trèves et ses successeurs avec l'injonction d'avoir à la porter dans les fonctions ecclésiastiques *more romano*, afin qu'ils se souviennent qu'ils sont les disciples du siège de Rome (MPL, CXLIII, col. 594-5). Trois ans plus tard, la mitre est accordée par le même pontife à l'évêque de Mayence (*ibid.*, col. 696). Onze ans plus tard, en 1063, Alexandre III la concède à Burchard, évêque d'Halberstadt (MPL, CXLVI, col. 1286-7). Pareille faveur est encore accordée à deux évêques en 1119, à savoir aux évêques d'Utrecht (MPL, CLXIII, col. 1130) et de Naumburg (Jaffé 6766). Vers le milieu du XII[e] siècle la mitre était devenue le revenant-bon de tous les évêques par concession ou par appropriation pure et simple ".

2. — " Le plus ancien exemple que nous ayons de concession du même privilège à un abbé est celle qui fut faite à l'abbé bénédictin de Saint-Augustin de Cantorbéry par Alexandre III en 1063 (Jaffé 4541), l'année même de la concession faite à l'évêque d'Halberstadt et un demi-siècle avant que pareil honneur fût octroyé aux évêques d'Utrecht et de Naumberg. La seconde concession attestée par un document fut faite en faveur de l'abbé d'Echternach en 1069 (Jaffé 4667). Suivant Moroni, l'abbé de Mont-Cassin aurait reçu la mitre, à son tour, en 1088 (vol. 45, p. 278). Elle fut aussi donnée en 1088 à l'abbé de Cluny (Jaffé 5372); à l'abbé de Saint-Laurence d'Aversa en 1092 (Jaffé 5466, et vide 5551, 6442, 6406); à l'abbé de Nouantule en 1103 (Jaffé 6354; 6717)... Elle ne fut accordée à tous les abbés de la congrégation cassinienne que par le pape Paul IV de 1559 à 1565 (Cocquelines, Bull. priv. IV, 2, 239) ". *La Vie et les Arts liturgiques*, Paris 1925-6, p. 64. Ab initio usus mitrae venit concessus fere eodem tempore episcopis et abbatibus, necnon praepositis maiorum capitulorum, qui abbatibus aequiparabantur.

3. — Privilegium mitrae solebat secum ferre privilegium aliorum pontificalium, sicut crucis pectoralis et baculi, nec in more apostolico erat definire in quibusnam rerum adiunctis abbates vel episcopi mitram poterant adhibere, sed aiebant tantum *more romano;* serius Clemens XI aliique Papae privilegium mitrae concedentes canonicis edixerunt *more abbatum.* Nihil proinde mirum si tempore Alexandri VII videbas abbates cum mitra et vestibus pontificalibus *more episcoporum.* Nam licet nonnulli abbates concessis privilegiis alia maiora privata auctoritate usurparent, non defuerunt qui nec mitra uti volebant quasi minime monasticae vitae conveniente. Sic Divus Bernardus " ... utentes ipsi (abbates), more pontificum, mitra, anulo atque sandaliis, ... multo labore ac pretio apostolicis adeptis privilegiis, ... si attenditur ministerium solis liquet congruere pontificibus, ... professio monachi hanc (dignitatem) abhorret ". *De moribus et officio episcoporum*, cap. IX, n. 36. Abbates sancti Norberti ab usu pontificalium per longum tempus declinarunt sicut alii non pauci, idque confirmavit Innocentius III (ep. 196). Cf. D. Gillet OSB, *La Bénédiction des abbés, La Vie et les Arts liturgiques*, Paris 1923-4, p. 497. De usu mitrae ab abbatibus agit cardinalis Bona, *Rerum Liturgicarum*, lib. I, cap. XXIV, art. XIV circa finem.

B — De abbatibus benedictis extra ecclesiam propriam

1 — Extra propriam ecclesiam, ex iteratis prohibitionibus SRC, nequeunt abbates sacrum pontificali ritu celebrare vel ceteras liturgicas functiones peragere. DD. 577; 768; 803; 873; 1131 ad 8 et ad 19; 1815. Cum tamen soleant abbates observare prohibitionem ipsis impositam de non celebrando sacro solemniter nisi ritu pontificali RSM, II, 6 abbates prohibentur missam solemni ritu celebrare extra propriam ecclesiam (60).

2 — Quoad functiones pontificales, ecclesiae paroeciales vel aliae regularibus eiusdem ordinis commissae in quibus abbates iurisdictionem exercent, habentur veluti propriae, et abbates possunt in illis pontificalia exercere etiam sine licentia loci ordinarii. D. 4098, II, III.

3 — Semper licet abbatibus ceteros sui ordinis abbates invitare ad pontificali ritu celebrandum in suis ecclesiis D. 2080, ad 3, sed abbates extranei in casu celebrant ad faldistorium ritu episcopi titularis.

4 — Abbates qui ex speciali privilegio apostolico functiones pontificales extra proprium territorium exercere possunt, de expresso

Sanctissimus vir in contrariam partem tamen nihil affert. Hac de re vide Dom Martene, lib. II, c. I, n. IV, ed. Veneta, II, p. 146.

4. — Usus pontificalium abbatum ad tres maiores per annum solemnitates restringere nec Alexander VII nec Benedictus ipse XIV consequuti sunt. Sanctus Pius X, sanctissimae memoriae, pro protonotariis aliud sequutus est principium : missam pontificalem celebrare possunt quoties erit necessarium, ipsis per annum feriis maioribus non exclusis, sed de expresso permissu loci ordinarii et minore apparatu. Expedit proinde ut abbatibus solemni ritu ab Ecclesia benedictis, et per tot saecula privilegiis pontificalibus fruentibus, permittatur id quod protonotariis et praefectis apostolicis non denegatur. Non tamen convenit omnia privilegia episcoporum residentialium abbatibus concedere etiam intra suas ecclesias, sicuti frequenter vidimus et in ipsis libris ritualibus congregationum monasticarum habetur. Exemplum codificationis pontificalium abbatum dedit sanctus Pius X, quando, celebrans iubilaeum sui sacerdotii, rectorem pro tempore ecclesiae Castrifranci " in qua sacerdotium inivimus et salutarem hostiam primum litavimus " in abbatem saecularem elegit. Litterae *In hac sublimi* diei 3 iulii 1908, Acta Pii X, vol. V, p. 281.

(60) In hodierna legislatione protonotarii apostolici possunt ubique extra Urbem missam ritu pontificali celebrare de licentia loci ordinarii, praefecti apostolici eodem gaudent privilegio etiam extra proprium territorium (SCPF, formula minor, n. 53). Abbates solemniter benedicti tamen id nequeunt. Fas est proinde abbatibus benedictis, re prius mature perpensa, Sanctam Sedem adire ad indultum impetrandum ut possint missam et vesperas ritu pontificali extra proprias ecclesias facere de licentia loci ordinarii (D. 2923) et ad faldistorium more romano cum mitra auriphrygiata et sine baculo, ritu episcoporum titularium. Id dicimus ex eo quod non desunt abbates qui pontificali ritu celebraverunt extra proprias ecclesias, throno et baculo non exclusis. Propterea etiam recentissime Emus Archiepiscopus Mediolanensis (OSB) Sacram Congregationem Rituum consuluit an id liceret, et Exmus Secretarius respondit *Non licere.* Evidenter enim non licet. *EpLit*, 1948, p. 384.

permissu ordinarii loci agere debent, nec licet permissionem praesumere. DD. 2923; 4098, IV.

5 — Loci ordinarius commissionem dare potest abbati benedicto ad functiones Ritualis vel Pontificalis Romani extra missam peragendas quae characterem episcopalem non requirunt et in quibus sacrae unctiones non adhibentur. Praeterea si loci ordinarius privilegio apostolico instruitur permittendi ut sacerdotes in ecclesiastica dignitate constituti etiam nonnullas functiones ordinis episcopalis exerceant, laudabiliter eas abbatibus benedictis suae dioecesis committet. In hisce functionibus peragendis abbas vel agat privatim more sacerdotali vel solemniter ritu pontificali quasi episcopus titularis, prout in EPR habetur.

6 — In functionibus loci ordinarii quando praelati sacras induunt vestes etiam abbates invitati eas induunt et pariter mitram accipiunt ex recepto more.

7 — In missa lecta extra proprias ecclesias abbates benedicti rite utuntur cruce pectorali, anulo et pileolo. CIC, 811, § 2. Quoad cetera vero a missa simplicis sacerdotis non discrepant, saltem iure communi.

C — De ceteris superioribus maioribus

Superiores maiores ordinum religiosorum, qui iurisdictione personali gaudent in suos subditos, sine tamen territorio, videlicet supremi religionum moderatores, superiores provinciales, eorumdem vicarii, aliique ad instar provincialium potestatem habentes, veluti visitatores (CIC, 488, n. 8°) sunt praelati regulares. A iure gaudent tantum praecedentia unicuique propria, nulloque instruuntur speciali liturgico privilegio, nisi eis speciali modo concessum a Sancta Sede veniat.

1 — Supremus moderator et minister provincialis sive custos provinciae Ordinis Fratrum Minorum possunt missam solemnem ritu sacerdotali celebrare ad thronetum sive sedem cum postergali et pulvinaribus duobus super unico gradu, a latere evangelii positam. Inserviunt presbyter assistens, diaconus et subdiaconus missae, necnon clerici duo de libro et scotula. *Caeremoniale Romano-Seraphicum, Ad Claras aquas*, 1927, n. 405. Palmatoriae usus speciali iure conceditur. Acta OFM, XXVI, p. 332.

2 — Minister generalis sive provincialis Ordinis Fratrum Minorum Capucinorum celebrant ad scamnum cum presbytero assistente, candela, canone, urceo et pelvi; et manus lavant *etiam* post ablutiones, quod ipsis protonotariis supranumerariis, ad faldistorium ritu pontificali celebrantibus, denegatur. IM, n. 29. *Caeremoniale Romano-Seraphicum Capucinorum*, Romae 1944, n. 1666.

3 — Prior generalis sive provincialis seu visitator vel commissarius Ordinis Recollectorum Sancti Augustini in functionibus solemnibus sedent in sede cum postergali a cornu evangelii super strato unius gradus posita. Ei inserviunt sacri ministri cum presbytero assistente vel assistentes duo in vesperis; adhibet canonem pontificalem, candelam, pelvim cum urceo. Idque fit non ex speciali concessione Sanctae Sedis sed per communicationem privilegiorum Fratrum Ordinis Minorum. Sed Superiores Ordinis Minorum canone non utuntur. *Caeremoniale ORSA*, Romae 1950, n. 519 ss; 597 ss.

CAPUT V

De ordinibus equestribus

¶ — Non solet Sancta Sedes equestres ordines clericis dare. De ipsis vero consule auctores qui de ipsis agunt uti Campvans de Farémont : *Histoire et Législation des Ordres de Chevalerie du Saint-Siège*, Paris, 1932; vel libellos qui electis a Secretaria Status traduntur.

Licitum est clericis civiles seu equestres ordines ingredi quando ad illos invitantur seu admittuntur a moderatoribus nationum, qui eis praesunt, observa tamen :

1 — SRE Cardinales condecorationes huiusmodi seu ingressum in ordines accipere nequeunt nisi habito prius permissu Summi Pontificis per Secretariam Status. NC, n. 55.

2 — Ipsi ingredi tantum possunt ordinem maiorem seu primum uniuscuiusque Nationis, vel gradum maximum alterius ordinis. NC, n. 56.

3 — Cardinales SRE qui ante eorum creationem alios obtinuerunt gradus inferioris ordinis, illis post creationem amplius uti nequeunt. NC, n. 57.

4 — Ceteri ecclesiastici viri condecorationes accipere non debent nisi prius habito consensu sui ordinarii vel saltem certiore facto ipso, nam generatim condecorationes huiusmodi dantur nulla prius facta notificatione electo.

5 — Clerici omnes, etiam SRE Cardinales, cum habitu ecclesiastico seu praelatitio si crucem magnam instruentur cum fascia ab humero transversa, ea uti debent ad modum collarii cum *placca* super pectus. NC, 58.

6 — In functionibus liturgicis condecorationes civiles locum non habent; in civilibus tamen adhiberi possunt tum a SRE cardinalibus tum a ceteris praelatis super habitum pianum vel etiam praelatitium. NC, n. 57, 58.

7 — SRE Cardinales vero vel praelati seu canonici ex ordine Supremo Maltensi, huius ordinis insigni uti possunt etiam in functionibus liturgicis super mozetam seu manteletum, dummodo collegialiter non interveniant functioni. NC, n. 57.

SCHOLIUM

De Titulis praelatitiis qui inter se componi possunt

1 — Sacri Cardinalium Conlegii Decanus unus est ex episcopis suburbicariis qui, sua sede retenta, Episcopus Ostiensis renuntiatur.

2 — Cardinalis Archipresbyter Basilicae Patriarchalis Lateranensis solet Urbis Vicarius eligi.

3 — Cardinales cum titulo presbyterali, qui dioecesibus per orbem praesunt, solent de permissu Papae etiam sedem episcopalem retinere; alia tamen beneficia, ecclesiae vel dignitates omnes, ipso facto vacant. CIC, 235.

4 — Patriarchae, Archiepiscopi vel Episcopi qui in Conlegium Assistentium Pontificio solio admittuntur sunt eo ipso praelati domestici Papae et nobiles seu comites papales.

5 — Archiepiscopi vel episcopi, qui ante suam electionem beneficium inamovibile habebant canonicatus vel paroeciae, illud retinent vel amittunt prout in litteris apostolicis nominationis legitur : nam tota quaestio a pontificia voluntate pendet. CIC, 351, § 1.

6 — Protonotarii Apostolici de numero sive ad instar qui ad ordinem episcopalem eliguntur protonotariatum non amittunt, sed titulo episcopali adnexatur, nisi aliter a Sancta Sede declaretur, veluti quando protonotarius de numero alicui ecclesiae residentiali praeponitur.

7 — Protonotarii de numero qui sunt doctores in utroque iure sunt ipso facto praelati referendarii Signaturae Apostolicae. ID, n. 34.

8 — Protonotarii de numero vel ad instar brevi pontificio nominati qui ante electionem ad protonotariatum praelati domestici non erant, eo ipso hac dignitate distinguuntur. IM, n. 43.

9 — Protonotarii apostolici supranumerarii titulo praelati domestici non fruuntur nisi per breve apostolicum ad hanc dignitatem nominentur. IM, n. 14. Id valet etiam pro protonotariis ad instar qui ad capitulum, cui talis dignitas adnexatur, nominantur. IM, n. 42. *Motu proprio* sancti Pii X *In litteris nostris*, diei 22 decembris 1913. D. 4309.

10 — Protonotarii titulares qui praelati domestici Papae nominantur vel vice-versa dignitates duas simul retinent.

11 — Praelati Referendarii speciali fruuntur dignitate, quae cum alia quaqumque dignitate ecclesiastica, cardinalatu excepto, componitur. ID, n. 150.

12 — Titulus praelati domestici Summi Pontificis intuitu personae datus componitur cum dignitatibus omnibus etiam patriarchali, uno cardinalatu excepto.

13 — Praelati domestici et protonotarii apostolici qui ratione personae nominati sunt, sive quia uni e quatuor collegiis Romanae Curiae adscribuntur (et propterea) sunt familiares seu de familia Summi Pontificis. ID, n. 41; 105; 127; 142.

14 — Cubicularii vel capellani Papae qui ad dignitatem praelati domestici, vel ad protonotariatum, sive ad sedem episcopalem nominantur, titulum cubicularii seu capellani amittunt. Tamen cubicularii de numero nunc non raro praelati vel protonotarii nominantur, retento officio cubiculariorum Papae.

15 — Cubicularii Summi Pontificis qui, sive ratione personae sive ratione officii, protonotarii titulares nominantur, veluti cubicularius Papae qui officio vicarii generalis fungitur, titulum cubicularii non amittunt, sed induere debent vestes cubicularii violacei coloris cum mantellone, vel habitum praelatitium nigri coloris ex integro.

LIBER II — DE REBUS

PARS I — DE VESTIBUS PRAELATITIIS

PARS II — DE MINISTERIO PONTIFICALI

PARS III — DE ECCLESIIS MAIORIBUS

PARS IV — DE HERALDICA PRAELATITIA

PARS PRIMA

DE VESTIBUS PRAELATITIIS

¶ — Praelati, ex ordine episcopali sive ex ordine sacerdotali (antiquitus etiam ex aliis ordinibus) ut eorum dignitas exaltetur, specialibus utuntur vestibus seu insignibus.

Praelati ratione vestium hic intelleguntur :

Summus Pontifex.

SRE cardinales.

Episcopi residentiales vel titulares.

Abbates regulares.

Protonotarii apostolici de numero, supranumerarii sive ad eorum instar et praelati qui eorum gaudent privilegiis.

Praelati domestici Summi Pontificis vel ad eorum instar.

Protonotarii titulares.

TITULUS I

DE HABITU PRAELATITIO IN COMMUNI

CAPUT I

Forma Habitus Praelatitii

Habitus praelatitius constat :

Veste talari sine cauda et serica zona.

Mantelleto, sive parvo mantello ad genua ducto.

Palliolo humerali vulgo mozeta.

Cappa pontificali sive praelatitia.

Tunica linea cum manicis oblongis et clausis seu angustis, quae nomine venit rochetum, vel una cum superpelliceo.

Galero, bireto et pileolo.

Collario, caligis et calceis.

Chirothecis et pallio talari.

Quoad formam seu partes componentes, habitus praelatitius unus est, omnibus praelatis communis a SRE cardinalibus ad protonotarios ad honorem, cauto tamen quod palliolum et cappa ab illis tantum praelatis adhibentur quibus a iure permittitur. Quoad colorem et materiam vero habitus variatur, prout infra de diversis ordinibus agetur.

1 — *Vestis talaris* habitus cardinalitii sive praelatitii confici debet sine cauda. *Valde solliciti* Pii Pp. XII, diei 30 novembris 1952, n. 1, AAS, 1952, p. 849-850; SRC, die 4 decembris 1952, ad II, AAS, 1952, p. 888. Supermanicae non ponuntur, sed tantum manicarum extremitates sericis ornantur ad altitudinem viginti centimetrorum.

2 — *Zona praelatitia* erit semper serica, latitudinis quatuordecim centimetrorum. Ad latus sinistrum zona pendet in duobus pannis infra genua ducta cum duobus flocculis sericis eiusdem semper coloris ac zona ipsa (1-2).

3 — *Mantelletum*, ut ipsa vox dicit, parvum est mantellum a maioribus *colobium* nuncupatum, Du Cange, *h. l.*, quod ad genua protrahi debet vel paulo infra, ita ut, cum praelatus flexis nititur genibus, solium tangat et rochetum totaliter cooperiat. NC, n. 7. Super solio extensum, circulum absolutum efformet necesse est. Ad collum firmatur parva fibula. Ad latera duae fiunt incisiones pro brachiis, quae torulo exornantur, altitudinis centimetrorum quadraginta. In extremitatibus anterioribus ornatur sericis subsutis latitudinis quinquaginta centimetrorum a summo usque ad imum.

4 — *Palliolum*, quae a CE *mozeta* (3) nuncupatur, vestis est fere rotunda quae super humeros ponitur, et ita late pateat per circuitum, ut cum praelatus brachia transversa habet, illa totaliter cooperiat, seu sit altitudinis quinquaginta centimetrorum. Ad collum aptatum

(1) De zona quae super veste talari adhibetur tacet CE, tamen de ea loquitur Caeremoniale Romanum cum vestes electi pontificis describit. CA, I, p. 75.

(2) Nec approbari potest usus primo in Gallia introductus, deinde passim alibi, ornandi extremitates zonae cum duobus flocculis viridibus vel etiam addito auro, nam iuxta receptum morem romanum zonae ornantur flocculis eiusdem coloris ac zona ipsa et privilegium exclusivum exstat cardinalium adhibendi flocculos aureos; recentissime tamen etiam a nuntiis apostolicis adhibentur.

(3) Verbum *mozeta* recepit Caeremoniale, tamen barbarum est in lingua latina, nec cum illa ullo modo componitur; forsan modificatio verbi *almutium*, cum quo quodammodo connectitur. Lusitana lingua vocatur *murça*. Benedictus XIII vel XIV utitur verbo *exomidum* (ἐξωμίς) quod interpretatur cappa humeralis. Burchardus fere semper mozetam vocat *capucium* et abbates regulares ita de hac veste loquuntur. Pius IX et Leo XIII, aliique Pontifices, hanc vestem *palliolum* nuncupaverunt, eosque sequimur. BM, p. 333, 343, 345.

habet parvum caputium, nunc ornamentationis gratia appositum (4). In parte anteriori scinditur et firmatur globulis et ocellis. Palliolum serico subsuto ornatur.

5 — *Cappa pontificalis* est vestis circumcirca clausa sine ulla incisione pro brachiis, quae ad talos ducitur, et retro extenditur ad modum caudae a summo usque deorsum ad longitudinem trium metrorum. Ei superimponitur palliolum sericis vel pellibus ornatum, e cuius posteriore ora pendet caputium longitudinis unius metri, quod duobus globulis et ocellis retro firmatur.

5 A — *Cappa canonicalis seu praelatitia* similis est cappae pontificali; sed a parte anteriori scinditur ad altitudinem pallioli humeralis seu caputii; pars vero posterior completur syrma seu cauda, quae quidem venit contorta et a latere sinistro ligulis firmatur (5).

6 — *Linea tunica*, vulgo *rochetum*, cum manicis oblongis, quae ab humeris ad manus sensim angustiores deveniunt, ad genua vel paulo infra protrahitur. Huiusmodi tunica manicata imprimis praelatorum cleri saecularis propria est, nec inter sacras vestes adnumeratur, sed potius praelatitias (6). Conficitur e tela linea tenui et per circuitum late patet centimetrorum 260 seu 280 (7).

(4) In satis nota pictura sancti Caroli a Daniel Crespi depicta in Ecclesia sanctae Mariae Passionis Mediolani, caputium pallioli incipiebat a parte anteriori et sufficiens erat ad caput tegendum. Prout nunc conficitur caret omni sensu.

(5) Cappa praelatitia seu canonicalis nunc in usu nimis breviatur, ita ut potius definienda sit *caputium cum cappa scissa et cum cauda revoluta*. Oportet enim ad antiquiorem formam iterum reddere, prout in nonnullis dioecesibus Galliae et Hispaniae iam factum est, et caudam scindere, non cappam. Fusius de cappa canonicali in titulo IV ubi de vestibus canonicorum agitur.

(6) Linea vestis cum manicis oblongis et angustis inter praecipuas vestes episcopales adnumeranda est. Propterea si electus Romae commoratur, ab ipso Summo Pontifice rochetum accipit, prout in initio Caeremonialis praecipitur. Sanctus Carolus eam tamquam vestem maximi momenti habebat et in primo suo concilio, Mediolani habito anno 1565, praecepit episcopis ut non nisi rocheto et palliolo induti extra propria cubicula exirent: non enim licebat episcopis rochetum dimittere nisi animi relaxandi causa. AEM, I, col. 65. Catalanus, I, 52. Et cum sanctus Carolus iter arripiebat, unus e suis cubiculariis retro post ipsum rochetum portabat. Quam quidem legislationem ab Innocentio III originem duxisse scimus, ita ut ipsi summi pontifices non nisi cum rocheto et palliolo audientias concedere consueverint. Legislatio haec in Caeremoniali Episcoporum transiit cum aliqua tamen mitigatione, nam ibi praecipitur ut episcopus rochetum cum palliolo adhibeat domi "saltem dum fit aliqua congregatio coram episcopo vel ordinandorum examen vel aliquid simile". CE, I, 3, n. 1. In Conc. Lat. IV anni 1215 sub Innocentio III sic legebatur *Pontifices autem in publico et in ecclesia superindumentis lineis (rochetis) omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem*, canon 16.

(7) Saeculo XVI, seu tempore Concilii Tridentini et sancti Caroli, rochetum erat nobilis tunica linea quae per circuitum late patebat per tredecim cubitos (18 pedes sive 5,61 metra) "ut rugarum crisparumve decorem exhibeant longe ducta infra genua seu ad crura media". *Inst. Fabricae ecclesiasticae*, AEM, I, col. 1580; ita adhuc

Ad collum rochetum confici decet more romano seu quadrato sive rotundo, sine collario, ita enim facilius ponitur et deponitur nec opus est ut scindatur in anteriori parte. Praeterea rochetum cum collario usum mantelleti seu pallioli difficilem reddit.

Ex recepto usu, rochetum tum in extremitate vestis per circuitum, tum in manicis, exornari licet sive opere reticulato *(lace, merletti)* sive opere plumario acu picto *(broderies)*. Ad manicas huiusmodi applicatio altitudinem viginti centimetrorum ne excedat. Ad vestem quod attinet expedit omnino servare normam a Pio Papa IX datam, videlicet ut reticulata textilia altitudinem triginta centimetrorum *(12 inches)* minime transponant (8). In rochetis quae tempore paenitentiali vel in officiis defunctorum adhibentur maxime expedit ut ad oram tantum parvo opere plumario exornentur, vel parva fimbria.

In manicarum extremitatibus rochetum subtus opere reticulato ornatur serico eiusdem coloris ac extremitates vestis talaris, seu coccineo cum habitu rubro et rubino cum habitu violaceo.

rocheto utebantur praelati saeculi XVII. Circa medietatem saeculi XVIII tamen proh dolor! rochetum, quod sensim sine sensu hic illic deformabatur, ita redactum est ut vix praelatorum renes attingeret! tenue vestigium nobilis vestis! Sic, inter alios, videre est in Ecclesia sancti Georgii Venetiis, ubi Conclave pro electione Pii VII celebratum est, picturam Pontificis cum rocheto quod vix subtus palliolo apparet. Et cum rochetum altius ibat, mantelletum una cum eo breviabatur ita ut et ipse vix renes attingeret.

Nostris diebus ad rocheta longiora et decentiora iterum revertuntur praelati, sed loco linei aliae et diversae imitationes adhibentur, cum reticulatis texticulis *(lace, dentelles)* qui altitudinem fere ipsius rocheti attingunt. Sic enim sacra et vetusta lex de veste linea adhibenda in oblivione devenit, deplorantibus sacrarum rerum artificibus, praesertim cum huiusmodi textilia frequenter nullius sint valoris. Exoptare proinde liceat ut ad vestes lineas iterum revertamur.

(8) Reticulata textilia ad extremitatem rocheti exornandam tamen admittuntur dummodo e lino conficiantur et tamquam ornamentum vestis apponantur : vestis enim esto linea. In ipsis depingentur vel lineae geometricae aliaeve, vel flores; calices, ostensoria vel similia prorsus demantur. Praeterea fimbriae huiusmodi sint manufactae et non imitationes machinis fabricatae. Reticulata textilia ad altitudinem dimidii metri vel etiam plus sunt abusus eliminandi, nam " ob nimiam telae decurtationem Ecclesiastica gravitas nonnunquam vilescit ". Van der Stappen, *Sacra Liturgia*, I, 308. In Caeremoniali electionis Papae praecipitur ut ipse accipiat rochetum cum *merletto basso*. SRE Cardinales in conclave convocati adhibent rocheta cum fimbria minima trium centimetrorum. *Const. Vacantis Apostolicae Sedis Pii XII*, n. 42; NC, n. 33 b. In Romana Curia rocheta simplicia signa sunt maestitiae, propterea sede vacante ab omnibus adhibentur. ID, n. VII; Moroni, 96, p. 215.

Sanctus Carolus, hic sicut in aliis facile princeps, distinctionem faciebat inter rocheta : alia erant festiva, alia diaria, alia paenitentialia, sed etiam in suis rochetis festivis reticulata textilia altitudinem triginta centimetrorum non excedebant : scripsit enim Sanctus " quibus autem rocheto uti licet, id eiusmodi sit in quo nón ulla artificiosi operis species, neque affectata elegantia ostentetur ". Syn. Dioec. IV, dec. XIX, AEM, I, c. 884. Re proinde perspecta Pius IX optimam statuit regulam servandam a canonicis Provinciae Westmonasteriensis " Rochetum cum fimbria vulgo *merletto*, duodecim pollices mensurae anglicae (30 centimetra) per altitudinem minime excedente gestare ". Breve Pii IX, diei 14 maii 1858. BM, 1, p. 308.

6 A — *Superpelliceum cum rocheto*. Superpelliceum est vestis seu tunica linea cum manicis amplis quae ad genua seu paulo infra ducitur. Vestis huiusmodi est omnibus clericis communis et adhibetur in choro, ad altare et in sacramentorum et sacramentalium administratione quasi tunica sacra. Licet materia superpellicei nulla lege generali statuatur, natura sua tamen est vestis linea et proinde si ex aliis elementis constituatur, utpote serico vel gossypio, seu ex elementis indignis huius vestis uti *voile, dentelles, nylon*, minime superpelliceum vocari potest. Proinde Concilium Plenarium Americae Latinae Romae adunatum anno 1899 edixit ut tum rocheta tum superpellicea e lineo seu cannabe conficerentur, non aliter ac ipsae albae quibus assimilantur. CPAL, n. 904 (9).

Praelati seu canonici qui gaudent usu cappae et rocheti, tempore aestivo, illa deposita, induunt superpelliceum super rocheto, sicut cum sacramenta vel sacramentalia administrare debeant vel quomodocumque ad altare inservire. Quae quidem lex in Urbe stricte servatur a canonicis praelatis Basilicarum Patriarchalium et ab archiepiscopis pontificio solio assistentibus cum Papae inserviunt.

Superpelliceum seu *cotta* uti aiunt quae rocheto superimponitur solet esse aliquantulum brevius quam rochetum et debet quoad ornamentationem cum eo convenire.

¶ — Quoad usum superpellicei a praelatis ex ordine episcopali vide p. 141 infra et EPR, I, n. 35 et notas 16, 17, 18, p. 32-35.

7 — *Galeri*. Galerus unus est usualis, alter pontificalis, tertius heraldicus. Sunt omnes rotundi cum ampla palla circumcirca.

(9) Ex eo quod rubricae missalis et responsiones SRC de materia superpellicei silent, concludunt nonnulli materiam huius vestis, et pari ratione rocheti, ab Ecclesia non determinari, proinde confici posse ex quacumque materia, non exclusis pannis syntheticis seu nylon, uti aiunt, et textilibus reticulatis quae nec gossypium sunt (AER, June 1950). Sed expedit scire missale non esse codicem supellectilis sacrae sed nec responsiones SRC; in re liturgica multae sunt quaestiones quae uti acceptae supponuntur. Sic superpelliceum vel rochetum est vestis *natura sua linea*, quod constans traditio docet. Sic in Concilio Lateranensi IV Canone 16 legitur " Pontifices autem in publico et in ecclesia superindumentis lineis (rochetis) omnes utantur ". Et sanctus Carolus " Lineam tunicam quam rochetum appellant habeat episcopus ". AEM, I, col. 65. Praeterea in brevibus nominationis suorum praelatorum praecipit Papa ut *lineum amiculum manicatum quod rochetum vocant adhibeant*. Rochetum proinde e positivo praecepto Papae sit vestis linea. A fortiori cum sint vestes ministrationis pariter linea sint superpellicea. Concilium Plenarium Americae Latinae in Urbe adunatum anno 1899 sub n. 904 statuit ut albae, rocheta et superpellicea ex lino aut cannabe conficerentur " non ex gossypio vel alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabim aemulante et aequante ". Quae quidem verba Concilii nostri ubique legere deberent.

I. — *Galerus usualis* rubri vel nigri erit coloris pro cardinalibus; nigri semper coloris pro aliis omnibus praelatis seu episcopis. Circumcirca galerus ornatur sericis chordulis cum duobus flocculis in extremitatibus, vel vitta serica quatuor centimetrorum altitudinis opere phrygio ornata coloris proprii prout sequitur : pro cardinalibus : rubri, auro intermisto; pro patriarchis : viridis, auro intermisto; pro archiepiscopis seu episcopis : viridis (10); pro protonotariis : rosacei; pro ceteris praelatis Romanae Curiae : violacei (11).

II. — *Galerus pontificalis* insigne est praecipuum SRE cardinalium, propterea in eorum creatione ipsis traditur a Summo Pontifice. Apostolicis protonotariis imponitur ab apostolico commissario quando creantur. Episcopi residentiales, iuxta monitum CE (I, 2, n. 1), eum habere debent tamquam insigne princeps. Galerus pontificalis ad pedes cardinalium, episcoporum residentialium vel protonotariorum apostolicorum ponitur cum e vita exeunt, nisi habeatur galerus pontificalis symbolicus, et in excelsum super eorum tumula suspenditur si agatur de cardinalibus SRE vel de episcopis residentialibus.

A — *Galerus pontificalis usualis* est formae rotundae similis pileo communi, cum ampla palla per circuitum circiter quindecim centimetrorum latitudinis. Sericae chordulae subtus ducuntur et sub mento firmantur, earumque extremitates flocculis ornantur.

Galerus huiusmodi adhibetur tantum cum cappa pontificali et cum caputio in capite, super quo imponitur in solemnibus receptionibus cardinalium seu episcoporum residentialium.

Galerus, quando a praelato seu cardinali non adhibetur, ante illum portatur ab uno e suis familiaribus laicis.

Galerus pontificalis cardinalium erit rubri coloris; eiusdemque coloris erunt vittae cum flocculis quindecim nullo auro interposito.

Galerus pontificalis episcoporum residentialium erit nigri coloris in parte superiori et viridis in parte inferiori; viridis etiam coloris

(10) Aurum in flocculis galeri, virido intermixto, concessit S. Cong. Caeremonialis quatuor patriarchis latinis die 3 novembris 1826. Tale privilegium nunquam venit archiepiscopis vel episcopis datum. Quo tamen non obstante, solent archiepiscopi, et quamplurimi episcopi sponte sua, aurum in galeris adhibere etiam in Urbe, alii vero tantum in propria dioecesi, et ita facere solebant etiam elapso saeculo. Vide Moroni, 96, p. 200, et notam 24, infra.

(11) Privilegium coloris violacei in flocculo pileoli primo consecuti sunt apostolici protonotarii; sed cum postea tale privilegium etiam aliis praelatis est concessum, protonotarii a Clemente X usum coloris rosacei obtinuerunt, quod quidem confirmavit sanctus Pius X in litteris *Inter multiplices*. Hodierno iure proinde color rosaceus in galero seu bireto usum pontificalium denotat. Vide Moroni, 9, p. 197; P. Piacenza in EL, 1905, p. 531.

sine auro erunt vittae sive chordulae cum flocculis sex, vel decem pro archiepiscopis. CE, I, 3, n. 5.

Galerus pontificalis protonotariorum apostolicorum erit nigri coloris e parte superiore et rosacei coloris e parte inferiore sive hoc colore suffultus; eiusdemque coloris erunt chordulae cum flocculis sex (12).

De galeris episcopalibus haec habet Caeremoniale :

" Omnes autem, tam saeculares quam religiosi episcopi galero utuntur a parte exteriori nigro, cui ab interiori sericum coloris viridis suffulciatur chordulis pariter et floccis sericeis viridibus, ab eo pendentibus ".

" Galerus quoque duplicis formae habendus est, alter (pontificalis) quo in solemnioribus equitationibus utuntur, eiusdem formae, praeter colorem, quo eminentissimi cardinales pontificaliter equitantes uti consueverunt; alter (usualis) simplicior : uterque ex lana, ac serico viridi exornati ". CE, I, 3, n. 5 (13).

Ex recepto tamen usu, galeri episcoporum sicut aliorum praelatorum cooperiri possunt sericis villosis, et galerus usualis solet esse nigri coloris etiam subterius.

B — *Galerus pontificalis symbolicus*. Cardinalibus modo creatis Summus Pontifex in publico consistorio imponit galerum pontificalem rubri coloris, formae planae cum parva cuppa et chordulis cum flocculis quindecim eiusdem rubri coloris utrimque pendentibus. Galerus huiusmodi postea a Vestiario Domini Papae novis cardinalibus domum portatur; cum e vita exeunt ad eorum pedes ponitur, deinde in excelsum super eorum tumula suspenditur. Agitur de ipso galero pontificali seu cardinalitio ad formam seu modum symbolicum redacto, qui in capite non ponitur nisi in die creationis, symbolicus exinde nuncupatur. Patres Cardinales proinde qui galero rubro pontificali in solemni aliqua receptione uti velint, galerum rubrum pontificalem usualem parare curent.

(12) In ritu creationis protonotarii legitur " episcopus imponat galerum pontificalem rotundae figurae, cum floccis seu lamniscis coccinei coloris, in superiori parte ex nigra lana et in posteriori violaceo serico subiectum ". Sed in formula traditionis legitur " cappellum nigrum cordulis rosaceis circumornatum ac etiam serico rosaceo suffultum " et sic fieri debet.

(13) De galero semipontificali de quo loquuntur auctores nunnulli tacet Caeremoniale : erat galerus pontificalis sed nigri coloris ex integro et aliquantulum brevior ad oram. Bonanni, p. 423. Praelati rotales tamquam doctores usum introduxerunt adhibendi galerum semi-pontificalem super bireto : usus certe rationi contrarius. Bonanni, delineatio n. 160.

Galerus pontificalis symbolicus eiusdem formae ac galerus cardinalitius adhibetur in creatione protonotariorum apostolicorum de numero vel ad eorum instar, sed galerus huiusmodi cooperitur panno laneo nigro in parte superiore et serico rubini coloris subtus; eiusdem rubini coloris sunt etiam chordulae cum flocculis sex utrimque pendentibus. Ad eorum pedes locatur galerus (super feretro) cum apostolici notarii e vita exeunt. Vide *Ritus servandus in creatione protonotarii*, Romae Typis Vaticanis, 1939.

III. — *Galerus heraldicus*. Galerus praecipuum est insigne cardinalium et protonotariorum apostolicorum, nam in eorum creatione traditur; etiam episcoporum aliorumque praelatorum insigne est princeps, propterea super stemmata praelatorum seu virorum ecclesiasticorum depingitur. Dimensiones eaedem sunt pro omnibus praelatis, distinctio fit tantum in numero flocculorum. De eo fusius agitur cum heraldica praelatitia, p. 306.

8 — *Biretum et pileolum* capitis sunt indumenta omnibus praelatis communia. Biretum romanum tres habet extremitates seu apices in superiori parte et in medio sericum flocculum.

Biretum et pileolum sunt semper eiusdem panni et coloris, et tempore aestivo conficiuntur e serico, tempore vero hiemali e panno laneo vulgo *merinos*. Vide notam 49 de praelatis nullius, p. 62.

9 — *Collarium* sericum quod subtus lineum adhibetur et in parte anteriori apparet et camisiam cooperit sequitur semper colorem habitus talaris. Erit proinde rubei coloris pro cardinalibus, et violacei pro omnibus praelatis qui veste talari violacei coloris utuntur.

10 — *Caligae* quae cum vestibus talaribus adhibentur ad genua ducantur. Non aliter ac collarium, caligae eiusdem sunt coloris ac vestis talaris praelati : proinde erunt rubei vel violacei coloris pro cardinalibus, violacei pro praelatis domesticis et episcopis.

Usus caligarum e tela serica nec pro ipsis patribus cardinalibus praecipitur (NC, n. 5 et 10); proinde praelati et episcopi laudabiliter utentur caligis laneis vel lineis, tamen caligae e tela serica non prohibentur praesertim cum vestibus sericeis.

11 — *Calcei praelatorum*, sicut aliorum clericorum, sint simplices, id est, sine ornamentis et sine parte anteriori superposita. Sint e corio unito et nigri coloris. Calcei ornari debent fibulis (ID, n. VII) sine opere artificioso quod saecularibus tantum permittitur. Iuxta NC in calceis rubris vel nigris cum ora rubra cardinalium fibulae erunt inauratae, argentatae vero in calceis nigris. NC, n. 5, 10, 31. Praelati

habitualiter uti debent fibulis argenteis, sed diebus solemnioribus fibulae inauratae non prohibentur (13A).

12 — *Chirothecae* erunt e serico eiusdem coloris ac vestis talaris et sine globulis et ocellis, extra ecclesiam tantum adhibendae.

13 — *Mantellum talare* hiemale erit semper e panno laneo *(drap)* et eiusdem coloris ac habitus praelatitius ipse vel nigrum. Mantellum secum fert palliolum humerale *(pellegrina)* et collum reversum e serico villoso eiusdem coloris ac pallium. Palliolum et partes anteriores pallii ornantur subsuto serico eiusdem coloris. Ad mantellum cardinalium et patriarcharum exornandum apponitur aureum torulum per oram. Mantello episcoporum et praelatorum nullus apponatur torulus, ex eo quod is nullibi conceditur.

CAPUT II

Materia Habitus Praelatitii

Vestes praelatitiae episcoporum et praelatorum, id est, habitus talaris cum palliolo et mantelleto, erunt semper laneae iuxta monitum CE, I, 3, n. 1. D. 4355, I, 2 (14). E panno serico tamen erunt res minores, videlicet zona, collarium, chirothecae et chordulae crucis pectoralis et pilei. Tempore aestivo etiam biretum et pileolum e panno serico confici possunt.

Vestibus sericis, ex Apostolica concessione, uti possunt SRE cardinales, patriarchae, nuntii apostolici, protonotarii apostolici sive praelati qui pontificiam domum integrant, videlicet qui brevi apostolico inter praelatos domesticos adnumerantur. D. 4355, I, 2 (15).

(13A) Fibularum usum permittebat Benedictus XIV contra nonnullos episcopos qui eas clericis non convenire docebant. De Synodo, lib. XI, cap. IV, n. III.

(14) Sanctus Carolus Borromaeus usum vestium sericarum semper impugnavit nec illis unquam usus est. Proinde in Concilio Provinciae suae primo anno 1565 adunato statuit " Episcopus in vestitu sericum non adhibeat " AEM, I, col. 65. Praeterea voluit sanctus ut in initio Caeremonialis sic legeretur. Alia nonnulla concilia in Italia et Gallia sanctum Carolum sunt sequuti sed non omnes. Sic sanctus Franciscus Salesius, uti apparet in picturis contemporaneis, sericis vestibus undulatis utebatur. Teste Catalano, in Urbe Papa vidente, vestes sericae semper in usu manserunt forsan privilegium Pontificiae Domus. Catalanus, *h. l.*, n. XLVI. Sanctus Carolus sericum tamquam rem quae vanitatem sapiebat habebat, sed hodie non ita sic, et in nonnullis regionibus, in quibus lana desideratur et sericum abundat ut in Sinis, vestes sericae sunt revera minoris pretii.

(15) Sanctus Pius X in constitutione *Inter Multiplices* de qualitate panni habitus praelatorum re perspecta silet, et Petrus Piacenza, qui (uti supponitur) constitutionem

Patres cardinales et praelati pontificiae domus qui votum solemne paupertatis vel simplex tantum emiserunt, laneis vestibus utuntur.

Sericum undulatum *(watered, moiré)* permittitur cardinalibus, patriarchis latini ritus, nuntiis apostolicis primae classis, nam ad cardinalatum promovebantur, sed nunc apostolici nuntii omnes eo utuntur. Caeteris praelatis, etiam quoad res accessorias, veluti zonam seu biretum, sericum undulatum interdicitur nec unquam est concessum.

Vestis talaris cum mantelleto vel palliolo, quae proprie habitus praelatitius vocantur et quid unum efformant, erunt eiusdem semper coloris, eiusdemque qualitatis panni. Sic, si vestis talaris sit e panno laneo violaceo, eiusdem panni erunt etiam palliolum humerale et mantelletum.

Cappa pontificalis ad normam CE, I, 3, n. 3 sit lanea (16). Sericum tamen semper erit palliolum quod super cappam pontificalem adhibetur seu potius subsutum caputii, complementum eiusdem. Cappa pontificali serica uti possunt, praeter cardinales, patriarchae, nuntii apostolici, necnon episcopi solio pontificio assistentes vel praelati domestici Summi Pontificis, ex eo quod habitu praelatitio e serico uti possunt, extra tamen Romanam Curiam, nam in Curia cappae solent esse laneae.

Feria Quarta in capite ieiunii et Feria Sexta Maiore (NC, n. 22c) seu diebus paenitentialibus tum cardinales tum episcopi, qui gaudent privilegio cappae sericae, cappis laneis utuntur, sicuti facere solebat Summus ipse Pontifex his diebus.

Pius XII, *g. r.*, recentissime decrevit " Vestimenta violacei coloris cardinalium, videlicet, vestis talaris cum palliolo humerali et mantelleto, lanea sunto; attamen qui serica huiusmodi vestimenta violacei coloris iam antea habuerint, iisdem indui statis temporibus pergere poterunt ", sed lege, quousque consummentur. Cappa pontificalis violacea, uti prius, ex tela serica undulata conficitur, sed extra Curiam confici potest e serico non undulato, consulto quidem.

redegit, eam illustrans ait " consuetudo haec (nimirum adhibendi sericum in vestibus) extra Urbem minime introducatur ". EL, 1905, p. 475. Quo tamen non obstante, Pius XI in sua constitutione *Ad incrementum decoris* usum vestium ex serico explicite approbavit. ID, n. VII. Idem legitur in instructione quae cubiculariis Papae datur quando ad eorum officium deputantur.

(16) Iuxta CE episcopi diebus solemnioribus utebantur cappa ex camelotto seu " ex camelorum pilis confecta, leniter atque eleganter contextis " (Catalanus, *h. l.*). Aliis diebus cappa erat ex sarza seu rudiore panno. Talis distinctio non amplius viget et nunc episcopi solent semper uti cappa ex panno laneo leviori qui *merinos* vocatur. In Urbe cappae sericae nec ab ipsis patriarchis adhibentur, sed a cardinalibus tantum.

CAPUT III

Color Habitus Praelatitii

Summus Pontifex nativo iure utitur rubro colore in suis vestibus, prout in titulo sequenti habetur, ea tamen lege ut vestis talaris, quasi argumentum Vicarii Agni Dei, semper albi sit coloris.

SRE cardinales colore rubro seu coccineo *(rosso, scarlatto, ponso)* semper utuntur in galero, bireto et pileolo. Praeterea vestes coccineae ipsis conceduntur cum limitationibus a iure praevisis quum stricto iure talis color privilegium sit Summi Pontificis (17). Vide caput II tituli II.

Color violaceus *(paonazzo, purple)* communis est totae praelaturae, et quidem violaceus unicus prout a S. C. Caeremonialis die 24 iunii 1933 determinatus venit. AAS, 1933, p. 341. Hoc colore uti debent etiam SRE cardinales in suis vestibus violaceis. NC, n. 3 (18 ad 22).

(17) Color rubeus cardinalium nunc in usu, qui italice *ponsò* anglice *scarlet* vocatur, et qui conficitur ex coccino *(cochineal)* cum mixtione ex *orange*, non est proprie ruber sed color qui vocari potest roseus-ruber. Color in vestibus laneis *(merinos)* nobis plus placet quam in serico undulato, praesertim cum huiusmodi pannus sericus undulatus, qui antiquitus manu fiebat, nunc compressu suo fit. Aliis verbis agitur de quadam fictione commerciali cum undulationibus semper aequalibus : pauper imitatio rei quae suam habebat rationem et quae cardinalibus imponitur quasi maximae suae dignitatis argumentum.

(18) Hac super re scripsit Petrus Piacenza, *v. m.*, " Hic nimis rubescens color, qui sensim sine sensu paucis ab hinc annis inductus est, vix a caeremoniarum magistris toleratur, atque optandum est in obsequium venerandae antiquitatis, ut color vestium praelatorum violaceus esset, quia flos violarum modestiam exprimit et paenitentiam ". EL, 1905, p. 475. S. C. Caeremonialis, votis praeclari viri obsecundans, die 24 iunii 1933 decretum edidit de colore violaceo obscuro servando, et utinam ab omnibus servaretur! Difficilis tamen movetur quaestio, nam etiam in Urbe tonalitas coloris violacei variatur.

(19) " Color violaceus sive caelestinus proprie praelatis convenit " aiebat suo tempore Paris de Grassis (Caeremoniale, cap. 35) : nam modestiam secumfert et supponit. Color tamen violaceus habetur ex mixtione duorum colorum, rubri videlicet et caelestini. Exinde duo habentur colores violacei : unus in quo color principalis est caelestinus sicuti in floribus quae violaceae *(violettes)* vocantur, estque color spectri violacei. Solebat hic color vocari ab aliquibus auctoribus *violaceus gallicanus* ex eo quod episcopi Galliae in Concilio Vaticano eo colore utebantur. APC, 1903, p. 353. Si vero in mixtione color dominans sit ruber, habetur *violaceus romanus*, seu prout nunc a praelatis adhibendus praecipitur.

(20) Altera tamen movetur quaestio, videlicet an saeculo XVI, quando Caeremoniale episcoporum compositum est, color violaceus episcoporum fuerit violaceus caelestinus an violaceus ruber?

Quaestio haec non ita facile solvitur, et inquisitio historica esset prius facienda; tamen fateri debemus non unam fuisse regulam servatam, et saltem extra Urbem color violaceus floris seu caelestinus frequentius videbatur, praesertim in regionibus quae influxum Galliae sentiebant. Ad nostram usque aetatem Venetiis videre est canonicos et praelatos sancti Marci cum vestibus violaceis caelestinis. Et teste Paride de Grassis († 1528) talis erat suo tempore color habitus episcoporum, saltem in parte septentrionali Italiae. Ad rem Piazza " Il vero color paonazzo che oggidì (1682) usano i prelati di santa Chiesa è quello stesso che i latini, dalla voce greca, chiamano

Color violaceus adhibendus est in toto habitu praelatitio, videlicet in veste talari cum mantelleto, palliolo, zona, collario, caligis et chirothecis.

Insuper violaceum cum subsuto pariter violaceo erit mantellum hiemale praelatorum, necnon biretum et pileolum episcoporum et praelatorum nullius dioecesis. Vide notam 49 libri I. Cauto tamen quod biretum et pileolum ornari nequeunt torulo vel flocculo rubini coloris, quod adhiberi tantum licet in eorum subsutis. D. 4355, I, 1.

Pariter cappa praelatitia erit semper violacei coloris ad mentem CE, I, 3, n. 3 (23).

Vestes violaceae lanae vel sericae, tum cardinalium (NC, § 1, 3), tum episcoporum et praelatorum, erunt ornatae serico rubino seu amaranto *(cremisi)* :

a) In subsutis vestis talaris, videlicet in extremitatibus manicarum et in orlatura, globulis et ocellis eiusdem vestis.

b) In subsuto, orlatura, globulis et ocellis pallioli.

c) In subsuto, orlatura et torulo ad brachia mantelleti.

d) In parte interiori capucii sive pallioli cappae. CE, I, 3, n. 3.

e) In subsuto galeri et bireti.

Insuper apostolici protonotarii utuntur colore rubino, tamquam suae dignitatis insigni, in flocculo bireti et in vitta galeri.

Ianthinus, cioè color di viola, usato frequentemente nella sacra Scrittura " *o. c.*, p. 301. Et alibi " Il vero paonazzo che usano i prelati è quel medesimo dell' ametisto ", p. 313. Sed ait " ... Paonazzo essendo più tosto la porpora medesima, ma alquanto più oscura " (p. 294) nec facit distinctionem : seu violaceus praelatitius et violaceus liturgicus idem sonat, p. 323.

(21) Auctor quidam eruditum nobis dedit studium de colore violaceo, distinctionem faciens inter violaceum liturgicum seu caelestinum et *purple* seu colorem praelatorum : et concludit " *The Church in its admirable conservatism retains the two colors, the one for its prelates, the other for its liturgy* ". Sed quid diceret auctor si invisitans Basilicam sancti Petri tempore Quadragesimali videret tum altare ipsum tum celebrantem cum suis ministris in vestibus violaceis romanis? Et auctor huius libri semper usus est sacris vestibus violaceis more romano. Vide Walter Greene : *Purple and Violet* apud AER, February 1944; Peter Anson, *Churches Their Plan and Furnishing*, Bruce Co., 1948, p. 186.

(22) Anglica lingua *purple* idem sonat ac violaceus romanus, tamen in linguis latinis *patres purpurati, sacram purpuram osculari* potius dicitur tum de rubro cardinalium, tum de excelsa eorum dignitate.

(23) Tempore quo CE venit scriptum nonnulli episcopi cappis utebantur purpureis seu rubris, proinde semel et iterum declaratur " cappa sit coloris violacei nullatenus alterius coloris ".

Aurum in vestibus non licet assumere nisi a Sancta Sede speciali modo veniat concessum. Idque datur cardinalibus et patriarchis seu nuntiis apostolicis ad vittam galeri seu oram mantelli ornandam (24).

CAPUT IV

Codex colorum a praelatis regularibus servandus

SRE cardinales, patriarchae, archiepiscopi sive episcopi, abbates, necnon locorum ordinarii, qui privilegiis protonotariorum apostolicorum de numero fruuntur et regularibus ordinibus sunt adscripti, in suis vestibus praelatitiis uti debent colore seu coloribus sui quisque ordinis vel colore violaceo sive rubro. CE, 1, n. 4; NC, § 1, n. 3 et 6 (25 et 26).

(24) Hac de re vide Léon Gromier apud QL, 1924, p. 113. Aurei flocculi ad zonam exornandam patriarchis nunquam fuerunt concessi, nec in Urbe ab ipsis adhibentur. Privilegia pallioli et auri in vitta galeri data fuerunt quatuor patriarchis antiquioribus, videlicet Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolimitano, et per privilegiorum communicationem ceteri patriarchae latini ritus iisdem nunc fruuntur privilegiis. Vide notam 10 huius libri, p. 96.

(25) Tamen hisce nostris diebus nonnulli cardinales vel episcopi locorum ordinarii ex monasticis seu fratrum ordinibus assumpti solent a Sancta Sede indultum impetrare de vestibus rubris vel violaceis adhibendis. Nam, aiunt, non decet ut episcopi auxiliares, praelati dioecesis vel canonici vestibus violaceis utantur dum primus antistes ecclesiae nigris utitur vestibus. Sic recentissime emus Cardinalis Schuster OSB privilegium obtinuit adhibendi vestes non secus ac cardinales e clero saeculari, serico non excluso; exmus Archiepiscopus Montisvidei in Uruguay, Alaphridus Barbieri OFMCap, idem obtinuit indultum, nimirum adhibendi vestes laneas violaceas; alii plurimi loci ordinarii idem fecerunt. SRC indultum tamen concedit extra Urbem, ibi enim regula CE servanda est praesertim post motu proprio *Valde solliciti* Pii Pp. XII, *g. r.*

(26) Per totum fere saeculum XV usque ad medietatem saeculi XVIII vel circiter, cardinales et praelati vestibus optime quidem confectis utebantur : sericum cardinalium erat undulatum naturali processu; caputium pallioli erat caputium cum quo caput cooperiri licebat; mantelletum erat vestis infra genua ducta qua rochetum totaliter cooperiebatur; rochetum ipsum erat e tela linea tenuissima et per circuitum patebat tredecim cubitos (18 feet seu 5 met 60 cent.) iuxta sanctum Carolum, non secus ac hodiernum mantelletum romanum, ita enim licebat telam rugare; praeterea infra genua ducebatur. Perenne harum vestium monumentum nobis dederunt celeberrimi pictores illorum temporum. De sancto Carolo exstant picturae sat notae, praesertim illa a Daniel Crespi depicta et in Ecclesia sanctae Mariae de Passione Mediolani servata. Alias plurimas picturas contemporaneas sancti Caroli vide apud *Arte Cristiana*, 1938, p. 249-257. Raphael pinxit figuram Cardinalis Alidosi (? c. 1510) *(Museo del Prado, Madrid)* cum perpulchro palliolo e serico undulato. In *Museo Nazionale, Napoli* videbis nobilem picturam Cardinalis Alexandri Farnese (c. 1512) et in Palazzo Pitti Firenze, Cardinalis Bibbiena (c. 1516). Hae duae solent tribui Raphaeli. Exstat etiam figura Cardinalis Don Fernando Niño de Guevara quam pinxit El Greco *(Metropolitan Museum, New York)* : cardinalis utitur rocheto et mantelleto longe ducto infra genua. Nec praetermittere licet nobiles picturas Cardinalis de Richelieu († 1642), opus Philippi de Champaigne *(National Gallery, London)* ; et Jacobi Bossuet († 1704) a Rigaud depictam *(Louvre, Paris)*.

Si regulares utuntur cappa seu mantello vel cogulla alterius coloris ac habitus ipse, praelati hunc retinent colorem in mantelleto, palliolo et cappa, cum suis subsutis, globulis, ocellis et torulis. NC, § 1, n. 6, b.

Supervestes hic intelleguntur mantelletum, palliolum humerale et cappa pontificalis.

Praelati canonici regulares :

1 — Lateranenses sancti Augustini sequuntur colorem praelatorum cleri saecularis. Idem faciunt :

2 — Sancti Augustini *du Grand saint Bernard* et

3 — A sancto Mauritio Agaunensi.

4 — Premonstratenses utuntur colore albo.

5 — Cruciferi utuntur colore nigro, tamen iuxta Caeremoniale color cleri saecularis adhibendus est *sicut etiam*

6 — Sanctae Crucis a stella rubea qui colore nigro utuntur.

Praelati monachi :

1 — Congregationum Confoederationis Leonianae Ordinis sancti Benedicti utuntur colore nigro.

2 — Ordinis Eremitarum Camaldulensium OSB albo utuntur colore cum supervestibus nigris.

3 — Sancti Basilii Magni utuntur colore nigro.

4 — Congregationis Vallis Umbrosae OSB nigrum adhibent colorem.

5 — Congregationis Silvestrinae OSB utuntur colore caelestino *(bleu foncé)*, sed antiquitus utebantur colore violaceo-caeruleo. *Piazza*, p. 30.

6 — Congregationis Montis Oliveti OSB utuntur colore albo.

7 — Cistercienses (SOC) utuntur habitu talari albi coloris : supervestes vero sunt nigri coloris cum subsutis, globulis et ocellis pariter nigris, sed caputium cappae ornatur pellibus armellinis vel serico albo, nam utuntur cogulla alba. APC, 1901, p. 447.

8 — Cistercienses strictioris observantiae *(Trappistes)* se vestiunt uti ceteri monachi Cistercienses, sed adhibent pannum rudiorem.

9 — Cartusiani sancti Brunonis utuntur colore albo, cum supervestibus nigris non secus ac Cistercienses.

10 — Ordinis sancti Pauli primi Eremitae album adhibent colorem. APC, 1900, p. 385. SRC, die 3 februarii 1907. ASS, 41, p. 344.

Praelati ex ordinibus mendicantibus :

1 — Ordinis sancti Dominici : Vestis talaris albi coloris; supervestes nigri coloris cum subsutis, globulis et ocellis albi coloris.

2 — Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci : Color cineris toni levioris. Caputium cappae ornatur pellibus vicuniae.

3 — Ordinis Fratrum minorum Conventualium utuntur colore cinericeo, licet fratres nunc nigrum adhibeant colorem in habitu.

4 — Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum usque ad annum 1826 utebantur colore cinericeo non secus ac ceteri franciscani. Nunc tamen utuntur colore habitus suae religionis, id est pullo. Caputium cappae ornatur pellibus *otter*. APC, 1901, p. 459.

5 — Tertii Ordinis Regularis sancti Francisci se vestiunt veluti Fratres Minores.

6 — Ordinis sancti Augustini utuntur colore nigro.

7 — Ordinis Recollectorum sancti Augustini utuntur colore nigro.

8 — Ordinis Eremitarum Discalceatorum sancti Augustini utuntur colore nigro.

9 — Ordinis B. Mariae V. de Monte Carmelo utuntur vestibus talaribus coloris suae religionis seu coloris pulli; supervestes vero sunt albi coloris; cappa magna erit coloris albi cum pellibus armellinis vel serico albo.

10 — Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum se vestiunt non secus ac ceteri carmelitae.

11 — Ordinis SSmae Trinitatis utuntur colore albo cum supervestibus nigri coloris sicuti monachi Camaldulenses. Super palliolo adhibent crucem rubri-caerulei coloris.

12 — Ordinis B. Mariae V. de Mercede utuntur colore albo cum supervestibus albis uti supra.

13 — Ordinis Servorum Mariae utuntur colore nigro.

14 — Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula utuntur colore nigro.

Praelati clerici regulares :

Octo numerantur ordines clericorum regularium, videlicet Theatinorum; Barnabitarum; Societatis Iesu; a Somascha; Ministrantium infirmis; Minorum; a Matre Dei; Scolopi.

Clerici regulares horum octo ordinum, quando ad cardinalatum vel ad episcopatum seu ad protonotariorum ordinem elevantur, vel ad eorum honoribus fruendum admittuntur, in suis vestibus prealatitiis quoad colorem se conformare debent clericis saecularibus, excluso serico nisi in subsutis et zona seu collario.

Vicarii generales vel capitulares ex canonicis regularibus, seu ex ordinibus monachorum sive fratrum mendicantium assumpti, retinent colorem praelatorum sui quisque ordinis in habitu talari et mantelleto; canonici regulares tamen retinere debent colorem sui ordinis si eorum episcopi regulares utentur colore violaceo, qui quidem color protonotariis titularibus non competit.

Praelati congregationum :

Sex super octoginta adnumerantur congregationes ecclesiasticae cum votis non solemnibus.

Clerici harum congregationum ad cardinalatum, episcopatum vel praelaturam promoti, quoad colorem vestium praelatitiarum sese omnino conformare debent clericis saecularibus, excluso serico excepto quoad subsuta, globulos, ocellos et zonam seu collarium.

¶ — Sequuti sumus ordinem in *Annuario Pontificio* (1948) traditum, demptis religiosis ordinibus rituum orientalium.

Quoad regulares omnes observa :

Subsutum mantelleti vel pallioli humeralis, globuli et ocelli, necnon zona, collarium vel chirothecae eiusdem coloris sint ac vestes ipsae quas ornant sed e serico. Sericum etiam erit subsutum cappae, quod aestivo tempore, pellibus depositis, eorum adhibetur loco. Eiusdem coloris ac vestes, excluso tamen serico, erunt caligae. Biretum et pileolum praelatorum ordinis episcoporum erunt violacei coloris.

TITULUS II

DE HABITU PRAELATITIO IN SPECIE

CAPUT I

De habitu Summi Pontificis

Habitus in liturgicis vel solemnioribus conventibus adhibendus a Summo Pontifice componitur veste talari sine cauda albi semper coloris e serico undulato vel e panno laneo vulgo *merinos*, aliove.

Ad renes Papa se cingit zona serica alba undulata cum duobus flocculis aureis pendentibus (27), et desuper rocheto lineo *con merletto basso. Caer. electionis Papae.* Super rocheto Summus Pontifex utitur palliolo sine cruce pectorali (28).

Palliolum conficitur e serico unito *(satin)* rubro tempore aestivo, et ex eodem serico albi tamen coloris in hebdomade Paschae. CA, I, p. 244. Tempore hiemali palliolum conficitur ex serico villoso *(velours)* rubri coloris cum pellibus armellineis per oram seu totaliter ita subsutum. Tempore paenitentiali palliolum fit ex lana rubra cum pellibus armellineis in hieme et sine illis tempore aestivo. Usus lanae in palliolo tamen obsolevit (29).

(27) Iuxta Caeremoniale Apostolicum Papa electus super veste talari induitur "cingulo rubeo cum aureis fibulis". CA, I, p. 75. Obsolevit tamen usus.

(28) Usque ad saeculum XVI solebant Summi Pontifices ex ordinibus monasticis seu mendicantibus assumpti ab usu serici abstinere et superpelliceum retinere loco rocheti. Deinde, decursu temporis, cum episcopi regulares usum rocheti a Sancta Sede impetrarent, et papae regulares illud induere coeperunt. Nonnulli Papae regulares voluere cum habitu suae religionis sine rocheto sepeliri. Sic enim Burchardus de Sixto IV loquens dicit quod deberet sepeliri cum habitu sancti Francisci : *In hoc erravi...* sed *cum non haberet rochetum sepelivi Papam sine rocheto*, I, p. 15, linea 23.

(29) De capucio seu palliolo Papae per longum agit Bonanni in suo opere de Hierarchia ecclesiastica. Tempore exsilii in Gallia, propter temporis intemperiem Summi Pontifices non solum capucium pellibus subsutum adhibebant, verum etiam mantellum talare ad instar mantelleti cardinalium vel etiam cum manicis, amplis

Biretum papale seu camelaucium *(camauro)* conficitur ex eodem panno ac palliolum cuius est complementum et sequitur formam capitis, quod ab omni parte cooperit cum quatuor panibus ad instar bireti sine tamen charta opaca ad intus. Tempore hiemali biretum erit pellibus armellineis subductum; tempore aestivo vero e serico rubro, eritque semper rubini coloris, excepta hebdomade Paschae quando erit album sicut palliolum ipsum.

Biretum papale paulatim locum cessit pileolo albo episcoporum ad instar, deplorantibus sacrae antiquitatis cultoribus. Tamen Leo XIII et Pius XI bireto papali aliquando, licet nec semper, usi sunt (30).

Pileolum Papae conficitur e serico albo undulato vel e panno laneo iuxta tempus aestivum vel hiemale (31).

Galerus Papae est rubri semper coloris cum vitta aurea circumcirca et cum aureo pariter torulo per oram (32).

Summus Pontifex utitur rubris mulleis, cum cruce opere phrygio apposita tamquam suae supremae dignitatis privilegio, cum tamen caligis albis. Stricto iure sandaliae seu mullei papae confici debent ex eodem panno ac palliolum et biretum et hanc regulam observabat Pius XI, teste BM, I, p. 70 (33).

pellibusque subsutum, uti apparet in picturis Leonis X et Iulii II. Vide notam 36 infra. In antiquo quodam diario a Bonanni citato legitur "Hoc igitur indumenti genere, mantello scilicet et caputio, inter proprios lares et extra etiam in actionibus quibuscumque non tamen sacris, usi sunt Pontifices Maximi fere usque ad Leonem X", p. 363. Post Leonem X usus mantelli subtus caputio obsolevit.

(30) Biretum papale iam in usu erat apud Summos Pontifices qui in Gallia tempore exsilii ad aquas Rhodanicas vixerunt. Eius tamen usus potest etiam ulterius extendi, forte ad saeculum IX. De camerario loquitur *Liber Pontificalis*, sed teste Duchesne auctor de mitra potius loquebatur. Vide Battandier, *Le Camauro*, APC, 1901, p. 76-81 cum optimis illustrationibus; Bonanni, caput 89 *Del Berrettino usato dal Sommo Pontefice*. De bireto papali loquitur Burchardus passim; sic dans relationem rerum pro Papa Innocentio VIII nuper electo scripsit "Tria biretta rosacea, suffulta taffetà, si sit aestatis tempore, vel si hiemalis pellibus armellinis subducta. Unum biretum de serico album". *Diarium notarum Innocentii VIII*, I, p. 58, linea 21.

(31) Pileolum est res nova in vita Romanorum Pontificum. Pileolum a nonnullis et in lingua lusitana vel hispanica vocatur *solideo*, eo quod Deo tantum deponitur. Biretum papale solebat vocari *necdeo*, eo quod Pontifices vix unquam illud publice deponebant. Pius VI primus usus est pileo, rubri tamen coloris, cuius exemplum sequuti sunt subsequentes Papae, mutato tamen colore pro albo. Cánova satis notam statuam Pii VII sculpsit cum pileolo in capite. Tamen usus pileoli albi non est res ita nova nam sub mitra vel sub tiara Papae utebantur parvo pileolo albo seu *submitrali* loco bireti. Bonanni, p. 367 a.

(32) Leo XIII introduxit usum pilei et mantelli *(overcoat, douillette)* albi coloris cum in viridario Vaticano perambulabat.

(33) Teste Burchardo suo tempore Papa utebatur rubris caligis eiusdem panni ac sandaliae ipsae. Diarium Innocentii VIII, I, p. 58, linea 8. Id enim erat praescriptum in CA, lib. III, cap. IV. *De calceis pontificiis cruce insignitis scripsit* Angelus Rocca, Romae 1595, in-folio.

Rubri etiam coloris conficitur *mantellum papale* tempore hiemali adhibendum cum collari verticali, quo Summus Pontifex tantum utitur et cum torulo rubeo-aureo (34).

Ad matutinum Summus Pontifex si quandoque sacras non assumit vestes utitur *cappa pontificali* caudata e serico villoso rubro vel tempore paenitentiali e panno laneo, scissa in parte anteriori e medio pectoris ad pedes et pellibus armellineis subsuta. Ultimus tamen Pontifex qui hac veste usus est fuit Pius IX, nam post suam inclusionem in Vaticano officiis matutinis non amplius interfuit. Burchardus I, p. 467, linea 36 et passim. Paris de Grassis, *Ordo Romanus*, art. XI, apud Martene, III, p. 219. Bonanni, cap. LXXIII, *Della cappa usata dal Sommo Pontefice*, p. 435, picturae n. 59, 60; Piazza, p. 198.

In officiis pontificalibus Papa utitur fimbria seu *falda* : est enim ampla vestis e tenui serico albo, quae subter rochetum firmatur, quaeque in parte anteriore se extendit usque deorsum ad longitudinem dimidii metri et in parte posteriori ad modum amplae caudae ad longitudinem centum viginti quinque centimetrorum, propterea cum fimbria cauda habitus talaris non extenditur (35).

In consistoriis secretis vero Papa utitur fimbria minori, quae se extendit ad quartam partem metri in parte anteriori et ad dimidium metri in parte posteriori. Quando Papa ambulat fimbria suspenditur utrimque in parte anteriori a duobus protonotariis sive auditoribus S. R. Rotae et a parte posteriori a duobus cubiculariis. Moroni, 23, p. 10; APC, 1907, p. 104.

Ex inde concluditur colorem proprium Summi Pontificis nativo iure esse rubrum; nam colorem album Papa adhibet in sua veste talari et in falda quae pars complementaris est vestis talaris quasi fimbria eiusdem : in galero, bireto, palliolo, mantello et sandaliis

(34) Mantello cum collari verticali tamquam Papae reservato primo usus est sed nec semper sanctus Pius X; Leo XIII utebatur mantello rubro cum collario villoso reverso non aliter ac patres cardinales et praelati. Vide picturas Leonis XIII a Chartrau vel Benjamin Constant factas. *Illustrazione Vaticana*, 1931, I.

(35) Fimbria seu falda papalis alia erat serica, lanea alia, iuxta tempus, nunc tamen usus fimbriae laneae obsolevit. Falda originem suam duxisse supponitur una cum magno pluviali, quod longe ductum protenditur infra pedes Summi Pontificis. Vestes hae solemnes sunt, praesertim cum Summus Pontifex in hexaphorone seu sede gestatoria vel in throno suo sedet. Quum tamen Papa ambulat hisce indutus vestibus duo praelati anteriorem partem sustinent, cardinales duo oras pluvialis, cubicularii duo seu princeps solio assistens posticam partem fimbriae. Fateri debemus huiusmodi vestes ad ambulandum factas non fuisse, et sex personas eas attollentes praeter caeremoniarios duos passus Summi Pontificis intercludere. In Processione Corporis Christi usus fimbriae erat nimis incommodus, proinde Papae inde a Pio IX illam pro processione non amplius induunt. Moroni, 23, p. 10.

rubeo semper utitur colore. Quo tamen non obstante, mens fidelium est ut Christi in terris Vicarius albis utatur vestibus, et sic semper voluerunt Romani Pontifices, nam per albas vestes *caelestis sui officii splendorem gentibus patefaciunt* prout legitur in quodam diario Romanae Curiae. Vide Bonanni, cap. LXXXVI ubi, data opera, de colore albo scripsit.

Super palliolo, Papa sibi imponit rubram stolam, vel albam in hebdomade Paschae, quam Burchardus volebat cum vel sine perolis iuxta tempus. Diarium, I, p. 58, linea 18. Usus stolae super palliolo privilegium est papale et quidem exclusivum, veluti supremae suae iurisdictionis in universali Ecclesia argumentum. Sic enim vestitus Pius VII duces Napoleonis recepit et in exsilium ivit; sic Pius XI die 5 decembris 1929 Regem et Reginam Italiae solemni modo recepit, tractatum Lateranensem sua sacra persona ratificans; sic ad Basilicam sancti Petri pro servorum Dei Beatificatione descendit. Sic etiam vestitus, sed addita falda, Papa consistoriis secretis praeest; sic etiam Papae inde ab initio saeculi XVI solemniter ad Lateranum equitabant ut possessionem eius assumerent. Cancellieri, *Solenni possessi*, Roma 1802, in-4°, passim. Non tamen est habitus liturgicus Papae in throno vel in sacramentorum et sacramentalium administratione adhibendus, nam tunc iuxta antiquam traditionem sacris semper induitur vestibus. Vide EPR, I, n. 35, notam 17 (36).

---

(36) Modum vestiendi Summi Pontificis nobis servaverunt pictores; exstant enim plurimae picturae paparum magni valoris. Imprimis expedit memorare picturam Iulii II sedentis (Palazzo Pitti, c. 1511) et eiusdem Papae missae assistentis genuflexi in Missa Bolsene cum palliolo et falda *(afresco dal Vaticano)*; picturam Leonis X (Palazzo Pitti, c. 1518) : tum Iulius II tum Leo X induti sunt bireto e serico villoso rubro cum pellibus armellineis subtus; insuper Leo X indutus est mantello serico albo pellibus armellineis subsuto propter temporis intemperiem. De hac veste papali in usu usque ad Leonem X, vide Bonanni, p. 364. Utrumque lignum depinxit genialis vir Raphael qui antequam quadragesimum expleret annum e vivis egressus est anno 1520: egregius pictor B. M. V. ab Ipsa debuit certe citius coronari. Sed specialem memoriam meretur opus forte maximum Velásquez, nimirum pictura Innocentii X (Palazzo Doria, c. 1651), et Clementis IX a Carolo Maratta facta *(Nuova Pinacoteca Vaticana)* necnon Pauli III cum manto albo opus Titiani *(Musaeum Nationale, Napoli)*. In hisce sicuti in nonnullis aliis picturis Papae utuntur semper linteo rocheto infra genua cum palliolo et bireto sed deest stola, quae hoc fere tempore seu vertente saeculo XV in usum tamquam insigne papale invecta est. Tamen, teste Bonanni (p. 427), etiam usus stolae veluti insigne papale originem ducit ab eorum exsilio in Gallia (1305-1378).

CAPUT II

De Habitu SRE Cardinalium

Cardinales iure utuntur habitu praelatorum proprio, videlicet veste talari cum zona, mantelleto, palliolo humerali, sive cappa pontificali.

Color vestium duplex exstat, videlicet rubeus vel violaceus. Color violaceus adhibetur quoties color liturgicus est violaceus seu niger et color rubeus quoties color liturgicus est albus, rubeus vel viridis. Cauto tamen quod toto tempore Adventus, Septuagesimae et Quadragesimae color violaceus semper adhibebitur, exceptis maioribus festivitatibus primae classis, videlicet : in die festo Immaculatae Conceptionis BMV; sancti Joseph; Annuntiationis BMV; titularis ecclesiae cathedralis vel patroni principalis loci; ad missam in colore albo in die anniversario electionis vel coronationis, consecrationis seu translationis episcopi. NC, n. 20.

Color cappae pontificalis idem erit ac color vestium, sed in consistoriis erit semper violacei coloris etsi eo die vestes rubrae adhibeantur (NC, n. 22, b), cum exceptione pro consistoriis maioribus diebus celebratis. NC, n. 22, a, 4 (37).

Aestivo tempore habitus ruber erit e serico undulato, tempore vero hiemali erit laneus ; sed semper licet cardinalibus aestivo tempore et extra capellas papales in functionibus minus solemnibus induere vestes laneas rubras leviores *merinos* sive e serico rubro unito non undulato. E contra diebus solemnioribus tempore hiemali occurrentibus usus habitus serici undulati non prohibetur.

(37) Usus adhibendi cappam violaceam in consistoriis antiquum servavit morem : nam mos erat ut consistoria haberentur diebus ferialibus, praesertim feriis secunda et sexta pro secretis et quinta pro publicis, et ita fieri iussit Paris de Grassis, *Ordo Romanus*, art. XI, apud Martène, III, p. 221. Praeterea usus rubri coloris ad galerum et biretum cardinalium restringebatur, prout etiam hodie observatur a cardinalibus ex monasticis seu mendicantibus ordinibus assumptis. Color rubeus pro vestibus non nisi paulatim fuit introductus et quidem primo pro legatis a latere qui persona Papae fungebantur, etenim color rubeus erat Romani Pontificis proprius, sicut etiam nunc est. Consonum proinde erat ut ii qui sacram personam Papae agebant rubeis uterentur vestibus. Coram Summo Pontifice non nisi serius cardinales rubras vestes induerunt. Unde stricto iure color rubeus proprius est Summi Pontificis eiusque a latere legatorum qui eo semper utuntur, etiamsi sint ex ordinibus monasticis assumpti. Vide librum I, notam 14, p. 12. Color proprius vestium cardinalium est violaceus, cum quo creantur, cum quo Papam eligunt, cum quo demum in pace Domini sepeliuntur. Verum est diebus festivis ipsos rubras adhibere vestes, sed iuxta monitum Divi Bernardi in Ecclesia Militanti expedit potius dies habere paenitentiales. Vide Battandier in APC, 1903, p. 358 *Couleur du Costume des Cardinaux.*

Habitus violaceus, ad tramitem motu proprio Pii Papae XII *Valde solliciti*, erit semper laneus.

Cappa pontificalis erit semper serica etiam cum habitu laneo, excepta Feria Sexta Maiore quando cappa lanea praecipitur adhibenda. NC, n. 22, c. In officiis paenitentialibus extra Urbem laudabiliter cardinales utentur cappa in Feria Sexta Maiore praeceptiva.

¶ — 1. Color rosaceus, olim adhibendus in vestibus cardinalitiis diebus quibus color liturgicus est rosaceus, nunc obsoletus evenit, et de eo tacet recentissima instructio SCC (NC, n. 20).

2. Color violaceus cardinalium idem est ac aliorum praelatorum, et servari debet ad gradum violaceum a SCC datum die 24 iunii 1933. AAS, 1933, p. 341. NC, n. 3.

Cardinales ex ordinibus monasticis seu mendicantibus utuntur vestibus e panno laneo *merinos*, excluso panno serico, et retinent colorem seu colores habitus suae religionis non secus ac episcopi illorum ordinum. NC, n. 6.

Cardinales e congregationibus religiosis, sive canonici seu clerici regulares, utuntur vestibus rubeis seu violaceis non aliter ac cardinales e clero saeculari, cauto tamen quod vestes erunt semper laneae propter votum paupertatis (38).

Galerus cum habitu praelatitio adhibendus, biretum et pileolum erunt semper rubei coloris pro omnibus cardinalibus, dignitatis eorum insignia praecipua, nam caput eorum tegunt (39).

¶ — 1. Cetera omnia relate ad materiam et formam vel usum vestium cardinalium traduntur in instructione Sacrae Congregationis

(38) Sic enim docent probati auctores cum Martinucci et sic legis in *Ceremoniale di un nuovo eminentissimo* (ed. 1898, n. 20); sic etiam legis in libello *Nota degli abiti che occorrono ai Signori Cardinali*, a Praefectura Apostolicarum Caeremoniarum edito anno 1935. Unde potius dicere debes agi de lapsu quodam quando legis in *Norme Ceremoniali* canonicos seu clericos regulares uti debere sericis vestibus quando ad cardinalatum assumuntur. NC, n. 3. Ad id enim voto paupertatis prohibentur. Eo tamen non obstante, solent clerici congregationum votorum simplicium ad cardinalatum promoti uti sericis vestibus contra ordines praefecti apostolicarum caeremoniarum. Vide Respighi apud AAS, 1933, p. 143. Error forsan evenit ex eo quod clerici seu canonici regulares se conformant cum cardinalibus cleri saecularis quoad vestium colorem, non secus ac episcopi ex ordinibus huiusmodi promoti. CE, I, 1, n. 4. Decrevit proinde Pius Pp. XII, *g. r.* "Caeremoniarum normae in Romana Curia redintegrentur, ad habitum pertinentes eorum Patrum Cardinalium qui vel ex canonicis seu clericis regularibus, vel ex religiosis congregationibus in Sacrum Conlegium cooptantur". *Valde solliciti*, 30 novembris 1952, n. IV. Quae quidem normae in hac nostra expositione explanatae sunt.

(39) Sanctus Pius V, die 9 iunii 1567, cardinalibus regularibus privilegium pileoli et bireti rubri coloris concessit, nam antea galero rubri coloris tantummodo utebantur. Piazza, p. 129.

Caeremonialis (NC) Art. I : *Degli abiti degli Emi Signori Cardinali* et art. II : *Dell' uso degli abiti degli Emi Sig. Card.* Et etiam in opusculo *Nota degli abiti che occorrono agli Emi e Revmi Signori Cardinali*, Roma 1935 a Praefectura Apostolicarum Caeremoniarum edito. Singulis annis eadem Praefectura edit opusculum *Designatio dierum quibus Emi et Revmi Patres vestes rubei vel violacei coloris induent* (40-41).

2. De habitu praelatitio cardinalium, vacante Apostolica Sede, agitur in capite V; de eorum habitu piano in capite VI, et de speciali habitu civili in capite VII; et passim suis locis in tota hac sectione de ipsis agitur sermo.

CAPUT III

De habitu praelatitio episcoporum

¶ — Caeremoniale episcoporum eorum vestes describit tantum in suis regulis generalioribus, sed cum vestes huiusmodi eaedem sint ac vestes praelatorum domesticorum, quae codificatae sunt, ad has codificationes recurrere expedit; seu aliis verbis unus tantum exstat in Ecclesia habitus praelatitius, sive praelatus sacerdotali sive episcopali charactere fulgeat, cum nonnullis tamen modificationibus.

Habitus praelatitius episcoporum idem est ac habitus violaceus praelatitius praelatorum domesticorum cum sequentibus modificationibus :

1) Episcopi residentiales seu dioecesani praeter mantelletum iure utuntur palliolo, cum vel sine mantelleto, et cappa pontificali, tamquam eorum habitu chorali.

(40) Non intellegitur cur iuxta *Norme Ceremoniali* chirothecae cardinalium esse debeant rubri coloris cum habitu cardinalitio violaceo. Non agitur de re cum bireto correlativa, nam docent NC cardinales regulares debere uti chirothecis coloris sui habitus : sed aiunt *salva diversa consuetudine*. Re perspecta putamus chirothecas debere cum colore habitus cardinalis convenire. Sic enim docebat tempore Gregorii XVI eruditus Moroni *I guanti sono rossi o paonazzi a seconda del colore proprio*, 96, p. 225. Id valet etiam pro caligis, ait enim idem auctor, de romanis usibus peritus, *Le calze sono parte accessoria del vestiario che seguire deve il colore principale, e percio i cardinali dovrebbero usare il colore rosso nelle calze se l' abito è rosso o il colore paonazzo se l' abito è paonazzo.* Moroni, 6, p. 287. Tamen iuxta NC, n. 24, caligae sede plena sunt rubri coloris cum habitu violaceo, excipe Feriam Sextam Maiorem.

(41) Cardinales in habitu quotidiano nigri coloris hodie in usu non mutant colorem zonae seu caligarum. Proinde nec cum habitu piano mutare deberent colorem, nam habitus pianus est ipse habitus quotidianus cum ferraiolo. Tamen Romae (et extra Urbem) invaluit usus adhibendi ferraiolum violaceum tempore Quadragesimae vel diebus paenitentialibus cum habitu quotidiano nigro et cum zona, caligis et chirothecis rubri coloris : singularis nec laudanda colorum commixtio : vestis talaris nigra, zona et alia rubra, cum ferraiolo violaceo, apposito subsuto rubini coloris. NC, n. 10. Sed ita elapso iam saeculo declaravit SCC die 7 ianuarii 1851. BM, 1, p. 46.

2) Episcopi, inde ab eorum nominatione seu electione utuntur colore violaceo in pileolo et bireto. D. 4284, III (42).

3) Pileum ornatur vitta serica viridis coloris, est enim color episcopalis. Piazza, p. 284.

¶ — De cruce pectorali et de anulo agitur in parte sequenti.

Episcopi qui inter praelatos domesticos Papae per breve apostolicum electi non fuerunt, vestes laneas semper adhibent prout in capite II, tituli I habetur.

Episcopi qui ante suam electionem ad episcopatum ad fruendum honoribus cubiculariorum supra numerum vel ad honores admittebantur, nequeunt ex inde sericum in vestibus adhibere ex eo quod dignitas haec, cum electione ad episcopatum, cessat.

4) Episcopi, tum dioecesani extra suas dioeceses tum titulares, aliquando utuntur palliolo vel cappa praelatitia prout in titulo III de usu vestium praelatorum habetur.

5) Usus habitus praelatitii nigri coloris diebus paenitentialibus obsolevit (43-44).

(42) Pius IX die 17 iunii 1867 brevi *Ecclesiarum omnium curam* usum pileoli violacei coloris episcopis per orbem concessit, licet in nonnullis locis praesertim Galliae iam esset in usu. Viginti post annos Leo XIII, quinquagesimo anno sui sacerdotii recurrente, ad uniformitatem inter episcopos assequendam, privilegium Pii IX de colore violaceo adhibendo etiam ad biretum extendit, dato brevi *Praeclaro divinae gratiae* die 3 februarii anno 1888. Biretum violacei coloris in Gallia et aliis nationibus tamen iam erat passim in usu. BM, p. 224 et 231. Concessio Leonis XIII erat necessaria quum iuxta regulam semper observatam biretum et pileolum eiusdem sint coloris. Vide notam 49, libri I, p. 62.

(43) Praecepit sanctus Carolus in Synodo sua Provinciali IV, anno 1576 habita, ut episcopi diebus paenitentialibus omnibusque per annum feriis sextis, vestibus violaceis depositis, nigras assumerent. AEM, I, col. 425, quae quidem lex in CE locum invenit. CE, I, 3, n. 2. Hic et passim in nostro Caeremoniali manus sanctissimi Cardinalis apparet! Ratio forsan erat quia eo tempore sicut nunc nonnulli praelati utebantur vestibus violaceis quae potius rubras appellari conveniret; vel cum tempore Quadragesimae cardinales vestes rubras deponebant, incongruum videbatur ipsos eodem uti colore ac praelatura inferioris gradus.
Rubrica haec Romae nunquam fuit servata, praesertim cum praelatura vestes lugubres non induit nisi vacante throno papali. Episcopi pontificio solio assistentes proinde hanc rubricam servare non poterant. Quidquid sit de usu hic vel illic introducto post Caeremonialis promulgationem, certum est id quod suo tempore iam dicebat Catalanus, seu mutationem coloris vestium saltem in Italia nunquam fuisse servatam. Nunc vero rubrica haec Caeremonialis omnino obsoleta est et usum nunc receptum de non mutando colore approbavit SRC decreto n. 3184, 2. Tamen iterum quaesita, Sacra Congregatio respondit usum habitus praelatitii nigri coloris (non vero cappae quae semper est violacea) extra Urbem laudabiliter servari posse. D. 4355, I, 3. Vide Catalanum CE, II, n. 2, § II.

(44) Solebant auctores distinguere : habitus praelatitius episcoporum tempore paenitentiali debebat esse nigri coloris cum subsutis et globulis violacei coloris; vestis nigra talaris habitus piani vero cum subsutis et globulis rubini coloris. Iuxta Nainfa habitus paenitentialis niger ornari debet cum colore amaranto *(amaranth red inclining to purple)* et habitus pianus cum colore rubino *(crimson red)*. Sed talis non exstat distinctio. Ne quid nimis. Vide Nainfa, *s. s. The Costume of Prelates*, 2d edition, Baltimore, 1926, p. 37 et 52. Praeterea iuxta constitutionem Pii XI vestis talaris et mantelletum praelatorum tempore vacationis Sanctae Sedis erunt nigri coloris sine globulis vel subsutis alterius coloris, et sic tollitur quaestio. ID, n. VII.

Patriarchae iure utuntur sericis vestibus, quum omnes ad pontificium solium admittuntur, et quidem ex recepto more serico undulato non secus ac cappa violacea cardinalium.

Insuper super *amiculo breviori* (mantelleto) induunt *exomidum* (palliolum) ipsis a Benedicto XIII concessum die 30 septembris 1724 litteris *Romanus Pontifex* et a Benedicto XIV confirmatum litteris *Praeclara debitae* die 1 aprilis 1743. Opera 15, p. 297. Bullarium Benedicti XIII, p. 132.

Aurum in flocculis pilei et quidem cum quindecim flocculis ipsis concessit Sacra Congregatio Caeremonialis die 3 novembris 1826, elapso fere saeculo a concessione pallioli; hoc tamen decretum, saepius citatum, nullibi invenitur. Vide Heim, *Droit héraldique*, p. 122.

Nuntii vel delegati apostolici primae classis vestes praelatitias assumunt non aliter ac ipsi patriarchae, in locis tamen suae missionis; idem faciunt archiepiscopi qui in solemnibus conventibus *pontificalibus missionibus* praesunt, nam nuntiis primae classis aequiparantur.

Primates iure communi nullo speciali ex inde gaudent privilegio, sed in chordula seu vitta pilei adhibent aurum viridi intertextum.

Archiepiscopi se vestiunt eodem fere modo ac episcopi. Attamen ex recepto more utuntur in pileo vitta viridi auro intertexta et in diploide *(mantello)* adhibent torulum pariter aureum ad oram. Utrumque tamen privilegium nunquam fuit a Sancta Sede expresse concessum.

¶ — Privilegium vestium rubri coloris quibusdam archiepiscopis seu primatibus sive patriarchis concessum est (45).

Episcopi regulares eodem prorsus modo se vestiunt ac episcopi e clero saeculari, cauto tamen quod sericum et aurum ipsis non est permissum si quandoquidem episcopis e clero saeculari permittatur, prout supra exponitur, puta si episcopus regularis ad collegium assistentium pontificio solio admittatur.

(45) Colores vestium episcoporum positivis regulis firmantur, tamen dantur exceptiones. Sic Summi Pontifices ex eo quod nunnulli principes saeculares dignitatem cardinalitiam pro titularibus ecclesiarum suae nationis impetrabant, et ipsi eam

Episcopi ex ordinibus monasticis vel mendicantibus retinent iuxta monitum Caeremonialis colorem sui ordinis non secus ac cardinales qui ad ordines huiusmodi pertinent. CE, I, I, n. 4. Vide in capite IV codicem colorum (46).

Iuxta Caeremoniale (I, I, n. 4) episcopi ex ordinibus regularibus utuntur palliolo cum vel sine mantelleto prout res fert sed sine rocheto; tamen inde a generali concessione Benedicti XV, motu proprio data die 25 aprilis 1920, episcopi regulares omnes iure utuntur rocheto. Antiquum proinde privilegium adhibendi palliolum ubique, etiam in Urbe, non amplius viget (47).

Secundum verba Benedicti XV " Motu proprio in perpetuum statuimus, ut omnes episcopi regulares iam nunc rocheto utantur, atque eodem prorsus modo induti incedant (uniformitatis quoque gratia) ac saeculares episcopi, salvo nimirum usitato vestimentorum colore et qualitate. Itaque, praeter casus in quibus iuxta Caeremoniale Episcoporum et Decreta, palliolum super rocheto, aut etiam cum mantelleto gestari debet aut potest, alias, uti omnes episcopi, semper in hac alma Urbe mantelletum tantum super rocheto gerant; non

dare nequibant, privilegium vestium cardinalium dederunt; tali gaudent privilegio archiepiscopi qui sequuntur :

1) Gnesnensis et Posnaniensis in Polonia, est enim Legatus natus Sanctae Sedis.
2) Mohilaviensis in Russia, sed vacat Sedes. Vide breve apostolicum concessionis anni 1798 in APC, 1907, p. 376.
3) Pisanus in Italia.
4) Pragensis in Cecoslovacchia.
5) Salisburgensis in Austria, est enim legatus natus Sanctae Sedis.
6) Varsaviensis in Polonia, concessione Pii VII diei 30 decembris 1819. Bull. Pii VII, tomus VII, pars II, p. 1994.
7) Patriarchae Venetiarum et Lisbonensis priusquam in amplissimo Cardinalium conlegio admittantur. Clemens XI die 7 novembris 1716.

Privilegium vestium cardinalium semper excludit galerum rubrum et, stricto iure, etiam biretum et pileolum rubrum; et, saltem nobis videtur, eorum usus extra propriam nationem non permittitur, et certe in Urbe coram sacro Collegio illis uti non licet. Tamen rubris vestibus etiam in Urbe utuntur vel saltem utebantur Patriarchae Orientales.

(46) CE statuens ut episcopi regulares habitum sui ordinis retinerent saltem quoad colores, nihil novum instituit. Nam lex erat conciliorum inde a Concilio Constantinopolitano IV, Oecumenico VIII, anni 869, ut episcopi e regularibus assumpti vestes sui ordinis conservarent (can. XXVII). Id elapsis saeculis confirmavit Innocentius III in Concilio Lateranensi IV, Oecumenico XII, anno 1215, in canone XVI. Catalanus, CE, ed. Paris, I, p. 21-23.

(47) Ante concessionem privilegii solebat Summus Pontifex, post consistorium in quo episcopos eligebat, imponere rochetum praelatis saecularibus et canonicis regularibus, et palliolum praelatis regularibus : nunc autem nulla fit distinctio. CE, I, 1, n. 2.

obstantibus constitutionibus apostolicis, ceterisque quamvis speciali mentione dignis, in contrarium facientibus quibuslibet ". D. 4360 (48).

Unde non amplius licet episcopis regularibus adhibere palliolum super mantelleto extra proprias dioeceses, sicuti antiquitus fiebat ad tramitem CE. Nihilominus semper licet episcopis regularibus habitu quotidiano incedentibus vestes ordinis quisque sui assumere cum cruce pectorali et anulo, si maluerint, et si ita vestiti sacramenta vel sacramentalia administrare debeant, superpelliceum tantum induunt sine rocheto, quod pars est eorum habitus praelatitii.

Abbates ex ordinibus canonicorum regularium se conformare debent quoad vestes praelatitias et usum rocheti episcopis ordinis quisque sui, sed cum pileolo et bireto nigri coloris, et extra suas ecclesias ab usu pallioli abstinere debent, prout CE pro episcopis eorum ordinum statuit.

Abbates ex ordinibus monasticis in choro uti debent habitu suae religionis cum cogulla, cruce pectorali et anulo. In Concilio Vaticano lex erat ut abbates induerent vestes chorales quisque sui ordinis proprias. ASS, V, 278. Tamen abhinc aliquot annos solent abbates monachi induere habitum praelatitium non secus ac episcopi regulares, seu, retento colore ordinis, super vestem talarem seu habitum religionis induunt rochetum et mantelletum vel palliolum (49-50).

(48) Vetusto Ecclesiae iure statutum erat ut episcopi necnon SRE Cardinales ex regularibus ordinibus assumpti rochetum non induerent, quod ipsi Romani Pontifices regulares servare non dubitarunt, quem quidem canonem iuris Benedictus XIII ex ordine Praedicatorum in sua constitutione *Custodes* confirmavit, nam exemplum dedit ipse et cum esset archiepiscopus vel cardinalis superpelliceo utebatur. Catalanus, PR, I, p. 20. Sic enim rubricae Pontificalis Romani iteratis vicibus praecipiunt usum superpellicei praelatis regularibus, quam quidem legem Caeremoniale Episcoporum ratam habere voluit. In *Ceremoniale da un nuovo Eminentissimo*, anno 1898 edito legitur " Se poi fosse regolare... nè potrà mai indossare il rocchetto ", p. 13. Tamen aliquot abhinc annos, post concilium Vaticanum, episcopi regulares, exemplum cardinalium regularium sequentes, solebant in dies frequentius indultum rocheti a Sancta Sede impetrare, quod generatim erat concessum. Tandem Benedictus XV statuit ut episcopi tum saeculares tum regulares eodem prorsus modo se vestirent. Usum pallioli humeralis episcopis regularibus dedit CE ex eo quod rochetum ipsis erat prohibitum. Proinde ait CE " canonici regulares utuntur etiam rocheto prout ante promotionem ad episcopatum utebantur... sed non mozeta " CE, I, 1, n. 4. Unde etiam ante *motu proprio* Benedicti XV, privilegium rocheti regularibus datum usum pallioli prohibebat. Secus episcopi regulares amplioribus fruerentur privilegiis prae saecularibus. BM, I, p. 336; EPR, I, n. 35, et nota 18, p. 18; Favrin, p. 193.

(49) Si episcopi regulares ante concessionem privilegii Benedicti XV usu rocheti non fruebantur, a fortiori vel pari ratione nec abbates regulares. Proinde Alexander VII declaravit " regulares rochetum non deferant nisi ex tali ordine fuerint, cui indumentum huiusmodi competit ". D. 1131 ad 9. Sed iam prius SRC declaravit rochetum abbatibus sancti Benedicti *non convenire*. D. 409, 2. Idem docebat Augustinus Patricius in CA, lib. I, cap. III.

(50) Quoad usum mantelleti, pallioli et bireti, seu vestis praelatitiae, abbates regulares nequeunt amplioribus frui privilegiis prae episcopis eorum ordinum, sed se illis

Si abbates monachi usum rocheti a Sancta Sede non sint consequuti, super vestem talarem induunt mantelletum et palliolum vel palliolum tantum intra suas ecclesias. Si vero abbates monachi a Sancta Sede privilegium rocheti impetrarunt, uti moris est, tunc extra suas ecclesias mantelleto super rocheto tantum utantur prout de episcopis monachis statuit Benedictus XV (51).

CAPUT IV

De habitu praelatitio praelatorum Summi Pontificis

Praelati quatuor collegiorum Romanae Curiae, necnon praelati qui quomodocumque per breve apostolicum inter praelatos domesticos Summi Pontificis adnumerantur, quae sequuntur utuntur vestibus praelatitiis :

1 — Vestis talaris erit violacei coloris sine cauda, ex lana vel serico iuxta anni tempora. Reflexus in manicis *(paramano)*, ocelli et globuli erunt serici et rubini coloris.

2 — Mantelletum eiusdem panni erit ac vestis talaris cum subsuto et torulo *(filettatura)* rubini pariter coloris.

3 — Zona cum flocculis erit serica et violacei coloris.

4 — Collare et caligae erunt pariter violacei coloris.

5 — Calceamenta fibulis erunt ornata.

6 — Bireto omnino nigro flocculus imponetur violacei coloris.

7 — Pileo item nigro circumducetur chordula violacea cum flocculis eiusdem coloris, cum subsuto tamen rubini coloris ab intus.

conforment. Exinde concluditur : abbates regulares qui rocheto non utuntur eius loco induunt palliolum cum vel sine mantelleto prout res fert. Abbates vero regulares qui indultum consequuti sunt vestiendi rochetum sese omnino conformare debent episcopis eorum ordinum et motu proprio Benedicti XV, proinde ab usu pallioli humerali extra proprias ecclesias abstineant. Nam si id non amplius licet episcopis regularibus a fortiori nec abbatibus.

(51) Et hic movetur quaestio non parvi momenti, nam saepe accidit in conciliis plenariis coram cardinali a latere legato abbates regulares palliolum deponere renuere cum episcopi omnes id faciunt, et abbates rocheto etiam induti sint. Aiunt enim " palliolum est proprius praelatorum regularium habitus loco caputii seu *pro tegumento scapularum* ". Quibus verbis usus est Rocca Camerte († 1620) OSA et Summi Pontificis sacrista (Opera, I, p. 326). Sed post *motu proprio* Benedicti XV nec episcopus sacrista Summi Pontificis Ordinis sancti Augustini palliolo amplius utitur. Unde si abbates regulares extra proprias ecclesias palliolum super mantelleto uti velint ab usu rocheti abstineant necesse est. Secus ruit hierarchicus ordo.

8 — Rochetum opere phrygio seu reticulato ornabitur, et si quid supponatur in manicis eiusdem coloris esse debebit ac reflexus vestis.

9 — Praelati quatuor collegiorum Curiae in capellis pontificiis et functionibus collegialibus utuntur rocheto super cappa lanea cum vel sine pellibus armellineis, prout tempus fuerit hibernum vel aestivum.

10 — Praelati domestici super vestes praelatitias, extra domum praesertim, uti possunt diploide seu peramplo pallio talari laneo violaceo, absque torulo sed cum subsuto serico violaceo.

Protonotarii apostolici, sive de numero, sive supranumerarii vel ad instar, eodem modo se vestiunt ac praelati domestici, cauto tamen quod flocculus bireti et vitta pilei erunt rosacei coloris.

Praelati locorum ordinarii qui fruuntur privilegiis protonotariorum de numero durante munere eodem prorsus modo se vestiunt ac protonotarii prout supra exponitur, sed usus serici in veste talari et in mantelleto (subsutis exceptis) ipsis non permittitur nisi sint per breve apostolicum inter praelatos domesticos electi.

Praelati huiusmodi ex ordinibus regularibus subsunt codici colorum non secus ac episcopi regulares.

Protonotarii titulares seu ad honorem extra Urbem utuntur habitu praelatitio nigri coloris, videlicet : Veste talari, zona serica cum duobus flocculis in laevum pendentibus, mantelleto et bireto, absque ulla omnino horum parte, subsuto aut ornamento alterius coloris. Item rite utuntur rocheto et mantelleto. IM, n. 64.

¶ — Si Summus Pontifex extra Urbem praesens aderit, praelati extra Urbem habitum praelatitium gestare nequeunt, nisi sint de gremio capituli cui talis dignitas conceditur, vel vicarii generales seu capitulares. IM, n. 64-65.

CAPUT V

Habitus praelatitius vacante Apostolica Sede

In Urbe. Sede vacante, SRE Cardinales necnon tota praelatura maestitiae signa induere debent; proinde :

Sacrum Collegium rubeis vestibus depositis, violaceis tantum utitur et quidem laneis (52); collarium et caligae erunt violacei coloris;

(52) Usque ad conclave pro electione successoris Pii IX, cardinales creati a Papa modo defuncto diverso seu humiliori modo se vestiebant prae illis qui a suis praedecessoribus creati fuerunt; tamen decreto Praefecti apostolicarum caeremoniarum

rochetum erit simplex non rugatum (53) nulloque ornamento apposito, exceptis (si placet) textilibus reticulatis quae altitudinem trium centimetrorum ne excedant; cappa pontificalis, biretum et pileolum erunt lanea; zona violacea erit serica consueta cum flocculis aureis; calcei ornantur fibulis argenteis; pileum rubrum usuale adhibetur. NC, n. 33, b. Usus crociae laneae obsolevit (54).

Habitus pianus non variatur, sed ferraiolum erit violacei coloris. NC, n. 33, d (55).

Praelatura. Praelati tum ex ordine episcopali tum ex ordine sacerdotali, Pontifice mortuo et sepulto, vestes violaceas deponunt et nigras assumunt, videlicet :

Habitus talaris et mantelletum (et etiam palliolum patriarcharum) erunt lanea et nigra, cum globulis et ocellis pariter nigris; nigra erit zona cum nappis seu flocculis; rochetum erit simplex non rugatum et sine opere phrygio seu reticulato. ID, n. VII. Calcei erunt ornati fibulis argenteis non inauratis. NC, n. 33, b. Cappa violacea tamen adhibetur de more, nam color cappae non mutatur.

diei 10 februarii 1878 cardinales omnes ad *Requiem* pro Pio IX eodem prorsus modo se vestire debuerunt, seu prout tempore paenitentiali fieri solet; quod quidem monitum in NC legitur sub n. 33 a. Antiquam vestium diversitatem tradit Moroni, 96, p. 226; vide etiam Lucius Lector : *Le Conclave*, Paris 1894, p. 154.

(53) Iuxta constitutionem Pii XII rocheta cardinalium habeant fimbriam trium centimetrorum altitudinis et non amplius. Iuxta constitutionem Pii XI, *Ad incrementum decoris* praelati uti debent rochetis sine ullo opere ornamentationis gratia apposito. ID, n. VII. In praxi necessarium esset usum rocheti simplicis praecipere saltem Feria Sexta Maiore sicut fit pro cappa lanea cardinalium, NC, n. 22 c. Prout usus nunc exstat, solent cardinales et praelati reticulata textilia *(lace, merletti)* a rochetis usualibus auferre et sic induunt rocheta generatim breviora seu ad renes.

(54) Solebant Patres Cardinales supremum munus eligendi Summum Pontificem exsequi cum *crocia*, nam in Caeremoniali Gregorii XV anni 1622 legitur *crocis utuntur in electione et aliis actibus collegialiter faciendis*. Erat crocia (quae etiam *cucullum* audit CA, I, p. 53) cappa violacea lanea, caudata, in parte anteriori aperta et sine manicis, quae super palliolo vel directe super rocheto induebatur. Certe inde a Bonifacio IX († 1404) crocia erat in usu, qui teste Piazza (p. 198) eius usum praecepit; Bonanni (p. 445) refert usum crociae tempore Pauli II circa 1464; Burchardus in suo libro notarum dicit cardinales ad conclave venire *cum suis capucinis* (palliolo) *et crociulis* (sic!) (p. 47, linea 35); Moroni scribens tempore Pii IX seu anno 1859 dicit crocias adhiberi a cardinalibus in conclavi (vol. 96, p. 225). Tamen post quatuor saecula cardinales crociam reliquerunt et ea in conclavi pro electione Leonis XIII (1878) non induerunt. Senatores Romani usque ad Pium IX utebantur crocia serica ad instar cardinalium sed cum manicis. Vide Silvio Negro, *Seconda Roma*, p. 273. *De crocia veste cardinalium in conclavi* scripsit J. M. Suaresius, SS. Basilicae Vaticanae olim Vicarius († 1677), Romae 1670; vide Bonanni, p. 445; Piazza, p. 305; Capparoni *cardinale con crocia;* Moroni, *crocia*, 18, p. 224, et passim.

(55) Iuxta NC (n. 33 d) in habitu piano nulla fit mutatio sede vacante, seu collarium, zona et caligae erunt rubri coloris : cum habitu praelatitio vero praecipitur, et quidem recte, mutatio collarii et caligarum, sunt enim violaceae, seu ut ait Martinucci *color caligarum et collaris respondebit colori vestis.* MM, 3, p. 5. Vide BM, 1, p. 46; NC, n. 33 b. Certe legum contradictio : et caligae non ita facile mutantur.

Habitus pianus non mutatur sed ferraiolum erit laneum et nigri coloris. ID, n. IX (56); collare et caligae necnon chirothecae si adhibeantur, erunt pariter nigri coloris.

Diploides sive *mantello* hiemale erit nigri etiam coloris, nam sequitur colorem ferraioli.

Praelati di mantellone qui ad vitam Pontificis eliguntur, eius sepultura expedita, vestes violaceas deponunt; qui vero ad vitam nominantur, veluti caeremoniarii apostolici, eas retinent.

SRE Cardinales regulas in *Norme Ceremoniali* datas sequuntur, eo quod vestes violaceas etiam sede plena adhibent, proinde eas prae manibus habent. Quoad praelaturam vero quaestio est de mantelleto nigro adhibendo cum zona pariter nigra cum flocculis super veste talari nigra quotidiana quasi protonotarii titulares et non de antiquo habitu praelatitio nigri coloris cum globulis et ocellis seu subsutis violaceis. Sede Apostolica vacante, solum Collegium praelatorum Reverendae Camerae Apostolicae nigras vestes assumit, et alii praelati non, ex eo quod vix aderit praelatus qui mantelletum nigrum cum zona nigra cum flocculis secum habeat : aliis verbis lex non solet servari.

Regulae nunc a praelatis servandae Sede Vacante datae fuerunt a S. C. Caeremonialis die 21 iulii 1903 statim post mortem Leonis XIII, et post mortem aliorum pontificum confirmatae. APC : 1903, p. 354; 1904, p. 565; 1915, p. 98. AAS : 1914, p. 433; 1922, p. 65; 1939, p. 37, 50. Color violaceus, sericum, necnon rocheta rugata et ornata prorsus excluduntur.

Extra Urbem. De SRE cardinalibus extra Urbem Sede vacante non agitur eo quod omnes in Urbe convenire debent.

Quoad praelaturam extra Urbem, Apostolica Sede vacante, nullae fiunt seu fieri solent mutationes in vestibus; sed praelati, exemplo cardinalium, ab usu serici abstineant, et rocheta simplicia adhibeant uti maestitiae signa.

CAPUT VI

Habitus pianus

Quo tempore Caeremoniale episcoporum compositum est, unus erat habitus praelatitius, ab episcopis ubique adhibendus, tum intra tum

(56) Quoad episcopos iam suo tempore docebat Moroni (1850) seu potius observabat eos ferraiolum violaceum adhibere etiam sede vacante. Vol. 96, p. 125.

extra sacras functiones, praeter habitum breviorem itinerantium. Sed tempora mutantur et Pio IX necessarium visum est ius novum instituere : vestes praelatitias pro functionibus sacris vel solemnioribus reservandas, aliumque habitum minus solemnem approbandum ad usum civilem seu extra liturgicum (57). Et sic in vita ecclesiastica introductus est habitus civilis seu in civilibus receptionibus, conventibus, comessationibus vel ceteris huiusmodi adhibendus, qui quidem habitus a Pio IX pianus nuncupatur (58-59).

Habitus pianus communis est omnibus clericis et praelatis, mutato tantum colore vel qualitate panni, iuxta gradum uniuscuiusque.

Habitus pianus constat veste talari lanea sine cauda (60), zona serica cum laciniis a sinistris pendentibus, et amplo pallio talari serico seu ferraiolo.

Vestis talaris habitus piani est semper lanea et nigri coloris pro praelatis omnibus, SRE cardinalibus non exceptis (61-62). Tamen

(57) Saeculo elapso in usu erat ut cardinales et praelati non solum per vias civitatis sed etiam cum ad audientias privatas Papae admittebantur, habitum civilem seu uti vocabatur *abbatum* non deponerent. Pius IX tandem, decreto S. C. Caeremonialis diei 7 ianuarii 1851, iussit ut habitus qui nunc pianus vocatur adhiberetur in audientiis privatis " et in aliis quibuscumque privatae vitae circumstantiis ". Decretum habitum fere prout nunc in usu est describit. Tamen iam ante Pium IX vestis talaris nigri coloris cum ocellis sive globulis rubinis in usu erat in Urbe, addito pallio serico rubeo vel violaceo extra domum. BM, I, p. 45. Vide notam 60 infra.

(58) Habitus pianus est habitus civilis praelatorum, proinde edixit Pius XI *in civilibus tantum adhibendus*. ID, n. IX. Hoc nostro tempore tamen tot sunt praelati, tum ex ordine sacerdotali tum ex ordine pontificali, qui Romae conveniunt et functionibus papalibus intervenire curant, quod in presbyterio praesertim Capellae Xystinae haud habetur locus sufficiens. Ab aliquot annis proinde ingressibus qui laicis, clericis et praelatis distribui solent a Praeside Pontificiae Camerae legitur *Ecclesiastici in habitu piano*, et ipsi romani praelati ita assistunt sed extra presbyterium. Tamen in beatificatione Pii X, die tertio iunii 1951, episcopi omnes (et quot!) necnon praelati interfuerunt cum habitu praelatitio et sine illo in chorum ingredi permissum non erat.

(59) Habitus pianus solvit etiam difficultates practicas nonnullas de praecedentia. Sic solent nuntii seu delegati apostolici functionibus liturgicis praesertim in ecclesiis cathedralibus intervenire cum habitu civili et sedent extra presbyterium cum legatis aliarum nationum. Ita solvitur difficultas duorum thronorum et praecedentiae, si quandoque loci ordinarius cardinalitia dignitate fulget. Sed si excipias forte Nuntios Apostolicos quando una cum Corpore Diplomatico *(Corps Diplomatique)* liturgicis functionibus interveniunt, usus habitus piani in ecclesiis haud approbatur nec necessarius videtur.

(60) Antiquitus distinctio exstabat inter vestem talarem et togam aliam talarem quae *zimarra* nuncupabatur. Vestis talaris erat potius pars habitus praelatitii seu *di formalità*, e contra *zimarra* erat vestis domestica ampla, cum supermanicis et parvo palliolo humerali *pellegrina*. Toga haec a Summo Pontifice et a romana praelatura adhibebatur domi et in privatis receptionibus. Tempore Bonanni (1720) solebant cardinales et praelati in functionibus domesticis seu civilibus uti zimarra lanea nigra cum ferraiolo pariter laneo sed violacei coloris, et sic genitus est habitus pianus. Bonanni, p. 444.

(61) Supermanicae quae huic vesti apponi solent sunt fictitiae. Velásquez († 1660) pinxit Reginam Margaritam de Austria, sponsam Philippi III Hispaniae cum veste

ornatur ocellis, globulis, et torulo ad oram et ad basim, coloris rubri pro cardinalibus (qui nusquam variatur), rubini vero *(cremisi)* pro archiepiscopis sive episcopis et ceteris praelatis romanae Curiae, cauto tamen quod praelati *di mantellone* vestem talarem ornant cum rebus huiusmodi in colore violaceo.

Zona erit e serico unduloso, violaceo seu rubro iuxta tempus, pro cardinalibus, et e serico aequali seu non undulato pro episcopis et praelatis, nunquam vero rubino seu *cremisi*.

Ad extremitates zonae exornandas apponuntur laciniae eiusdem semper coloris ac ipsa zona, nam flocci adhibentur tantum cum habitu praelatitio.

Ferraiolum erit semper sericum rubrum seu violaceum pro cardinalibus; violaceum pro episcopis et praelatis, sine ullo ornamento alterius coloris, excepto ferraiolo violaceo undulato vel non cardinalium cuius extremitates anteriores ornantur serico rubino. Ad collum ferraiolum firmatur vittis eiusdem coloris ac vestis ipsa.

Pileum nigrum ornatur chordula serica cum flocculis in utraque extremitate vel vitta serica opere reticulato exornata. Color chordae et flocculorum vel vittae erit ruber auro intermisto pro cardinalibus; viridis pro episcopis et archiepiscopis (et quidem auro intertexto pro istis); rubinus pro protonotariis; violaceus pro ceteris praelatis romanae Curiae.

Collarium sericum, rubri coloris pro cardinalibus, violacei vero (et nunquam rubini seu *cremisi*) pro episcopis et cardinalibus.

Chirothecae sunt sericae violaceae pro episcopis et praelatis et rubrae pro cardinalibus, et conficientur sine globulis et ocellis.

Caligae adhibentur rubri coloris a cardinalibus, violacei vero ab episcopis et praelatis.

manicata et cum superveste cum manicis superpositis et ad dimidium brachium apertis sed cum globulis et ocellis, non secus ac illae quae in *zimarra* ponuntur. Aliis verbis primitus agebatur de duobus vestibus, seu de toga talari cum alia ampliore superposita. Deinde, decursu temporis, e duobus vestibus unam fecerunt, videlicet *zimarra* cum duobus manicis. Res tamen fictitiae non sunt rationi conformes.

(62) In Urbe supermanicae et palliolum humerale *(pellegrina)* cum habitu piano adhibentur a SRE cardinalibus et ab episcopis. Pius XI praelatis romanis, protonotariis de numero non exclusis, usum pallioli humerali prohibuit. ID, n. IX. Sed cum palliolum huiusmodi et supermanicae sint correlativa, nec supermanicae a praelatis sint adhibendae, nec Romae in usu veniunt. Cum vero usus pallioli cum superveste *(overcoat, douillette)* nimis incommodus evadit, solent patres cardinales vel episcopi ab eius usu abstinere. Praeterea novissimae *Norme Ceremoniali* de supermanicis et de palliolo pariter tacent, seu potius lubitibus cardinalium relinquunt, dicunt enim habitum pianum constare *sottana o zimarra*. NC, n. 10. Vide Piacenza, EL, 1906, p. 20.

Calcei nigri coloris ornantur fibulis argenteis vel inauratis.

Pallium talare laneum habitus praelatitii etiam cum habitu piano adhibetur loco ferraioli tempore hiemali.

¶ — 1. Romae solent praelati extra domum super ferraiolum sericum uti pallio talari laneo nigri coloris, quod deponunt quum ad domum seu locum receptionis perveniunt.

2. Cum habitu piano biretum non est adhibendum, sed pileolum cum pileo nigro.

Praelati regulares utuntur habitu piano cum veste talari eiusdem coloris ac vestes talares habitus praelatitii, cuius coloris erunt etiam globuli, ocelli et subsutum vestium, zona, collarium, chirothecae, et caligae. Ferraiolum erit laneum (63) et eiusdem coloris ac mantelletum seu cappa.

¶ — 1. Regulae hae servari debent a cardinalibus, ab episcopis et a praelatis regularibus insignibus protonotariorum fruentibus. NC, n. 11.

2. Codicem colorum vestium habes ad p. 103-106, nam colores habitus praelatitii servandi sunt etiam in habitu piano.

CAPUT VII

Specialis habitus civilis

Cardinalis Bonzano, Pii XI legatus a latere ad Conventum Eucharisticum inter gentes Chicago anno 1926 adunatum, in civilibus receptionibus usus est habitu speciali, nimirum habitu praelatitio sine rocheto cum ferraiolo super palliolo *(mozeta)*. Huiusmodi habitum civilem extraordinarium, tum in colore violaceo tum in rubro, approbavit Sacra Congregatio Caeremonialis in usum cardinalium SRE in solemnioribus receptionibus civilibus. NC, n. 12.

Similiter licet episcopo loci ordinario vel praelato superioris gradus in solemnioribus receptionibus civilibus uti veste talari violacea (serica si eius gaudeat usu) et zona cum flocculis, palliolo et ferraiolo.

Stricto iure cum habitu huiusmodi adhibenda esset vestis talaris cum supermanicis et *pellegrina* vulgo *zimarra*. Cum tamen talem

(63) Iuxta *Norme Ceremoniali* SRE cardinales regulares uti debent ferraiolo laneo cum subsutis sericis in parte anteriori. Si id valet pro cardinalibus, a fortiori pro episcopis et praelatis. Quo tamen non obstante, fere omnes praelati regulares serico ferraiolo utuntur.

vestem talarem non solent habere praelati et cardinales, adhibent isti, arrepta occasione, vestem talarem habitus praelatitii cum palliolo desuper (64).

CAPUT VIII

Praelati di mantellone

¶ — Summi Pontificis cubicularii vel cappellani dicuntur praelati *di mantellone*, seu praelati latiore quodam sensu. Eorum vestes, descriptae in charta Secretariae Status Suae Sanctitatis cum folio nominationis, sunt prout sequitur :

1) Vestis talaris violacei coloris sine cauda, cum subsuto reverso in manicarum extremitatibus ad altitudinem quindecim centimetrorum (6 pollices), cum globulis et ocellis necnon subsutis serici eiusdem violacei coloris.

2) Zona e serico non undulato cum flocculis duobus a latere sinistro pendentibus, violacei pariter coloris, latitudinis duodecim centimetrorum ($4\frac{3}{4}$ pollices). Tamen zona romana solet esse quatuordecim ($5\frac{1}{2}$ pollices) latitudinis.

3) Mantellum talare *(mantellone)* sine manicis, cum subsuto in parte anteriori latitudinis viginti centimetrorum (8 pollices) e serico eiusdem violacei coloris, cum vittis eiusdem panni retro pendentibus.

4) Collarium serici violacei.

5) Caligae nigri coloris et calcei nigri cum fibulis argenteis.

¶ — Ablegati qui biretum cardinalibus nuper electis ferunt utuntur caligis violacei coloris et vitta pariter violacea in pileo.

Vestis talaris et mantellum erunt semper eiusdem panni : *merinos* seu lanei per anni circulum, vel, si maluerint, e serico aestivo tempore.

In capellis papalibus, loco mantelli, cubicularii induunt crociam laneam rosacei coloris cum amplis manicis ad dimidium brachium, similem crociae caudatariorum. Superimponitur palliolum humerale

(64) Talis vestiendi modus non est res nova; ut cetera praetermittam, in Gallia tempore Regis Ludovici XIV in solemnibus conventibus, vel data occasione, episcopi et cardinales coram Rege vel Regina se praesentabant cum veste talari violacea vel rubra, serica quidem, cum serico pariter ferraiolo desuper, sine tamen palliolo humerali. Vide figuras Bonnart de vita sancti Vincentii de Paulo. Teste Bonanni, solebant cardinales circa finem saeculi XVII et saeculo XVIII huiusmodi uti habitu speciali qui quidem vocabatur habitus publicus civilis. Pictura, n. 126.

laneum cum subsutis e serico rosaceo, quod tempore hiemali cooperitur pellibus armellineis.

CAPUT IX

De vestibus specialibus ratione officii

Caeremoniarum magistri ecclesiarum cathedralium primus et alter, et in maioribus ecclesiis metropolitanis etiam plures si aderint, iure utuntur veste talari lanea violacea et zona serica eiusdem violacei coloris prout supra de praelatis *di mantellone* dictum est, sed cum superpelliceo loco *mantellone*. CE, I, V, n. 4. D. 1213. EPR, III, p. 80. Si gaudent usu rocheti, utpote canonici seu praelati, induunt superpelliceum super rocheto. D. 3165 ad secundum. Quodsi praelati sint habitu piano induti, caeremoniarii, super veste talari violacea usuali, induunt ferraiolum nigrum non secus ac caudatarii cardinalium. Mediolani caeremoniarum magister eiusque coadiutor utuntur cappa violacea infra genua ducta cum amplis manicis sicut faciebant antiquo tempore caeremoniarii apostolici et super cappam superpelliceum imponunt (AEM, II, col. 1245). Idem iubet Castaldus in ecclesiis cathedralibus. *Praxis Caeremoniarum*, Romae 1618, p. 5 et 8 (65).

Caudatarii SRE Cardinalium utuntur toga talari e serico violaceo toto anni tempore, sed cum globulis et ocellis seu torulo ad oram e serico nigro et zona serica violacea cum flocculis pariter violaceis.

Caudatarii in capellis papalibus seu cardinalitiis et etiam extra illas quoties cardinalis cappam induit, super veste talari e serico violaceo induunt crociam sive cappam e panno laneo violaceo cum amplis manicis cum subsutis e serico violaceo. Si vero cardinalis sit habitu cardinalitio indutus sed sine cappa, caudatarius super eadem veste violacea accipit ferraiolum sericum nigri coloris. NC, n. 78, a, b, c, Bonanni, p. 441. Si cardinalis sit sacris vestibus indutus, caudatarius, retenta crocia, superpelliceum assumit.

Caudatarii et cruciferi archiepiscoporum metropolitanorum ex recepto more se vestiunt non aliter ac caudatarii cardinalium, sed cum toga violacea lanea. AEM, I, col. 39. MM, III, p. 35; IV, p. 457. Eorum vestes talares violaceas expresse approbavit SRC. D. 1145, 2.

(65) Caeremoniarum Praefectus in capellis papalibus tempore praeclari viri Iohannis Burchardi vestem talarem e serico rosaceo adhibebat, Romano Pontifice celebrante, cum cappa violacea et superpelliceo, quod et ceteri caeremoniarii apostolici facere consueverunt. Serius Clemens IX rochetum Praefecto concessit, quod quidem privilegium Leo XIII ad supranumerarios extendit. Vide Bonanni, p. 448.

Caudatarii episcoporum residentialium solent esse pueri cum habitu talari et cotta.

Officiales laici in ecclesiis metropolitanis qui toga talari utuntur, utpote sacristae et clavigeri, colore violaceo uti laudabiliter poterunt in veste talari, et etiam in superveste seu mantello quo solent uti, non aliter ac in Basilicis Apostolicis et in Ecclesiis Metropolitanis Mediolanensi, Westmonasteriensi, aliisque observantissimis.

CAPUT X

De habitu breviori

Iuxta monitum Caeremonialis episcopi " extra dioecesim vel dum iter agunt, utuntur brevioribus vestibus cum manicis sub genu per palmum vel ultra protensis, coloris temporum diversitati convenientis " et " circa collum fasciam sericam coloris nigri latitudinis duorum palmorum vel circa, longitudinis fere ad mensuram vestium pendentium ". CE, I, 3, n. 6. Vestibus brevioribus indutus episcopus loci invisitat gubernatorem praelatum eodem modo vestitum. CE, III, I, n. 2.

Caeremoniale hic et fere ubique mentem sancti Caroli transmittit; sanctissimus enim vir clericis et episcopis itinera arripientibus brevioribus uti vestibus permisit, ait enim : " Si iter faciendum sit, illis (clericis et episcopis) uti liceat habitu contractiore, et ad iter accommodato; sed simplici, et in quo honestas et decorum ordinis eluceat ". AEM, I, C. 70 et etiam C. 425. Et ita vestitus sanctus Carolus itinera arripiebat, prout testatur Guissanus Vita, Lib. VI, C. 6. Id confirmavit Benedictus XIV in sua constitutione *Inter conspicuos* diei 29 augusti 1744, breviores vestes advocatis consistorialibus permittens (opera, 15, p. 411) et in citato libro III, CE (1741).

Forma vestium multas passa est decursu temporum modificationes. In libro Bonanni (1720) episcopi depinguntur cum vestibus ad genua et cum mantelleto et palliolo. Bonanni, p. 444, *delineatio 127*. Circa initium saeculi elapsi Cardinalis Consalvi, aliique utebantur veste vulgo *redingote*, non secus ac principes saeculares, sed rubri vel nigri coloris cum collari clericali. Huiusmodi vestes in usu erant per totam Galliam et Italiam ad usque fere ultimos annos saeculi XIX. Cardinalis Joachim Pecci (Leo XIII) illis usus est. Ante publicationem decreti SCC diei 7 ianuarii 1851 (vide notam 57), cardinales et praelati extra ecclesiam sic se vestiebant etiam in audientiis privatis Papae, qui quidem vestiendi modus *abito d' abbate* nuncupabatur. Moroni, 96, p. 225; APC, 1898, p. 51.

Proposita in Concilio Vaticano quaestione de clericorum vestibus, episcopi Galliae usum vestium talarium ubique et semper ad universam Ecclesiam extendi voluere, sed eorum emendatio reiecta est : etenim licet synodi non paucae diversorum locorum, ipsaeque Romanae Congregationes, frequenter usum vestium talarium ubique et semper imposuerunt, tamen " visum fuit in Vaticano Concilio non esse progrediendum ultra terminos Tridentini Concilii, quod (Sess. XIV, c. 6, *De Reform.*) clericorum vestes vult esse honestas, a laicalibus distinctas, propriae dignitati et honori clericali congruentes, sed formam ipsam episcopi ordinationi et mandato determinandam reliquit ". *Nota (b) ad schema de vita et honestate clericorum.* CV, col. 661. CIC votum Concilii Vaticani confirmavit, statuens ut " clerici decentem habitum ecclesiasticum, secundum legitimos locorum consuetudines et ordinarii loci praescripta deferant ". Can. 136.

Quaestio de forma vestium clericorum, seu potius de usu ubique et semper habitus talaris iterum post Concilium Plenarium Canadense Primum anni 1909 agitata est; nam plurimi episcopi regionis Gallicae linguae usum vestium breviorum impugnaverunt et Sanctam Sedem consultavere. Coetus Consistorialis sapientissimam dedit responsionem ad mentem Concilii Tridentini; nam concilia provincialia vel plenaria nequeunt contra Tridentinum leges condere. Ita enim habetur perfecta uniformitas legislationis Conciliorum oecumenicorum, Codicis Iuris Canonici et Congregationis Consistorialis. AAS, 1916, p. 148; Fontes CIC, V, n. 2093, Concilium Quebecense Primum, n. 215.

Meminisse oportet vestes clericorum breviores non esse vestes laicales, et clerici qui laicales induunt vestes contra Ecclesiae leges peccare et contra eos agere debent locorum ordinarii ad mentem recentissimae declarationis S. C. Concilii. AAS, 1931, p. 336 vel *Periodica*, 1932, p. 26. Neque licet sine vestibus talaribus locum in presbyterio habere vel quomodocumque sacras agere functiones, uti pluries declaratum est.

De vestibus clericorum brevioribus per elapsum saeculum fere ubique in usu effuso calamo agit BM, I, p. 115-134. De eius usu in Urbe elapso saeculo et de fine eiusdem agit more suo Silvius Negro, *La Seconda Roma*, Roma 1943, p. 149 ss. Consule Thomassin, *Anc. et nouv. discipline*, II, chap. 50, p. 63; chap. 51, p. 69.

TITULUS III

DE VESTIUM PRAELATITIARUM USU

¶ — In titulo I de vestibus praelatitiis in genere actum est; in titulo II vero de his vestibus in specie quoad singulos praelatos; in hoc III titulo exponentur regulae servandae quoad earum usum.

CAPUT I

Regulae generaliores

Habitus praelatitius induendus est a praelatis, sive cardinales, episcopi seu protonotarii, vel praelati tantum sint, in omnibus functionibus liturgicis quibus interveniunt, vel quia praesunt, vel quia assistunt in choro sive in processionibus, vel aliam assistentiam praebent. Propterea declaravit Sacra Congregatio Caeremonialis de speciali mandato Benedicti XIV : " Nulli praelatorum nisi praelatitio habitu induto, publicas ecclesias, in quibus Sanctissimum Sacramentum fuerit expositum, vel alia quaecumque solemnia inibi peragantur, diuturno tempore ingredi liceat ". Opera, 15, p. 640. Habitus praelatitius supponit :

1) **Functionem liturgicam** vel para-liturgicam, seu lato sensu liturgicam, quae fit in ecclesiis vel sub dio, vel in loco qui per modum actus veluti ecclesia habetur.

Aliquando vero sed rarius habitus praelatitius admittitur in solemnioribus actibus civilibus : sic solent apostolici nuntii eo induti litteras officiales suae missionis *(lettres de créance)* regibus vel praesidibus praesentare; cardinalis a Secretis Status habitu praelatitio indutus conventiones cum gubernis subsignat; sic vestiti praelati romani interveniunt receptionibus principum vel solemnioribus Summi Pontificis. Praeterea semper fas est episcopis uti habitu praelatitio " dum fit aliqua congregatio coram eo vel ordinandorum examen, vel aliquid simile, ac etiam quoties erunt congregationes coram Metropolitano ". CE, I, 3, n. 1.

2) **Locum in presbyterio.** Praelati in habitu praelatitio de iure locum habent in presbyterio, seu sedere non debent cum laicis in corpore ecclesiae. Hac de re in ecclesiis propriis nulla habetur difficultas eo quod semper adest locus pro praelatis qui de gremio ecclesiae sunt. In ecclesiis alienis vero quaestio alia movetur, nam ex eo quod quis sit praelatus non sequitur posse functionibus liturgicis quibuscumque intervenire in alienis ecclesiis. Sic in ecclesiis cathedralibus habitualiter chorus reservatur clero cathedralis, seu episcopis, canonicis et beneficiariis eiusdem. Si quando tamen clerus et praelati dioecesis ad quasdam functiones invitentur seu intimentur ut assistant, se praesentare debent cum habitu chorali proprio, praelati et episcopi proinde in habitu praelatitio, et, si locus pro ipsis non aderit, ab interveniendo excusantur.

Praelatis qui cardinales, praesertim legatos, concomitantur specialis debetur locus a ceteris praelatis segregatus (66-67).

3) **In ecclesiis extraneis invitationem.** Praevisum in numero praecedenti.

(66) In Urbe quando Emi Patres solemni modo possessionem capiunt suarum diaconiarum, ecclesiarum titularium vel suburbicariarum, solent praelaturam invitare per chartam quae ad praelatos tempestive mittitur. Non tamen pro praelatis istis locus in presbyterio praeparatur et ipsi interveniunt in nigris et extra presbyterium sedent! Sed si praelati invitantur, invitari debent tamquam praelati cum vestibus praelatitiis et intra presbyterium sedere; id enim non solum decet sed ad maiorem splendorem functionis concurrit et omnino expedit. Frequenter hisce in adiunctis praelati in nigris vestibus interveniunt commoditatis gratia, praesertim cum generatim currum non habent et difficile est per vias ambulare cum vestibus violaceis vel illas prae manibus gestare. Tamen in casu de quo agitur, ratio est alia : cardinales solent, ex vetusto usu, ab aliquot praelatis utriusque ordinis comitari inde a suo palatio, qui una cum modo electo purpurato ecclesiam intrant, et cum eo recedunt. Solebant praelati sequi in curribus specialibus retro post currum titularis tamquam pars comitivae; ad thronum tamen non inserviunt uti assistentes sed sedent in locis distinctis in presbyterio. Nunc, mutatis temporibus, humilior habetur apparatus, nimirum praelati tres eliguntur, *per fare da prelato* sicut aiunt, unus ex ordine episcopali et duo ex ordine sacerdotali, qui tamen non amplius cardinalem e domo sua concomitantur sed ad ianuam ecclesiae eum exspectant. Ceteri praelati qui functioni interveniunt, eo quod invitantur, induere debent habitum praelatitium et sedere in presbyterio. De illis docet Martinucci " clerus cardinali obedientiam praestabit osculo manus, et si in clero adessent praelati, eos ad amplexum recipiet ". MM, IV, p. 510. Non sunt proinde laudandi praelati qui ad solemnem possessionem cardinalium in suis titulis in nigris vestibus interveniunt eo quod ad cardinalem concomitandum non fuerunt invitati, id enim prohibuit Benedictus XIV in citatis supra litteris SCC. Vide apud Moroni descriptionem nonnullorum *possessi* cardinalium, praesertim vero possessionem Ecclesiae sanctae Anastasiae a cardinali Nuno da Cunha de Altayde, die 21 iulii 1721, *accompagnato da molti prelati*. Vol. 75, p. 241.

(67) Quando praelati ex ordine episcopali vel sacerdotali ad sacras functiones invitantur, *tamquam praelati* invitari debent et ita adstare. In alienis ecclesiis tamen nequeunt, ex eo quod sunt praelati, locum sumere in presbyterio tempore sacrarum functionum nisi a superiore ecclesiae ad illa invitentur, sed si invitantur induent habitum praelatitium, sedentque distinctis locis in choro.

In capellis papalibus praelati ex ordine sacerdotali vel pontificali qui vel intimantur vel locum habent in capella, intervenire debent cum habitu praelatitio et sistunt in presbyterio sive in quadratura.

Canonici trium Patriarchalium Basilicarum, vd. ssmi Salvatoris in Laterano, sancti Petri in Vaticano et sanctae Mariae Maioris, in tribus Basilicis habentur uti proprii, et functionibus omnibus intervenire possunt in habitu canonicali quasi canonici capituli.

EXCURSUS

De fimbriae habitus talaris explicatione

Nota. Caput hoc compositum erat cum perlibenter *motu proprio* Pii Pp. XII, *g. r.*, *Valde solliciti* legimus, syrmam habitus talaris prohibens; tamen suo loco remansit veluti argumentum historicum rei nunc prudenti consilio deletae, quae ad pompam adhibebatur quaeque Caeremoniali Episcoporum extranea erat.

Fimbriam habitus talaris explicare tantum licebat intra sacras functiones et ab episcopis seu cardinalibus pontificali ritu rem sacram agentibus prout sequitur (68) :

Episcopus loci ordinarius fimbriam habitus talaris solvebat cum pontificali ritu missam celebrabat, vesperis vel laudibus praeerat, vel alias functiones ad thronum uti benedictionem candelarum vel palmarum faciebat; vel etiam cum missae solemni paratus assistebat. In functionibus Pontificalis vel Ritualis episcopus, commoditatis gratia, non explicabat syrmam propter deambulationes, aspersiones, aliosque ritus. Vide EPR, I, n. 33.

In processionibus pariter valde incommodum erat syrmam vestis explicare, et in processione Corporis Christi expediebat servare

(68) Habitus talaris cum syrma sive fimbria in postica parte est res quaedam nova in iure, de ea ne verbum quidem habes in Caeremoniali, et in processione Corporis Christi minister de mitra serviens procedit immediate retro post episcopum. Auctores qui primo Caeremoniale explanaverunt eodem modo de syrma vestis talaris silent, uti Castaldus scribens anno 1625 et Bauldry scribens anno 1646. Tamen versus finem saeculi XVII syrmae iam erant in usu in Urbe, nam Bonanni scribens anno 1720 depinxit cardinales cum vestibus fimbriatis. Forsan agebatur de usu gallicano qui paulatim viam Urbis invenit, etenim Bossuet et Richelieu huiusmodi utebantur vestibus talaribus, et solebant syrmam explanare etiam extra functiones liturgicas, magnificentiae argumentum. Tamen usus in cappellis papalibus et cardinalitiis invectus non est, ibi enim meliorem sequuntur traditionem et syrmam non solvunt ad nostra usque tempora. Solus Summus Pontifex de iure utitur fimbria et quidem speciali seu superposita circumcirca. Optimo ergo et sane consilio ductus, Pius XII, *g. r.*, syrmam a vestibus praelatitiis demendam statuit sua suprema auctoritate.

praescriptum Caeremonialis de caudatario non adhibendo. CE, II, 33, n. 9.

Cum syrma explicata argumentum erat solemnitatis, id non fiebat in officiis defunctorum et in Feria Sexta Maiori, licet contrarium a cl. Martinucci doceatur.

In missis lectis, licet cum solemnitate celebrandis, fimbria non explicabatur, nec in ceteris functionibus lectis, uti ad nuptias benedicendas (69).

Cardinales et praelati maiores qui fruuntur privilegiis episcoporum residentialium easdem sequebantur regulas.

SRE cardinales vel archiepiscopi seu episcopi pontificio solio assistentes celebrantes ad faldistorium in capellis papalibus seu cardinalitiis fimbriam habitus ex recepto more explicabant.

Episcopi extranei qui functiones pontificales peragebant ad faldistorium fimbriam togae talaris solvere poterant, cum id nulla lege prohibebatur, cauto tamen quod coram praelato superioris gradus ab usu caudatarii abstinebant, excepto cum ad presbyterium accedebant vel ab eo recedebant, si necessarium fuisset (70-71). Loci ordinarius celebrans ad faldistorium coram SRE cardinali sequebatur regulam pro episcopis extraneis datam.

(69) Die dominica et prima ianuarii, sui aurei iubilaei sacerdotalis, anno 1888, Leo XIII missam lectam celebravit in Basilica sancti Petri cum magna solemnitate et syrmam habitus talaris explicavit, re quidem perspecta et casus singularis. Sed nec ipsi Romani Pontifices syrmam explicant in missa lecta, et id a fortiori non licet episcopis. In missa lecta pontificali pro episcoporum consecratione solet Papa syrmam solvere et id videtur permissum episcopis. Sed melius erit sequi regulam statutam, videlicet de cauda explicanda in officiis pontificalibus solemnibus tantum. Vide EPR, I, n. 162, 261. Sanctus Pius X syrmam explicavit in consecratione episcoporum Galliae APC, 1907, p. 97; item Pius XI in consecratione episcoporum Asiae *Ill. Vat.*, 1933, p. 453 et frequentius.

(70) Auctores initii saeculi, uti Barbier de Montault, aliique, confusionem forte facientes cum usu cappae pontificalis explicatae, docebant usum syrmae solutae signum esse iurisdictionis et permitti tantum episcopis loci. BM, 1, p. 283. In hodierna legislatione episcopi omnes syrmam habitus solvere possunt eo quod id non prohibetur, sed ad id non tenentur, cum id nullibi praecipiatur. Vide Piacenza, EL, 1905, p. 476.

(71) Alia movetur quaestio cum agitur de ministro caudatario, cuius officium est fimbriam cappae pontificalis ferre : illius assistentia gaudent ii praelati qui de iure utuntur cappa pontificali explicata. De caudatario ad syrmam elevandam pariter tacet Caeremoniale, nam de syrma ipsa tacet; et tacent auctores antiquiores uti Castaldus et Bauldry. Re quidem vera syrma vestis talaris extenditur ut in terra trahatur, minime vero ut a clerico feratur. Proinde docet De Herdt caudatarium non debere syrmam vestis sustinere, *Praxis Pontificalis*, I, p. 138. De usu et abusu caudae agit cl. Guéranger, *Commentaria ad CE Catalani*, lib. I, cap. XV, § 1, n. 11, p. 317.

Fimbria vestis talaris extendi debet tantum ad altare seu ad thronum vel quando episcopus ab uno ad alium ex his locis se confert, et in solemni ingressu ante missam pontificalem e secretario ad altare, nam loci per quos transit episcopus in hisce adiunctis

Praelati nullius sequebantur regulas pro episcopis residentialibus datas; abbates vero non solent uti habitu cum fimbria.

Si episcopus etiam in missa solemni pontificali ad thronum syrmam solvere nolebat, cogendus non erat a caeremoniarum magistro, eo quod id nullibi praecipiebatur.

Praelati domestici Summi Pontificis et protonotarii apostolici, licet de numero, necnon locorum ordinarii qui eorum fruuntur privilegiis, pontificali ritu celebrantes fimbriam habitus talaris solvere non debebant. IM, n. 16; ID, n. VII.

Privilegium nonnullis capitulis datum habitus talaris violacei coloris non secumferebat usum syrmae, nisi de ea specialis mentio facta fuisset. BM, I, p. 279. D. 2817 (72).

CAPUT II

De usu cappae pontificalis

Cappa pontificalis vestis est propria episcopi loci ordinarii, propterea explicitis verbis iubet Caeremoniale ne extra dioecesim et *ecclesiam suam* episcopi ea utantur. CE, I, 3, n. 6. Id evenit ex eo quod cappa et thronus sunt correlativa et extra ecclesiam suam episcopus throno uti nequit.

Cappa pontificali rite utuntur patres cardinales et praelati maiores qui fruuntur privilegiis locorum ordinariorum : nuntius vel delegatus apostolicus in locis suae missionis et metropolita in tota sua provincia.

Ex concessione SCPF in facultatibus suis data, cappa uti possunt intra fines sui territorii vicarii apostolici ex ordine episcopali, eo quod ipsis privilegium throni conceditur.

Ex speciali concessione legislatoris cappa uti possunt sed sine caudatario episcopi administratores dioecesium vel episcopi suffraganei sedium suburbicariarum Urbis. DD. 2010 et 2011 (73-74).

solent tapetis stipari. Syrma a terra nimis elevata oculis non placet, et si episcopi velint in transitu ad altare eam a terra elevare, potius expedit adhibere puerum parvae altitudinis et non hominem vel clericum. Syrma vestis debet natura sua trahi in terra, est enim argumentum nobilitatis et maiestatis. Praeterea caudatarii syrmam elevantes solent passus episcopi intercludere et frequenter totam functionem perturbant cum retro post episcopum sistunt.

(72) SRC pluries prohibuit usum vestis cum syrma canonicis vel aliis praelatis quibus expresse non esset concessum; et in hodierna disciplina syrma pars erat habitus praelatorum qui rocheto cum mantelleto iure utuntur.

(73) Dicimus *ex speciali concessione legislatoris*, nam citatum decretum cum Caeremoniali non bene componitur, ex eo quod usum cappae extra propriam ecclesiam

Loci ordinarius usum cappae concedere iis tantum episcopis potest quibus cessionem sui throni dare queat, proinde nulli episcopo si ordinarius cardinalitia dignitate fulgeat, nec episcopis auxiliaribus vel coadiutoribus, etiamsi eam non explicent. D. 4023 (75).

Privilegio et quidem insigni cappae pontificalis fruuntur, ex speciali concessione Sanctae Sedis, abbates plurimi prout sequitur :

1) Abbas generalis Confoederationis Benedictinae Leonis XIII, iuxta concessionem eiusdem litteris *Ecclesiasticos viros* diei 16 februarii 1899. Acta, 19, p. 27.

2) Abbas generalis Sacri Ordinis Cisterciensis ex concessione sancti Pii X, diei 21 iunii 1908.

3) Abbas generalis Ordinis sancti Norberti per rescriptum S. C. Ep. et Reg. diei 5 martii 1912.

4) Abbates praesules maiores Congregationum Ordinis sancti Benedicti Confoederationis Leoninae ex concessione sancti Pii X, annuentis precibus Abbatis generalis. Resc. S. C. Ep. et Reg. diei 30 iulii 1906. ASS, 39, p. 335 (76).

Abbates cappa uti tantum possunt intra limites suarum ecclesiarum seu illarum in quibus iurisdictionem canonicam exercent.

Ante promulgationem CIC nonnulli abbates nullius privilegium cappae a Sancta Sede impetrabant; cum tamen CIC praelatos et

prohibet, prout dictum est. Praeterea privilegium cappae reflexae episcopo coadiutori conceditur ad instar cappae canonicorum. Insuper SRC quaesita circa usum cappae ab episcopis auxiliaribus respondit : [Episcopus extraneus] " rite utitur cappa, quando pontificalia solemnia ad solium legitime peragit ". Deinde ait " si tamen sit ordinarii coadiutor seu auxiliaris, uti poterit iis in adiunctis quibus licet iuxta leges liturgicas, de licentia ordinarii, ad mentem decretorum 2010, 2011 et 4023 ". D. 4355, II, 2. Decreta 2010 et 2011 speciale concedunt privilegium cappae reflexae seu sine caudatario episcopo suffraganeo (lege *coadiutori, administratori*) Ecclesiae Veliternae, et, per communicationem privilegiorum, aliis sedibus suburbicariis Urbis et apostolicis administratoribus. Quoad ceteros episcopos auxiliares vel coadiutores, SRC remittit ad decretum n. 4023 Leonis XIII in quo prohibetur cessio throni, proinde etiam usus cappae, episcopis coadiutoribus vel auxiliaribus. Et sic legendum est decretum uti monet Iohannes Baptista Menghini, in illo tempore SRC consultor et apostolicus caeremoniarius. EL, 1920, p. 293.

(74) Ad DD. 2010 et 2011 et alia plurima intelligenda, scire oportet tum in usu Romanae Curiae praesertim ante codicem, tum in Caeremoniali, episcopos coadiutores venire sub nomine *suffraganei*. Suffraganei ecclesiarum suburbicariarum Urbis sunt eorum administratores ex eo quod titulares Romae habitant.

(75) " ... supposita licentia pontificalia solemnia ad thronum peragendi, supponuntur concessa omnia quae usum illius comitantur, ideoque etiam cappae ". Menghini in commentario ad D. 4355, III, 2. EL, 1920, p. 293.

(76) Pius IX, anno 1865, privilegium cappae concessit Prospero Guéranger, eiusque pro tempore successoribus, tamquam abbati generali Congregationis Galliae. ASS, 8, p. 375. Idem privilegium concessit Leo XIII, anno 1888 sui iubilaei sacerdotalis abbati generali Congregationis Beuronensis. Acta Leonis XIII, VIII, p. 278.

abbates nullius episcopis assimilat cum iure throni et baldachini, sequitur privilegium cappae ipsis fuisse iure communi concessum (77).

Titulus basilicae minoris minime secumfert privilegium cappae magnae si ecclesia sit abbatialis, id enim nullibi conceditur (78).

¶ — Cum privilegium cappae supponat privilegium throni — cappa enim et thronus sunt correlativa —, consule quae de concessione throni in libro III, p. 321 habentur.

QUANDO ADHIBENDA.

Praelati maiores qui iure gaudent privilegio cappae magnae illa uti debent quasi vesti chorali propria, propterea ipsis conceditur :

1) Quoties ad thronum sacris functionibus praesunt vel assistunt, sine illa enim throno uti non debent. Diebus vero solemnioribus usus cappae est praeceptivus. D. 2135, 5.

2) In processionibus quando partem habent et celebrantem sequuntur. CE, II, 32, n. 7 et 8.

3) Ad concionandum episcopus uti potest cappa sed consulto praedicabit in habitu praelatitio cum palliolo (D. 115) sine stola, nisi sermo fit intra functionem pro qua cappa exigitur, uti quando episcopus cappa indutus missae vel vesperis assistit et ipsemet praedicat.

Usus cappae ad thronum est praeceptivus nec licet episcopo sine ea seu cum palliolo humerali throno uti, nisi ante vel post functiones pro quibus sacras assumere debet vestes. E contrario usus cappae in primo loco chori permittitur, sicuti quando episcopus vult completorio vel matutinis horis interesse. CE, II, 4, n. 1; 5, n. 1. Diebus vero ferialibus ab usu cappae in choro abstinebit praelatus. D. 906.

Si episcopus cappam non induat canonici ad eum concomitandum vel ad ianuam recipiendum non tenentur uti pluries declaravit SRC. DD. 86, 9; 892, 2; 900, 4; 906; 3110, 1. Tamen episcopus ne nimis utatur cappa, et si assistat ad primum locum chori consulto utetur palliolo, ne graventur canonici (79).

(77) Privilegium cappae magnae ante Codicem receperunt abbates nullius Montis Cassini, sancti Pauli in Urbe, Cavae, Subiaci, Einsiedeln, aliique qui eam postulabant. Vide Hofmeister, p. 58 et Rev.Bén, 1929, p. 185.

(78) Auctores qui contrarium docent confusionem faciunt cum cappa canonicali. Vide partem III de privilegiis basilicarum, p. 242; Rev. Bén, 1929, p.185; et Hofmeister, p. 59, qui in eodem errore lapsus est.

(79) Sanctus Carolus sic docebat " Episcopi cappam episcopalem cum in ecclesiam vel ad divina officia, vel ad conciones, vel ad sacras lectiones, vel ad alias eiusdem generis actiones accedunt, omnino induant ". AEM, I, col. 425. Cappa pro quibus-

Ad sacramenta vel sacramentalia administranda episcopus cappam non induit, est enim habitus choralis.

Si plures praelati maiores conveniant observa :

Si plures patres cardinales insimul conveniant, quisque suam habebit cappam et suum caudatarium, nam cardinales omnes, etiam ordinum diversorum, uti aequales inter se habentur.

Si simul adessent praelati graduum diversorum, maior cappam extendit et utitur auxilio caudatarii, ceteri praelati fimbriam cappae reflexam habebunt dum ambulant. Sic metropolita et (vel) loci ordinarius coram cardinali cappam habebunt reflexam dum ambulant prope eum vel coram eo se sistunt.

Episcopus dioecesanus, praesente cardinali, metropolita vel nuntio seu delegato apostolico, cappa pontificali uti potest prout supra dictum est, et si ritu pontificali sit celebraturus etiam ad faldistorium, ea uti debet : sed observa: si una cum praelato ei superiori ambulat, sustinebit ipse cappam reflexam; vel si immediate coram praelato superiori aut versus eum se sistit. Attamen pontificalia peracturus ad thronum vel ad faldistorium cappam explicabit et caudatarium habebit de more. D. 4355, II, 2. Aliis verbis duo diversi modi agendi intra eandem functionem praecipiuntur. In praxi ordinarius prius ipse solus ecclesiam intrat et ad missam celebrandam se parat, et sic vitabit difficultates. Quod si ordinarius vel metropolita velit cum cappa legatum recipere eam habebit reflexam.

Eandem regulam sequetur metropolita coram nuntio vel delegato apostolico qui gaudet praecedentia. Ita etiam agere debent vicarii apostolici, qui de speciali privilegio cappa utuntur, coram praelato superioris gradus, utpote nuntio seu delegato apostolico. Eodem modo se gerat abbas privilegio cappae fruens in ecclesia sua coram metropolita vel episcopo loci, vel coram abbate generali.

Qui de iure vel de speciali concessione cappa uti possunt eam explicant, exinde caudatarium ad fimbriam sustinendam habeant.

Episcopi cum ambulant vel sistunt erecto corpore, anteriorem partem cappae elevant ut possint facilius ambulare et fideles ac clerum

cumque functionibus tamen a Caeremoniali non exigitur, sed praecipit : " episcopus si vesperis vel missis diebus festivis vel ferialibus, cum aderit, semper defert cappam ". CE, II, 34, n. 4. Quod tamen intellegi debet si episcopus ad thronum accedit. Secus diebus ferialibus ab usu cappae abstinebit juxta D. 906. Cardinalis Archipresbyter Basilicae Vaticanae tamen, qui est etiam loci ordinarius, semper utitur cappa explicata dum vesperis vel missae assistit in primo loco chori Basilicae.

benedicere. Cum genua flectunt ad faldistorium cappa extenditur ita ut faldistorium totum circumdetur ab ea.

Cum sedent positio naturalis cappae est ut explicetur ad pedes usque, et sic faciunt patres cardinales in capellis papalibus vel cardinalitiis. Ita etiam iubet Caeremoniale ad officium tenebrarum. CE, II, 22, n. 6. Attamen solent episcopi dum sedent ad thronum cappam in parte anteriore elevare ut possint facilius biretum vel breviarium sustinere seu clerum benedicere : id tamen nullibi praecipitur et bene agunt episcopi qui dum sedent cappam explicant.

¶ — In Romana Curia speciales dantur regulae a cardinalibus servandae quoad modum elevandi vel explicandi cappam, quas habes in *Norme Ceremoniali* sub. n. 23, litteris *a* ad *f*. Post motu proprio *Valde solliciti* in capellis pontificiis sive in sacris consistoriis non amplius licet patribus cardinalibus syrmam cappae evolvere.

CAPUT III

De usu cappae praelatitiae reflexae

" Cappa ornamentum est perquam nobile, quo utuntur in ecclesiasticis functionibus praelati tantummodo insigniores ". Piacenza apud EL, 06, p. 79.

Cappa praelatitia lanea violacei coloris cum subsuto rubini coloris vel cum pellibus armellineis prout tempus fert utuntur reflexa :

1) Patriarchae, archiepiscopi vel episcopi pontificio solio assistentes vel non, praelati et abbates nullius, in consistoriis semipublicis et in capellis papalibus. CE, I, 3, n. 6.

2) Praelati quatuor collegiorum, scl. Protonotarii Apostolici, Auditores SRR, Clerici RCA et Votantes Signaturae Apostolicae, in functionibus collegialibus quae in Urbe habentur et in capellis pontificiis. ID, n. VIII. In collegialibus actibus minoris momenti, arbitrio praesidis, praelati isti uti poterunt habitu praelatitio vel cappa. ID, n. X.

3) Protonotarii supranumerarii et ad instar in capellis pontificiis sedent post protonotarios de numero eadem cappa induti, etiamsi celebret Summus Pontifex. IM, 20, 45; ID, VIII. Piacenza, EL, 06, p. 79.

CAPUT IV

De usu pallioli et mantelleti

A — **Palliolo sine mantelleto** super rocheto utuntur praelati maiores, videlicet :

1) Summus Pontifex in tota Ecclesia.

2) SRE cardinales extra Urbem, si praesens non aderit Dominus Apostolicus, et in Urbe in suis titulis et in capellis seu oratoriis internis personarum moralium quarum sunt protectores, necnon Sede Apostolica vacante. In Urbe Summus Pontifex semper praesens supponitur. Coram Legato a latere ceteri cardinales mantelletum non assumunt. NC, n. 21.

¶ — Sede Vacante, cardinales utuntur palliolo sine rocheto extra sacras functiones. *Instructio Praefecti Caeremoniarum Apostolicarum.* AAS, 1939, p. 50.

3) Nuntii vel delegati apostolici in locis suae missionis.

4) Metropolitae in tota provincia quisque sua.

5) Episcopi dioecesani vel praelati seu abbates nullius intra suum quisque territorium, etiam coram nuntio seu delegato apostolico vel proprio metropolita (80).

B — **Palliolo cum mantelleto** super rocheto utuntur :

1) SRE cardinales in Urbe vel extra Urbem si ibidem adest Summus Pontifex ad normam numeri praecedentis A, 2).

2) Patriarchae, cum in Urbe coram Summo Pontifice, tum extra Urbem ubique prout ipsis concessit Benedictus XIII anno suae electionis (81).

3) Nuntii seu delegati apostolici coram SRE cardinali a latere legato.

4) Metropolitae vel locorum ordinarii coram quolibet SRE cardinali non legato. CE, I, 4, n. 7. D. 4355, II, 1.

(80) Sanctus Carolus malebat videre suos suffraganeos cum palliolo et mantelleto, et SRC, doctrinam eius sequens, declaravit, die 31 ianuarii anni 1626, suffraganeos coram suo metropolita mantelletum *tantum* adhibere debere. Adone, *Synopsis*, p. 167. Lex immutata est et decretum ex nova collectione demptum.

(81) Patriarchae nequeunt extra Urbem mantelletum deponere et palliolo tantum uti prout docuit Battandier, APC, 1898, p. 68, nam non amplius gaudent privilegiis episcoporum residentialium. Vide Léon Gromier apud QL, 1924, p. 114, et sectionem II notam 101 de cruce coram ipsis ferenda.

5) Episcopi extranei seu titulares in locis ubi talis viget usus (82).

6) Abbates in ecclesiis sui ordinis sed extra propriam ecclesiam in locis ubi talis viget usus.

7) Apostolici administratores dioecesium in perpetuum dati quorum titulares sunt SRE cardinales, nam per fictionem iuris semper sunt coram cardinali.

C — **Mantelleto sine palliolo** super rocheto utuntur :

1) Metropolitae extra suam quisque provinciam.

2) Episcopi residentiales extra suam quisque dioecesim (83).

3) Episcopi titulares ubique.

4) Episcopi canonici in choro vel extra chorum.

5) Episcopi auxiliares vel coadiutores, etiamsi vicarii generales vel capitulares dioecesis nominentur seu eligantur. CIC, 370, § 2; 439. D. 4355, V, 1.

6) Episcopi residentiales usquedum possessionem suae dioecesis capient; sed episcopi residentiales ad aliam sedem translati vel promoti intra fines territorii dioecesis *a qua* utuntur palliolo. CIC, 430, § 3, 2°.

7) Episcopi administratores apostolici ad tempus dati dioecesibus vel praelaturis sive abbatiis nullius. CIC, 315.

8) Episcopi qui vicariorum vel praefectorum apostolicorum munere funguntur. CIC, 308. Cum tamen vicarii apostolici ex ordine episcopali solent gaudere privilegio throni et cappae magnae ad instar episcoporum residentialium, possunt etiam intra fines sui territorii uti palliolo loco mantelleti (84).

9) Nuntii vel delegati apostolici extra territorium suae missionis.

10) Abbates extra ecclesias ordinis sui. Vide notas 50 et 51.

(82) Iuxta Caeremoniale episcopi extranei uti possunt mantelleto et palliolo " ubi talis viget consuetudo " CE, I, 1, n. 4. Consuetudo hic sumi debet ad normam iuris, seu agitur de communitate quae potest leges ferre et de usu saltem recepto. Consuetudo haec nequit proinde introduci ubi non viget, sed potius expedit hac de re uniformitatem habere et usum romanum sequi de mantelleto tantum adhibendo ab episcopis extraneis seu titularibus. Usus contrarius potius confusionem gerit quando episcopi qui mantelleto tantum utuntur invisitant regiones in quibus etiam palliolum adhibetur. Observari expedit verba CE annexa fuisse a Benedicto XIII qui usum pallioli patriarchis concessit.

(83) Non erit abs re hic notare mantelleta in Gallia vix videri. Thomassinus refert quomodo egit Sixtus IV ut legatus suus usum mantelleti in Gallia introduceret, quod tamen non est consequutus. Thomassin II, p. 73, citans Baronium-Rainaldum, pro anno 1483, n° 36.

(84) Facultates SCPF de usu pallioli a vicariis apostolicis ex ordine episcopali tacent, sed ipsis ampliora concedunt privilegia, scl. cappae et throni cum baldachino. Proinde, quousque aliter declaretur, putamus ipsos posse adhibere palliolum in suo territorio.

11) Praelati ex ordine sacerdotali utuntur mantelleto sine palliolo, videlicet praelati domestici Summi Pontificis, protonotarii apostolici omnium ordinum, necnon locorum ordinarii qui privilegiis protonotariorum de numero gaudent (85).

Praelati et abbates nullius ex ordine sacerdotali sequuntur regulas pro loci ordinario datas, proinde intra suum territorium utuntur palliolo, si praesens non aderit cardinalis.

D — **Usus pallioli praecipitur** quoties cappa non assumitur et praesertim :

1) Ad missam et officium diebus ferialibus quando episcopus in primo loco chori sedet. DD. 650; 906; 1401, 2.

2) Quoties ad ecclesiam cathedralem privatim accedit, id est, sine receptione a capitulo, et thronum non occupat.

3) Ante et post functiones in quibus extra thronum sacras vestes assumit.

4) In curru, quousque cappam induet ad ianuam ecclesiae.

In conciliis provincialibus tum metropolita tum episcopi suffraganei vel qui vocem deliberandi habent utuntur palliolo tantum, sed suffraganei inde a congregatione patrum praeparatoria.

(85) Iuxta Nainfa praelati domestici (vel etiam cubicularii Papae) nominantur ad servitium exclusivum Summi Pontificis, proinde *no cardinal or bishop has a right to their personal service in their capacity as prelates* (p. 233). Sed, ait ille auctor, praelatus inservire potest tamquam assistens presbyter eo quod pluviale induit; et si sint diaconi assistentes in habitu chorali praelati deponere debent mantelletum et induere superpelliceum super rocheto. Errores plurimos commisit auctor. Nam si ad thronum adest cardinalis SRE, assistentes non solum possunt sed *debent* esse in ecclesiastica dignitate constituti (D. 4284, II, 3); et presbyter assistens sit dignior e praelatis praesentibus : protonotarius apostolicus si aderit.

Praelati domestici ea dignitate ornantur ad personam, proinde si vocentur ad thronum vocantur prout sunt, videlicet uti praelati. Praeterea quando cardinales nuper creati possessionem sui tituli sumunt, vel quando legati papales ad suam missionem exeunt, ipsos concomitantur praelati domestici duo vel plures. Quod de cardinali celebrante vel functioni praesidente dictum est, valet, congrua congruis referendo, de praelatis maioribus, videlicet, de nuntio vel delegato apostolico, de metropolita, et etiam de episcopo loci, nam in dioecesibus in quibus adest capitulum, prima dignitas, quae frequenter inter praelatos vel protonotarios apostolicos adnumeratur, fungi debet officio presbyteri assistentis. Habitum praelatitium eodem modo induunt praelati quum super rocheto accipiunt superpelliceum loco mantelleti, et tempore aestivo id semper fieri potest. Sed iuxta Nainfa " mantelletum facit praelatum ", et, eo deposito, ceteris retentis, sacerdos desivit agere tamquam praelatus et potest fungi officio presbyteri assistentis!

Aliunde tamen recte arguit Nainfa, nam praelati domestici nequeunt fungi officio familiarium cardinalium, uti magistri cubiculi *maestro di camera*, NC, n. 76 a; nequeunt in Urbe vel extra cardinales concomitari uti secretarii : et si secretarius cardinalis alicuius praelatus renuncietur, debet aliquem loco sui ponere ad officium magistri cubiculi exercendum. Praelati tamen cardinales concomitantur *tamquam praelati*, licet non sint *de familia* cardinalis sed Summi Pontificis.

In conciliis generalibus, si praesens aderit cardinalis a latere legatus, episcopi, metropolita non excluso, utuntur mantelleto tantum ad receptionem legati; et in initio congregationis generalis praesynodalis, habita venia legati, mantelletum deponunt et palliolum induunt. Si vero legatus non sit cardinalis, metropolita vel loci ordinarius ad eius receptionem habebit palliolum super mantelleto ob deferentiam nisi legatus aliter statuat. Cf. EPR, I, *Ordo in conciliis servandus*, n. 38, 39, 40. In conciliis oecumenicis episcopi se vestiunt more romano, videlicet cum mantelleto tantum. CV, col. 709. ASS, V, p. 277.

In nationibus in quibus episcopi extranei uti solent palliolo sine mantelleto, sicuti in Gallia passim videtur, consuetudo, utpote legi et usui generali contraria, paulatim amoveri debet iuxta prudens arbitrium ordinarii. D. 4355, III, 1. Et si id haud fieri poterit, expedit introducere usum adhibendi palliolum una cum mantelleto. Id enim a iure permittitur in locis ubi viget consuetudo et in casu expedit ut tollatur usus contra legem.

Extra functiones liturgicas, domi praesertim, loci ordinarius, urbanitatis gratia, invitabit episcopos extraneos ad mantelletum deponendum et ad palliolum assumendum, quod quidem beneplacitum etiam licet praesumere. D. 4355, III, 1. In praxi tamen post functiones sacras ad prandium vel ad conventus seu alia habenda solent episcopi tum palliolum tum mantelletum deponere. Rectius esset rochetum deponere et mantelletum seu palliolum super vestibus talaribus assumere, sicuti antiquitus semper fiebat et etiam nunc fit a SRE cardinalibus nuper creatis cum domi recipiunt vestiarium Papae cum galero cardinalitio.

CAPUT V

De usu rocheti et superpellicei

Vestes praelatitiae non sunt sacrae sed chorales, proinde praelati, sive ex ordine episcopali sive ex ordine sacerdotali, nequeunt cum palliolo, mantelleto vel cappa, ad altare ministrare neque sacramenta seu sacramentalia administrare, nec episcopis vel cardinalibus inservire ad missam vel dum sacramenta aut sacramentalia administrant. Vide EPR, I, n. 35. D. 4355, II, 4.

His in adiunctis debent praelati seu canonici, palliolo vel mantelleto deposito, superpelliceum super rocheto assumere cum stola desuper, vel etiam pluviale prout res fert. Superpelliceum etenim est vestis sacra et

ad altare adhibenda, nam "linum orantibus et sacrificantibus maxime congruit" ait Urbanus Papa V, *In libro de Curia*, Bonanni, p. 259.

Lex de superpelliceo adhibendo ad altare passim habetur in Missali Romano (RSM, I, 2) et in CE (I, 30, n. 1) et iteratis vicibus urgetur a SRC, reprobata contraria consuetudine utpote iuri liturgico oppugnante. DD. 2578; 2680; 2684; 3556; 3614, 5; 3779, 9; 3804, 1. Suffragia SRC ad DD. 164, 317, 329. Praesertim vero datur decretum generale n. 3784 diei 12 iulii 1892.

Canonici qui tempore hiemali utuntur cappa possunt, tempore aestivo, ea deposita, superpelliceum super rocheto assumere non secus ac canonici Basilicae sancti Petri. Id etiam licet praelatis ex ordine sacerdotali in choro tempore aestivo, nisi ex statutis capitularibus alia exigatur vestis.

Superpelliceum non est vestis sacerdotibus vel inferioribus ministris reservata sed omnibus clericis communis sive ex ordine sacerdotali sive ex ordine episcopali.

Usus superpellicei super rocheto antiquissimus est in Romana Ecclesia, sicut etiam usus albae super rocheto vel superpelliceo (RSM, I, 2) vel dalmaticae super tunica (CE, II, 8, n. 18). In Caeremoniali Apostolico passim praecipitur ut cardinales sive praelati superpelliceum assumant super rocheto, et usque hodie ita fit a cardinalibus episcopis suburbicariis, nec scitur cur non fiat etiam a ceteris cardinalibus. CA, l. II, cap. XIII, p. 55. Alii omnes praelati qui Papae inserviunt tamquam subdiaconi vel acolythi, videlicet Auditores SRR, Clerici RCA, et Votantes SA, superpelliceum super rocheto induunt in functionibus in quibus Papa celebrat, vel quia ministrant vel quia eorum Collegia ministrant. CA, l. II, cap. XIII, p. 55; ID, n. VIII. Hoc privilegio gaudent etiam caeremoniarii apostolici in functionibus papalibus vel cardinalitiis et ex recentissima concessione Benedicti XV parochi Urbis in suis ecclesiis, vel in ecclesiis filialibus, si ibi non aderit capitulum Basilicae Apostolicae, vel etiam collegialiter in Urbe, vel si quando in aliis Urbis paroeciis munera parochialia exerceant uti quando baptizant neophytos vel matrimonia celebrant. *Il Mon. Eccl.* 1914, p. 546; 1915, p. 110. Idem privilegium Pius VII die 15 iunii 1821 parochis civitatis Ravennae concessit. *Bullarium* Pii VII, tom. VII, 2, p. 2109 (85A).

(85A) Maiores nostri amplissimis utebantur rochetis et superpelliceis infra genua ductis. Vide *Apparizione dell' angelo su Castel Sant' Angelo, Pinacoteca Vaticana* n. 374 circa finem saeculi XVI : praelati quatuor qui urnam cum Sanctissimo Sacramento ferunt perpulchris utuntur superpelliceis super rocheta.

CAPUT VI

De usu *mantellone*

Cubicularii seu cappellani Summi Pontificis utuntur *mantellone* violaceo cum habitu uti aiunt *di formalità*, qui praesertim in servitio antecamerae pontificiae adhibetur. In capellis papalibus hi omnes utuntur cappa seu crocia cum pellibus armellineis vel cum subsuto rubini coloris prout tempus fert. Extra Urbem vero, cum talis vestis non permittitur, invaluit usus adhibendi *mantellone* in choro et in processionibus cum veste talari violacea, quod quidem in usu recepto transit.

Nequeunt tamen cubicularii seu cappellani Summi Pontificis cum eo sacramenta vel sacramentalia administrare vel ad altare inservire quocumque modo, sed tenentur superpelliceum assumere, consulto deposito *mantellone* vel tempore hiemali super eo.

Mantellone adhibetur a caeremoniariis apostolicis quando superpelliceum non praecipitur seu in functionibus quae extra altare fiunt, uti in consistoriis publicis vel semipublicis, in conciliorum congregationibus, vel quando caeremonias coram corpore defuncti pontificis moderantur. Extra Urbem caeremoniarii ecclesiarum cathedralium qui ad illud ius habeant, illud induunt iisdem in adiunctis, veluti in congregationibus conciliorum vel synodorum vel si tempore sacrarum functionum assistentiam praebeant praelatis maioribus vel regibus seu illis qui supremam habent potestatem.

Mantellone est supervestis *di formalità* et in Urbe adhibetur etiam ab alumnis diversorum collegiorum ecclesiasticorum, sed nunquam tamquam habitus choralis. Stricte loquendo cubicularii Summi Pontificis in choro vel in processionibus uti debent veste violacea cum serica zona cum flocculis et desuper superpelliceo sine rocheto. Sed, prout diximus, invaluit usus adhibendi *mantellone* etiam in choro.

Locorum ordinarii permittere possunt suis secretariis seu *maestro di camera* usum mantellone nigri coloris cum subsutis e serico in servitio, nam id nullibi prohibetur nec Sanctae Sedi reservatur. Nec desunt auctores qui docent colorem violaceum proprium esse episcoporum, qui illum dare possunt familiaribus domus suae uti *livrée*, sed id non videtur permissum, praesertim cum habitus violaceus cum *mantellone* violaceo proprius sit familiarium Papae. Tamen ius habitum violaceum dat tum caeremoniariis episcoporum, tum caudatario vel crucifero archiepiscoporum.

CAPUT VII

De usu pileoli

Caeremoniale praecipit usum pileoli, quod etiam biretum vocat, sub mitra, ne capilli capitis ei noceant; proinde iubet ut ad thronum diaconus assistens primus illud e capite episcopi amoveat postquam diaconus secundus mitram amoverit (86). Nam quo tempore Caeremoniale conditum est nemini licebat ad altare cum pileolo missam celebrare et Urbanus VIII paucos post promulgationem Caeremonialis annos iussit ut in capite Missalis legeretur : " Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine ". Quo tamen non obstante, primo SRE cardinales pileolum uti insigne praecipuum suae dignitatis etiam ad altare retinere coeperunt, Papa approbante, quod quidem exemplum episcopi postea sunt sequuti. Id tamen hodie usque nec ipsis protonotariis de numero conceditur (87).

Cum usus pileoli in sacris functionibus peragendis erat prohibitus et sensim introductus est, nullae exstabant declarationes iuris hac de re, proinde dubia de eius usu multiplicabantur. Hoc apparet in consultationibus Sacrae Congregationi Rituum propositis et nec semper ab ipsa eodem modo solutae. Nunc tamen ius liturgicum firmatum est et ad sequentia reduci potest.

(86) Pileolum erat *submitrale*, seu subtus mitra adhibebatur ne macularetur candidus eius color. Sic Caeremoniale quod vix de pileolo loquitur, dicit officium esse primi diaconi assistentis biretum (lege *pileolum*) e capite episcopi amovere cum secundus assistens aufert mitram, et *cum episcopo mitra imponitur, diaconus a dextris, imposito bireto, illam (mitram) imponet*. CE, I, 8, n. 3. In ritu missae pontificalis idem iubet ad intonationem *Gloria;* deinde rubricam non repetit eo quod non solet Caeremoniale regulam semel datam iterum repetere. CE, II, 8, n. 37. In incisionibus Caeremonialis episcopus quoties sine mitra pingitur, stat etiam sine pileolo. Propterea Alexander VII de abbatibus loquens dicit *sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant*. D. 1131, 8°. Sanctus Pius X de Protonotariis Apostolicis loquens eadem repetit verba Alexandri VII. IM, n. 9. Seu auctores Caeremonialis Episcoporum usum pileoli ab episcopo sine mitra ignorabant omnino et usus nunc vigens recens est.

(87) Celebrans ad altare accedens caput detegere tenetur, nudoque capite celebrare. RSM, II, 2. Etenim regula erat generalis, et episcopis sine privilegio apostolico cum pileolo celebrare non licebat, ipsaeque Sacrae Congregationes petitiones episcoporum hac de re ad Papam remittebant ad usque saeculum XVIII et etiam serius. Vide Gavantus in MR, pars II, tit. II. Pius IX, concedens usum pileoli violacei coloris episcopis, de eius usu intra missam tacet. Tandem cum res definienda adhuc erat, Sacra Congregatio Consistorialis, proposito dubio et facto verbo cum Sanctissimo, die 22 aprilis 1910 usum pileoli violacei ab episcopis, etiam dum sacris operantur, permisit. D. 4283, III. SRC, appendix II, p. 134.

1) Usus pileoli rubri coloris SRE cardinalibus reservatur, ita ut nec archiepiscopi quibus concessum sit privilegium vestium ad instar cardinalium eo uti possint.

2) Usus pileoli violacei coloris privilegium est praelatorum ex ordine episcopali a die suae nominationis seu electionis. Sacrae Cong. Cons. die 22 aprilis 1910. D. 4283, III. Insuper eo uti possunt abbates et praelati nullius dioecesis ex eo quod episcopis assimilantur etiam extra proprium territorium. CIC, 325.

3) Privilegium pileoli violacei coloris aliquando abbatibus de regimine seu generalibus conceditur (88).

4) Usus pileoli nigri coloris cum unionibus et parvo torulo violacei seu rubini coloris praelatis domesticis seu protonotariis non conceditur a iure (89).

5) Usus pileoli nigri coloris per se communis est omnibus clericis tonsuratis citra indultum apostolicum. Quum tamen agatur de parte habitus clericalis, eius usus a loci ordinario determinari debet ad normam canonis 136 CIC. Usu generali tamen clerici pileolo non utuntur, et praelatis reservatur (90).

REGULAE SERVANDAE.

A — **SRE cardinales et episcopi** utuntur pileolo intra et extra sacras functiones, sed illud deponunt :

(88) Privilegium pileoli violacei coloris nonnunquam abbatibus ecclesiarum insignium conceditur. Sic eo nunc gaudent : Abbas Solesmensis Ecclesiae ex concessione Leonis XIII (SCCons., 31 maii 1889); Abbas Generalis Congregationis Vallis Umbrosae OSB ab anno 1902; Abbas generalis sacri Ordinis Cisterciensis; Abbas Monasterii *de Affligem*. Vide Hofmeister, *Mitra und Stab*, p. 56. Supremus pro tempore magister *des Deutschen Ordens des Recht* utitur, ex concessione Pii XI, pileolo violacei coloris, litteris *Ob rerum gestarum* diei 8 septembris 1933.

(89) In constitutione sancti Pii X, *Inter multiplices curas*, sub n. 9 legitur *(Protonotarii) pileolo nigri coloris sub mitra dumtaxat uti poterunt*, id est, non alterius coloris nec cum torulo seu ornamentis alterius coloris. In n. 16 agitur de pileo seu *cappello* nigro cum chordulis rubini coloris. In constitutione Pii XI, *Ad incrementum decoris*, sub n. 7 agitur etiam de chordulis pilei seu *cappello*. Sed ubi dicitur pileus Nainfa (p. 116) legit pileolum et eum sequutus est McCloud. Sed McCloud (p. 80) refert lectores ad constitutionem Pii XI et Nainfa ad Pium X! Pileolum praelatorum est nigrum sine ullo ornamento alterius coloris, tamen in Urbe pileola protonotariorum conficiuntur cum unionibus parvoque torulo violacei coloris ex recepto usu.

(90) Pileolum prout ex dictis eruitur, in sacris functionibus admittitur uti vestis choralis capitis : in choro seu processionibus etiam mansionarii seu clerici illud induere possunt, praesertim propter temporis intemperiem. Non desunt tamen auctores qui putant usum pileoli intra ecclesias privilegium pontificalium esse; sic enim ait H. Rabotin " le port de la calotte à l'église est interdit à tout ecclésiastique ". DDC, II, col. 1270.

1) Dum sacris operantur vel assistunt inde ab initio praefationis *Vere dignum et iustum est* ad peractam celebrantis vel etiam assistentium communionem. D. 4284, III (91).

2) Quando missae solemni vel vesperis assistunt in habitu chorali ad evangelii cantum et dum thurificantur. SCC, 20 maii 1890. ASS, 24, p. 379. EPR, I, n. 192, 5°; III, n. 45, 4 (92-93). Vide p. 335, notam 33.

3) Coram Sanctissimo Sacramento solemniter exposito vel super altari seu in ciborio reposito.

4) Cum Sacramento in tabernaculo etiam unico genu genuflectunt.

5) Ad primam stropham hymni *Veni Creator* et ad versum *Veni Sancte Spiritus* quandocumque occurrunt, vel ad verba quae flexis genibus recitantur uti *Ave Maris Stella* seu *Et incarnatus est* in festo Annuntiationis BMV et in Nativitate Domini.

6) Ad adorationem Crucis Feria Sexta Maiore.

7) Quando cum reliquia Sanctae Crucis vel alia insigni populo benedictionem impertiunt. D. 2769, IV, n. 2, 3.

8) Ad finale iusiurandum quoties fidei professionem emittunt uti in conciliis. Vide EPR, III, notam 81, p. 151.

Cardinales pileolo rubri coloris utuntur a die quo illud recipiunt, episcopi vero a die nominationis seu electionis et quidem etiam intra missarum solemnia.

B — **Insuper episcopi** pileolum deponunt :

1) Ad audientias Summi Pontificis antequam ad cameram papalem admittantur.

(91) Decreta SRC 2895, 3 et 3188 nunc ad tramitem posterioris decreti 4284-III legi debent. D. 2895, 3 dicit mitram vel biretum deponi debere a consecratione ad consummationem, non autem pileolum. D. 3188 permisit reassumere pileolum post consecrationem. D. 4284-III prohibet usum pileoli ab episcopo qui sacris operatur ab initio praefationis ad peractam communionem. Pari ratione eius usus prohibetur episcopis vel praelatis qui missae assistunt.

(92) Decretum Sacrae Congregationis Caeremonialis facit episcopos seu cardinales pileolum deponere ad evangelium et dum incensantur quoties missae solemni assistunt, et talis est praxis Urbis. Tamen MM distinguit et facit episcopum pileolum deponere quando in habitu chorali seu cum cappa missae assistit, non tamen quoties paratus sacris vestibus in throno praeest. MM, 3, p. 155, n. 103; p. 225, n. 165. Praeterea de deponendo pileolo pro incensatione cum cappa tacet. Ibidem, p. 228, n. 112. *Norme Ceremoniali* distinguunt : cardinalis (pari ratione loci ordinarius) pileolum deponit ad incensationem et ad evangelii cantum quoties missae solemni assistit in habitu chorali, non vero si ad thronum functioni praeest sacris vestibus paratus vel etiam cum cappa, NC, n. 26 b.

(93) Episcopus celebrans pileolum non deponit ad cantum evangelii vel quando incensatur, etiamsi celebret ad faldistorium coram cardinalibus in choro qui illud deponunt.

2) Intra sacras functiones quando Papae inserviunt vel ad eum quacumque de causa accedunt uti ad recipiendos cineres, palmas, candelas vel alia.

3) In toto ritu consecrationis suae. Vide EPR, I, n. 222.

4) Quando Feria Quarta Cinerum ad altare accedunt ut cineribus signentur.

¶ — 1. Praelati et abbates nullius quoad usum pileoli violacei coloris episcopis assimilantur.

2. Abbates benedicti rite utuntur pileolo, nigri tamen coloris, non secus ac episcopi, etiam dum sacris operantur iuxta concessionem sancti Pii X. CIC, 811, § 2 et 625. Proinde abbates qui benedictionem Pontificalis Romani non receperunt ab usu pileoli ad altare abstinere debent.

C — **Praelati et canonici ex ordine sacerdotali** insuper pileolum deponere debent :

1) Toto tempore celebrationis missae tum lectae tum solemnis, etiamsi sint protonotarii apostolici de numero participantium; et si missam pontificali ritu celebrant pileolum deponunt quoties mitram deponunt ad mentem Caeremonialis Episcoporum. IM, n. 9.

2) Quando ab episcopo asperguntur (DD. 1650, 4; 1891, 2) vel utcumque ad eum accedunt, uti ad eum incensandum vel cum eidem ad missale assistunt. D. 1650, 3; 1891, 1.

3) Dum episcopo quomodocumque ad altare sive ad thronum assistunt seu inserviunt. DD. 2027, 7; 2895, 5, 6 (94).

4) Presbyter et diaconi assistentes ad thronum in actu ministrationis. DD. 1891, 3, 4; 2027, 7.

5) Ad circulum coram episcopo. DD. 1650, 1; 2455; 2895, 4.

6) Quando incensantur, non excluso vicario generali. D. 1258, I, et contrarius abusus est eliminandus. DD. 1258, 1; 1324; 3438, 2.

7) Canonici vel dignitates seu praelati officium peragentes, id est quando officio praesunt. D. 2425, 10.

8) Sacri ministri in missa solemni vel aliis functionibus. DD. 914, 1; 1636.

(94) Proinde non intellegitur D. 3094, 1, de pileolo deponendo in processione ingressus ad missam pontificalem, nam canonici tunc non inserviunt et pileolum in processionibus non deponitur.

9) Qui munere caeremoniariorum funguntur. D. 2308.

10) Dum cantant passionem, lectiones vel prophetias. D. 2079, 1.

11) Ad antiphonas intonandas. D. 2425, 10.

12) Quoties genuflectunt seu reverentiam alicui faciunt, seu, aliis verbis, beneficiati, canonici et dignitates in choro et in processionibus pileolo uti possunt (DD. 2039, 3; 3438, 3) etiamsi sint sacris vestibus induti (D. 3094, 3), sed illud deponere debent quoties ad altare seu ad thronum episcopo seu celebranti ministrant vel functionem aliquam exercent.

CAPUT VIII

De usu caputii et bireti

Caputium cappae est indumentum capitis et quidem adhibendum :

1) In solemnibus receptionibus quoties episcopus seu cardinalis cappa magna vestitus adhibet galerum pontificalem. Vide EPR, III, p. 269.

2) " Ipsa vero quarta feria... episcopus veniet cum cappa ad ecclesiam... et ingrediens ecclesiam cooperit sibi caput caputio cappae ". CE, II, 2, n. 3. Et haec regula servetur in officio tenebrarum et feria Sexta Maiore. CE, II, 25, n. 5. Cum sedet episcopus " sibi ipse caput tegit eodem caputio ". CE, II, 22, n. 6.

3) In processionibus paenitentialibus episcopus ibit cum cappa et caput habebit caputio coopertum, sicuti facere solebat sanctus Carolus Borromaeus.

Biretum est pars habitus praelatitii seu choralis, proinde praelati seu canonici habitu praelatitio induti biretum secum habeant.

Quoad usum bireti sequentes dantur regulae :

1) Qui assurgunt prius biretum deponunt; qui vero sedent prius sedent, deinde caput bireto cooperiunt.

2) Ambulantes extra ecclesiam in habitu praelatitio biretum in capite habeant, ambulantes vero intra ecclesiam ii tantum caput bireto cooperire debent qui sacris sunt induti vestibus, vel saltem stola. In habitu chorali clerici et praelati biretum prae manibus habeant, quicumque sint illi, dum stant in choro vel etiam intra vel extra presbyterium ambulant. D. 2184, 3.

3) Usus bireti prohibetur coram Sacramento vel coram Reliquia Sanctae Crucis.

4) Biretum adhiberi laudabiliter potest cum habitu quotidiano, non vero cum habitu piano, cum quo non componitur.

CAPUT IX

De usu galeri, chirothecarum et mantelli

¶ — Vestes huiusmodi adhibentur praesertim extra domum sub dio.

1) **Galerum pontificalem** adhibet episcopus in solemnibus receptionibus super caputium cappae. Vide EPR, III, p. 294, notam 140.

2) **Galerus usualis** pars est habitus tum praelatitii tum piani, et eo uti debent praelati dum, habitu praelatitio induti, cum mantelleto sive palliolo ad ecclesiam accedunt vel ab ea recedunt ad sacras functiones peragendas. Ad ecclesiae ianuam vero galerum tradunt suo cubiculario laico et biretum accipiunt.

3) **Chirothecae praelatitiae** habitum tum praelatitium tum pianum componunt. Cum habitu praelatitio vel piano tamen non sunt adhibendae coram Summo Pontifice nec, e regula saltem generali, intra ecclesiam. In receptionibus solent prae manibus gestari.

Mantello hiemali peramplo uti potest super habitu tum praelatitio tum piano; praesertim extra ecclesiam. In functionibus civilibus quae sub dio fiunt tempore hiemali vel frigido, mantellum locum tenet ferraioli.

TITULUS IV

DE CANONICORUM VESTIBUS CHORALIBUS

SECTIO I

DE CANONICORUM VESTIBUS IN GENERE

CAPUT I

De usu vestium choralium capitulariter vel ex officio

A — Canonici ex ordine episcopali

Canonici qui charactere episcopali ornantur ex decretis SRC et more Maiorum Basilicarum Urbis utuntur habitu praelatitio cum mantelleto, patriarchae vero etiam cum palliolo; et hoc valet etiamsi speciales vestes capitulo uti tali a Sancta Sede fuerunt concessae, quam quidem antiquam legislationem confirmavit Codex Pianus. CIC, 409, § 1; DD. 1457; 1469; 2706, 2. Proinde episcopi titulares canonici, sive collegialiter sive uti singuli, eodem habitu praelatitio ubique utuntur.

B — Canonici ex ordine sacerdotali

¶ — Canonici huius ordinis non sunt per se praelati, tamen praelatorum vestibus ex privilegio utuntur, proinde de illis hic erit agendum.

Capitula ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum iure communi nullo fruuntur privilegio quoad vestes chorales, et episcopi in singulis casibus ad Sanctam Sedem ibunt ut Ipsa vel vestes iam in usu confirmet vel novas concedat; et in singulis casibus standum erit

gratiis concessis D. 2161 ad 1. Privilegia huiusmodi dari solent per litteras apostolicas sub anulo piscatoris, sed etiam aliis modis nonnunquam conceduntur.

Clerici qui ad fruendum honoribus canonicorum capituli dioecesis vel ecclesiae collegialis admittuntur iisdem vestibus utuntur ac canonici titulares. CIC, 407, § 2. DD. 3393; 4187.

Conditiones quoad usum vel quoad formam vestium non solent in brevibus legi, nam exstant tum leges tum legitimae consuetudines sacrae liturgiae sub quibus conceduntur et quas observandas esse legislator semper supponit.

" Vestem choralem aut specialia insignia capitularia canonici adhibere possunt in tota dioecesi in qua est capitulum, sed, reprobata contraria consuetudine, non extra dioecesim, nisi vel episcopum comitentur, vel episcopum aut capitulum repraesentent in conciliis aliisve solemnitatibus ". CIC, 409, § 2.

Canonicorum capitula sunt instituta dioecesana, proinde canonici iure utuntur vestibus seu insignibus capitulo datis intra fines dioecesis in qua capitulum constituitur. Usus harum vestium seu insignium extra dioecesim stricte a lege prohibetur. Insuper si in aliqua natione consuetudo contraria exstat, a iure reprobatur, seu locorum ordinarii operam navare debent ut sicubi talis consuetudo vigeat quamprimum tollatur, nam non est rationabilis. CIC, 27, § 2.

Privilegium vestium datum ante promulgationem Codicis, cum clausula permittente usum extra dioecesim, nunc interpretari debet ad tramitem legis, seu clausula haec vim suam amisit.

Canonicus unicus vel canonici duo vel tres qui suum episcopum comitentur vel episcopum seu capitulum repraesentent in conciliis aliisve solemnitatibus iure utentur vestibus vel insignibus capituli. Haec permissio legis, utpote legi generali contraria, est strictae interpretationi subiicienda, sic non licet canonicis habitualiter suum episcopum repraesentare, sed tantum per modum actus " in conciliis aliisve solemnitatibus ".

Vestes et insignia dantur primo capitulo uti tali, secundo canonicis singulatim, seu dantur propter capitulum, eorum proinde usus in actibus capitularibus est praeceptivus, et canonici et dignitates sive episcopi qui sine vestibus propriis functionibus seu congregationibus intersunt, tamquam absentes habendi sunt. IM, n. 19, 52, 69; CIC, 409, § 1. SCC, 20 iunii 1925, AAS, 1925, p. 588.

Canonici qui in Urbe suum episcopum vel capitulum repraesentant nequeunt frui privilegio canonis 409, § 2 quoad usum vestium choralium (95).

Vestes et insignia quae canonicis dantur sunt chorales et dantur ratione chori, ut in officiis liturgicis adhibeantur ad normam iuris prout sequitur :

1) Vestes, id est, cappa vel palliolum cum rocheto, adhibentur in choro ad horas canonicas et ad missam conventualem, in processionibus et tempore praedicationis, vel ad alias functiones liturgicas quibus capitulum assistit.

2) In sessionibus capitularibus.

3) Ad altare et in sacramentorum et sacramentalium administratione usus vestium choralium prohibetur, et canonici, cappa vel palliolo deposito, induent superpelliceum super rocheto. Unde canonici qui administrare debent sacramenta vel sacramentalia, vel episcopo ministrare quando missam lectam celebrat vel sacramenta seu sacramentalia administrat, superpelliceum induere tenentur, et contrarium est abusus eliminandus, nam vestes chorales non sunt nec sacrae nec ministrationis. DD. 3614, 5; 3779, 9; 3804, 1.

4) In functionibus solemnioribus, quando loci ordinarius celebrat missam vel officium vel praeest processionibus, canonici, choralibus vestibus depositis, supra rochetum induunt sacras vestes cuique proprias quae sunt superioris gradus. CE, l. II : 1, n. 4; 8, n. 4; 16, n. 6; 33, n. 5.

5) In ecclesia propria capitulum semper praesens supponitur, proinde usus vestium canonicarum a canonicis in choro etiam extra functiones capitulares permittitur et in nonnullis ecclesiis cathedralibus praecipitur. Sic canonicus in sua ecclesia cathedrali extra functionem capituli praedicans vel missae assistens utitur vestibus choralibus capituli (96).

(95) Principium iuris liturgici de vestibus seu insignibus specialibus in Urbe a canonicis seu dignitatibus non adhibendis iterato modo legitur in litteris apostolicis concessionis, sic enim statutum est, ex. gr., a Clemente XI pro canonicis Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis, die 7 novembris 1716 : nunquam enim licet canonicis aliarum dioecesium insignia vel vestes sui capituli in Urbe induere. Auctor in quadam solemnitate beatificationis in Basilica sancti Petri canonicum vidit cum suis vestibus capitularibus, utpote repraesentantem suum capitulum, et caeremoniarius apostolicus canonicum admonuit ut vestes suas (mozetam in casu) deponeret. Exstant tamen concessiones cappae praelatitiae etiam in Urbe et in ipsis conciliis oecumenicis, veluti concessio Benedicti XIV canonicis Utinae et Goritiae anno 1752. Opera, 17, I, p. 300 et 17, II, p. 13 et 45.

(96) Talis est praxis Basilicarum Urbis. Canonici sancti Petri ab ingressu in Basilicam sine habitu chorali prohibebantur sub excommunicationis poena, quam tamen sanctus Pius X sustulit. ASS, 36, 1904, p. 466.

CAPUT II

De usu vestium choralium a canonicis uti singulis

Vestes chorales dantur capitulo seu canonicis capitulariter convenientibus; proinde primario dantur ecclesiae cathedrali vel collegiali. Quodsi capitulum in ecclesiis ipsi annexis conveniat, vel etiam speciali de causa in aliis ecclesiis dioecesis, canonici uti tenentur vestibus propriis, et id valet in tota dioecesi in qua est capitulum.

Quodsi canonici uti singuli functionibus liturgicis interveniant, ab usu cappae vel pallioli abstinent et adhibent superpelliceum solum vel super rocheto. Sic parochus qui sit etiam canonicus titularis vel ad honorem in ecclesia sua cappa vel palliolo canonicali uti nequit.

Hac de re plures exstant responsiones SRC, eo quod abusus plurimi hic illic introducti fuerunt, seu solebant canonici uti singuli vestibus capitularibus uti. Praesertim exstat decretum generale SRC speciali modo editum *facto verbo cum Sanctissimo Pio VII* : " Dignitatibus vero et canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rochetum tam in propria quam in alienis ecclesiis, huiusmodi tamen aliorumque canonicorum insignium usum extra propriam ecclesiam licitum esse duntaxat quando capitulariter incedunt, vel assistunt, et peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur ". D. 2579. Fontes n. 5832.

Cum tamen Codex Pianus (can. 409, § 2) permisit usum vestium et insignium in tota dioecesi, non defuerunt doctores docentes nunc licere canonicis singulis huiusmodi vestibus uti, sed perperam, nam legislator reprobare voluit consuetudinem alicubi invectam adhibendi vestes chorales extra dioecesim in qua concessae fuerunt, sed adiungit : in tota dioecesi ubi viget capitulum licet. Sed id licet servatis regulis liturgicis, quas codex dat ad pedem seu in fontibus. Sunt enim : D. 1613 (Fontes n. 5625); D. 2371 (Fontes 5781); D. 2578 (Fontes 5831); D. generale 2579, 2 (Fontes 5832). Haec duo ultima eodem die edita citantur per modum unius. Demum D. 3104 ad XII (Fontes 6001); D. 2239, 1, anni 1716 tantum omittitur. Vide De Herdt, *Praxis capitularis*, p. 45. Iuxta canonem 2 CIC liturgicae leges vim suam retinent nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur, et in dubio leges posteriores ad priores trahendae sunt (can. 23), praesertim

quando fontes legis citantur. In casu de quo agitur, proinde nihil erit innovandum. Idque confirmatur novissimis concessionibus Sanctae Sedis : pro regione Canadensi legitur ... vestibus adhibere licet *in functionibus capitularibus intra propriae dioecesis fines* (AAS, 46, p. 248) et alibi ... *in choro et in functionibus capitularibus intra suae dioecesis fines*. AAS, 47, p. 608; vel 48, p. 67 (97).

Canonici qui privilegiis protonotariorum de numero seu ad instar fruuntur et per breve apostolicum inter praelatos domesticos Summi Pontificis adnumerantur, possunt etiam singulatim uti habitu praelatitio non secus ac ceteri praelati Domus Pontificiae. Canonici vero qui iisdem gaudent privilegiis et inter praelatos domesticos non adnumerantur, ex speciali concessione Pii X in suis litteris *motu proprio* datis die 22 decembris 1913, uti possunt habitu praelatitio etiam singuli sed intra fines dioecesis in qua exstat capitulum. D. 4309.

Canonicis Galliae indulsit SRC ut, attento usu generali, palliolum et rochetum adhibeant singulatim in suis ecclesiis, ita ut parochus canonicus in sua ecclesia paroeciali in choro insignia canonicalia adhibere possit, cauto tamen ut, dum sacramenta vel sacramentalia administrat vel ad altare missae episcopi inservit, superpelliceum adhibeat. D. 3361 diei 2 augusti 1875 (98). Ita agunt canonici ad honorem Galliae (et quot sunt !) in ceteris dioecesibus nationis seu extra dioecesim capituli. Promulgato Codice Piano vero, qui talem consuetudinem reprobavit et irrationalem declaravit (can. 409, § 2), iam amplius non licet canonicis Galliae suis uti insignibus nisi intra dioecesim cuius sunt canonici. Torquebiau, DDC, III, col. 578. Vide A. Bourbon, *Introduction aux cérémonies romaines*, Luçon 1864, n. 231 et notas.

(97) Id confirmatur usu Ecclesiae Romanae. Nam in Urbe canonici tum Basilicarum Apostolicarum, tum aliarum ecclesiarum collegiatarum, vestes chorales capituli uti singuli non adhibent. Corrigendus proinde Toso qui dicit vestes chorales adhiberi posse ex eo quod codex dicit in tota dioecesi sine restrictionibus, et decretum generale SRC, diei 31 maii seu 4 iunii 1817 a Pio VII confirmatum, ad calcem codicis non apponi. *Commentaria Minora*, 1921, ad canonem 409, p. 50. Sed perperam, nam decretum generale venit sub n. 5832 Fontium una cum alio decreto eiusdem diei : Fontes 5831. Quoad primam partem argumentum nimis probat cum in pluribus functionibus nec collegialiter vestes chorales canonicorum adhibentur. Mens non erat legislatoris totam legem quoad usum vestium dare, sed tantum principia generalia : videlicet, extra dioecesim nunquam licet et sequuntur exceptiones; intra dioecesim semper licet, sed servatis legibus liturgicis vigentibus, quas codex non mutat.

(98) In Gallia usus pallioli humeralis (camail) nigri coloris hiemali tempore super superpelliceo a sacerdotibus antiquus est, et de eo loquitur Caeremoniale Parisiense anni 1662. Tale usum nonnullis ecclesiis Galliae confirmavit Leo XIII, BM, I, p. 344 et Pius IX pro Ecclesia Patriarchali Lisbonensi. Non tamen approbari potest usus huius vestis in sacramentorum vel sacramentalium administratione pro quibus stola requiritur et immediate super superpelliceo imponi debet.

CAPUT III

De usu insignium et vestium a canonicis ad honorem aliarum dioecesium

" Canonici ad honorem alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum; canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum extra Urbem privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt, non autem extra dioecesim, nisi ad normam canonis 409, § 2 ". CIC, 407, § 1.

" Sacerdotem alienae dioecesis canonicum ad honorem nominaturus Episcopus... ordinarium (alienae dioecesis) insignia edoceat ac privilegia quorum usum nominandus exinde habiturus sit ". CIC, 406, § 2.

Quoad usum vestium et insignium canonici ad honorem iisdem fruuntur privilegis ac canonici titulares (CIC, 407, § 2; DD. 3393; 4154; 4187) proinde nec minoribus nec amplioribus. Ordinarius exinde dioecesis ubi est capitulum ordinarium canonicum extradioecesanum certiorem facere debet de insignibus seu privilegiis quibus electus canonicus fruitur in dioecesi nominationis sicubi aliquando ibi versetur; nam in dioecesi sua, utpote aliena, canonicus vestibus et insignibus uti nequit, et usus contrarius a iure reprobatur (can. 409, § 2) etiam quoad canonicos ad honorem alterius dioecesis. Contrarium enim esset nominatio canonici in aliena dioecesi in qua episcopus nulla gaudet iurisdictione; nam episcopus, de licentia ordinarii electi, clericum alterius dioecesis eligit canonicum ad honorem capituli suae dioecesis (99).

(99) Lex napoleonica de vestibus ecclesiasticis colorem violaceum episcopis reservavit; praeterea titulus *Monseigneur* dabatur tantum principibus et episcopis. Exinde accidit romanos praelatos in vita ecclesiastica Galliae elapsi saeculi locum non habuisse. Sic, ex. gr., Pius IX in protonotarium suum elegit Felicem Dupanloup : ex aliis rationibus, etiam quia ad conversionem Principis de Talleyrand adlaboraverat non sine fructu, sed biographus eius *de Canonico* Dupanloup semper loquitur, reliquiae napoleonicae! Ex tali agendi modo canonici *honoraires* et *d'honneur* orti sunt, eorumque numerus multiplicatur, ita ut etiam episcopi ne dicam SRE cardinales in canonicos *d'honneur* diversarum dioecesium eliguntur! Cum lex napoleonica non amplius observatur, praelati romani in vestibus violaceis nunc videntur, praesertim post Duchesne, D'Hulst, Barbier de Montault, Battandier, aliosque plurimos qui romanam praelaturam in Gallia virtutibus et scientia distinguerunt. De canonicis ad honorem in Gallia scripsit Battandier, APC, 1911, p. 536-544. Uti videtur eorum multiplicatio recens est, nam ante Rerum Conturbationem res alio modo ordinabantur.

SECTIO II

DE CANONICORUM VESTIBUS IN SPECIE

CAPUT I

Habitus praelatitius

Usus habitus praelatitii cum mantelleto in choro non raro conceditur, etiamsi canonici privilegiis protonotariorum de numero vel ad instar non fruantur. IM, n. 19.

Si quandoque privilegium mantelleti concedatur, semper conceditur per totum anni tempus, id est, sine vestium mutatione non secus ac episcopis canonicis (100), seu cum exclusione cappae vel pallioli humeralis.

Una cum concessione mantelleti datur, vel datum supponitur, privilegium totius habitus praelatii eiusdem coloris, rocheto non excluso.

Habitus praelatitius generatim datur tantum dignitatibus capituli; aliquando licet rarius, eius usus extenditur ad omnes canonicos (101).

Privilegium habitus praelatitii violacei coloris conceditur, si canonici sint praelati domestici *ad instar* vel protonotarii apostolici supra numerum vel *ad instar*. Si prima dignitas vel dignitates sint praelati extra Urbem, privilegium habitus praelatitii nigri coloris tantum datur. Habitus praelatitius rubri coloris non conceditur seu non solet concedi.

Praelatis domesticis Summi Pontificis et protonotariis apostolicis " pro usu rocheti et mantelleti in choro attendatur utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim praelatitio habitu assistens, neque locum inter canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent ". IM, n. 19.

Concessio habitus praelatitii minime secum fert concessionem insignium pontificalium.

(100) Canonici Ecclesiarum Mediolanensis et Pisanae sunt praelati domestici Papae. Isti habitum praelatitium in choro adhibent; sed Pius IV anno 1560 ipsis concessit cappam rubeam tempore hiemali vel palliolum pariter rubrum tempore aestivo. APC, 99, p. 98.

(101) Canonicis Ecclesiae Cathedralis ad aquas *Calientes* in Republica Mexicana Pius XII, *g. r.*, concessit usum habitus praelatitii quando loci ordinarius celebrat. AAS, 1946, p. 414.

CAPUT II

Cappa praelatitia

Habitus choralis canonicorum proprius, e prisco Ecclesiae more, est cappa seu supervestis talaris. Id bene intellegitur praesertim cum capitula ecclesiarum cathedralium Europae in locis generatim frigidis erant; praeterea ecclesiae non calefiebant et canonici immobiles officium cantabant; propterea etiam cappae pellibus suffulciebantur (102).

Privilegium cappae sat facile conceditur, praesertim capitulis ecclesiarum metropolitanarum, et solet concedi ad instar privilegii capituli Basilicae Vaticanae, prout Pius IX in Brevi dato capitulo Ecclesiae Rhemensis anno 1851 declaravit. BM, I, p. 382; *ibid.*, p. 378.

Privilegium cappae canonicis datum " ad instar Basilicae Vaticanae " secumfert concessionem cappae mansionariis.

Privilegium cappae maior est quam privilegium pallioli, propterea Leo XII dans usum cappae canonicis capituli Marino prope Urbem edixit *deposita prius per eos mozeta* et sic declaravit SRC D. 3361; BM, I, p. 381.

Cappa confici debet iuxta exemplar seu morem romanum et violacei coloris adprobati; et quidem lanae seu *merinos* cum serico tantum in parte superiori (103).

(102) Antiquissimus est usus cappae in choro. Ad rem Gandulphus Senior, saeculo XII ineunte, de Ecclesia Mediolanensi scribens : "... officia ecclesiastica (ab) omnibus timore ac reverentia... religiose ac curialiter die ac nocte celebrabantur : nullus enim sine candida toga chorum intrare audebat, nullus sine caputio birri (cappae) capite velato intrare chorum audebat ". *Hist. Mediol.*, l. II, c. 35, *Magistretti*, p. 13. Canonici Basilicae sancti Petri de Urbe usum cappae violacei coloris cum pellibus a Nicolao V receperunt anno 1454. Vide lib. I, notam 24.

(103) Bonanni, Romae scribens anno 1720, dicit (p. 433) cappam canonicalem a cappa cardinalitia distingui non forma sed materia et colore. Usus cappae ad altitudinem pectoris scissae cum cauda fictitia res nova est etiam in Urbe, nam syrma vestem talarem exigit. Cappae quibus nunc utuntur canonici ordinarii Ecclesiae Mediolanensis breviores sunt illis quibus tempore sancti Caroli in usu erant. *Magistretti*, p. 22. Canonici secundi ordinis Ecclesiae Mediolanensis utuntur cappa in anteriore parte scissa veluti cappa papali, sed fere talari *la quale, meglio di quella degli ordinarii, si avvicina alla forma primitiva (di san Carolo)*, *Magistretti*, p. 21. In opere Bonanni depinguntur canonici tum saeculares tum regulares cum cappa talari quae semper fuit in usu. Tamen quando Ioannes V, Portugalliae Rex christianissimus, a Clemente XI indultum cappae violaceae pro suis canonicis obtinuit, Rex instructionem dedit suo emissario ut cappae conficerentur talares : " Advirta Vossa Mercê que as capas sejam todas inteiras, e não como as que trazem os cônegos de São Pedro e outros, que por se pouparem trazem sómente meias capas ". Eduardo Brazão, *Subsidios para historia do Patriarchado*, Lisboa 1943, p. 59. Re quidem vera cappa non est palliolum humerale sed supervestis talaris, quae caudam habere potest, natura sua tamen ea non requiritur. Quodsi vestem scindere vellent, potius expedit

Cappa praelatitia et rochetum sunt vestes correlativae, seu privilegium cappae secumfert usum rocheti, et quidem sine manicis pro mansionariis.

Cappa non est necessario eiusdem coloris ac vestis talaris, seu privilegium cappae violacei coloris minime secumfert usum togae coloris violacei nec privilegium cappae rubrae secumfert vestem talarem rubram nisi expresse concedatur (104). Qui tamen alio titulo usu togae talaris violacei coloris fruuntur, illam in choro retinere possunt. IM, n. 19.

Usus duarum capparum. In pluribus Europae dioecesibus usus erat et adhuc viget adhibendi cappam nigram toto tempore Adventus et Quadragesimae et in officiis defunctorum. In regionibus Portugalliae et Brasiliae cappae erant nigrae cum vittis violaceis et quidem sericae et talares (105). Mediolani ante adventum sancti Caroli cappae paenitentiales erant nigri coloris cum subsutis viridibus. *Magistretti*, p. 33.

In dioecesibus in quibus Sancta Sedes usum cappae rosaceae vel rubrae permisit, etiam cappae violaceae adhiberi debent, nam illae diebus paenitentialibus prohibentur. Sic sanctus Carolus cappas violaceas diebus paenitentialibus iterum in sua dioecesi introduxit (106).

caudam scindere et non vestem. Nonnullae ecclesiae Cathedrales Europae ad cappas quae revera sunt vestes reverterunt, imprimis Ecclesiae Rhemensis in Gallia et Matritensis in Hispania, in parte anteriori vero scissas. Ecclesiae cathedrales quae antiquam cappam nigri coloris servaverunt adhuc utuntur cappa talari caudata. Et id intellegitur, nam SRC permisit ut ad adorationem crucis Feria Sexta Maiore cauda cappae canonicorum explicetur ad talos. D. 2389, 1 et 2. Exoptare liceat ut ad veram cappam talarem in parte anteriori scissam, sicuti in usu erant saeculis XIII et XIV iterum revertamur, sunt enim vestes. APC, 1899, p. 95.

(104) Canonici Ecclesiae Lisbonensis qui usum cappae rubrae a Clemente XI receperunt etiam vestem talarem rubram sumpserunt, id male ferente Nuntio Apostolico. Tandem in brevi diei 30 martii 1855, Pius IX declaravit "... te (Patriarcham) eligimus ad decernenda pro tuo prudenti arbitrio indumenta et insignia Patriarchalis Capituli Lisbonensis, exclusis tamen... purpureis talaribus vestibus... ", nam tempore Regis Iohannis V canonici vestibus purpureis utebantur. Patriarcha vero concessit vestem talarem, palliolum humerale vel etiam cappam coloris rubini *(carmesim)* cum subsutis rubri coloris. Tamen color rubinus a rubro parum distat, et post rescriptum SCC diei 21 septembris 1903 canonici Lisbonenses uti debent colore violaceo. *Privilégios do Cabido da Sé Patriarcal*, p. 13 et 44, n. VIII-IX.

(105) Color niger in vestibus cleri introductus est, uti videtur, sub influxu regulae sancti Benedicti, praesertim quum saeculo XI plurimi Summi Pontifices ex ordine Patriarchae electi fuerunt. Bonanni, p. 124 et 164. Vide etiam Piazza, caput XXIX, *Perché, e come si usi il color nero del clero secolare e regolare.*

(106) Magistretti narrat quomodo sanctus Carolus in pastorali visitatione capituli *Duomo* invenit usum cappae rosaceae seu rubri coloris toto anni tempore, quum constabat in archivis canonicos ordinarios (sic enim vocantur canonici maiores) usum habuisse etiam cappae violaceae tempore Quadragesimae et Adventus; talem diversitatem iterum introduxit Carolus, habita venia orali sancti Pii V, die 1 februarii 1567. *Magistretti*, p. 20.

Sanctus Carolus edixit in IV synodo dioecesana anno 1574 adunata ut antiquus servaretur mos de cappa nigri coloris a parochis (praepositis curae animarum) urbanis adhibenda. *Magistretti*, p. 22. AEM, I, col. 884. Sed inde ab anno 1841, relicta cappa, parochi omnes intra suas ecclesias palliolum nigrum adhibent cum subsuto, globulis et ocellis violacei coloris, et rocheto. *Magistretti*, p. 33.

CAPUT III

Palliolum humerale

Solet Sancta Sedes concedere capitulis noviter erectis usum pallioli humeralis (mozetae) et rocheti toto anni tempore (107). Sericum in palliolo non raro conceditur, excluso semper serico villoso *(velours)* vel polito *(satin)* quae stricto iure Summo Pontifici reservantur.

Iuxta regulam servandam a SRE cardinalibus, episcopis, vel praelatis, palliolum et toga talaris eiusdem semper sint panni eiusdemque coloris, proinde palliolum canonicorum deberet semper esse laneum et nigri coloris. Id tamen non obstante, palliola aliorum colorum praesertim vero violacei, et etiam rubini coloris non raro conceduntur (108).

Cappa et palliolum. Non obstantibus quae supra dicta sunt, Sancta Sedes recentissime concessit capitulis quae usu pallioli iam fruebantur, privilegium cappae violaceae cum pellibus armellineis pro diebus solemnioribus quando episcopus rem sacram facit, retento usu pallioli pro ceteris per annum diebus.

(107) Usus pallioli humeralis in choro a Caeremoniali ignoratur, nec talis vestis a capitulis Urbis adhibetur, nam habitus proprius canonicorum est cappa choralis vel superpelliceum. In Gallia ante Gentium Perturbationem solebant canonici uti cappa ampla. Cardinalis Caprara, legatus a latere Pii VII, episcopis permisit ut antiqua insignia, cappa videlicet et rochetum darentur canonicis; sed generatim capitula Galliae palliolum sumpserunt ex concessione eiusdem cardinalis, nam inde ab initio saeculi XVIII nonnullis capitulis fuit concessum. BM, I, p. 343; A. Bourbon, *Introduction aux cérémonies Romaines*, Luçon 1864, p. 160.

(108) Canonicis Provinciae Ecclesiasticae Westmonasteriensis Pius IX concessit usum pallioli violacei coloris, non tamen serici, cum pellibus armellineis ad oram, globulis et ocellis rubini coloris et subsuto laneo pariter violaceo. BM, I, p. 343. Palliolum caerulei coloris concesserunt Pius VII et Leo XII cappellanis ecclesiae sanctae Mariae in Via *a Camerino* prope Urbem. BM, I, p. 344; et recentius sanctus Pius X capitulo de Ocothan in Republica Mexicana et quidem sericum. Acta sancti Pii X, III, p. 200. Sed etiam palliola viridis coloris exstant in Gallia : nam omnia licent canonicis.

Pius XI decano cuiusdam capituli ad honorem dedit usum cappae violaceae diebus solemnioribus et pallioli eiusdem coloris per annum. AAS, 1925, p. 90. Canonicis Ecclesiae Cathedralis Amosensis in Regione Canadensi Pius XII, *g. r.*, concessit usum cappae violaceae *vel* pallioli. AAS, 1946, p. 248. Eandem concessionem recepit capitulum Ecclesiae Cathedralis Guaxupensis. AAS, 48, p. 67.

In iure liturgico, licet palliolo utatur Summus Pontifex in tota Ecclesia et episcopi in suis dioecesibus tamquam iurisdictionis signo, tamen privilegium cappae episcopalis vel praelatitiae plus est quam privilegium pallioli sive detur abbatibus sive canonicis. Proinde concessio cappae uti pluries declaravit SRC irritam facit concessionem pallioli iam datam. Quo tamen non obstante, usus cappae in hieme et pallioli in aestate concessit Pius XII, *g. r.*, capitulo Ecclesiae Cathedralis Amosensis in Regione Canadensi (AAS, 1946, p. 248) et capitulo Ecclesiae Cathedralis Montis Laurei eiusdem nationis cum pellibus in hieme, pallioli violacei in aestate. AAS, 1947, p. 608. Sed exstant concessiones anteriores uti Pii IV canonicis ecclesiae Primatialis Pisanae anno 1560 facta quae tamen non amplius viget. APC, 1899, p. 98. Bonanni, p. 436.

CAPUT IV

Superpelliceum

I. — Cum rocheto

Nonnullis capitulis praesertim ecclesiarum collegiatarum concedit Sancta Sedes privilegium utendi rocheto cum desuper superpelliceo; etenim vestis haec clericorum propria est, etiamsi inter ecclesiasticas dignitates adnumerentur.

Parochi Urbis, speciali privilegio eis a Benedicto XV concesso, superpelliceum super rocheto assumunt intra proprias ecclesias suae paroeciae. SRC, 11 novembris 1914. AAS, 1914, p. 708. Vide caput V tituli III, p. 141, *de usu superpellicei et rocheti.*

Canonici qui funguntur munere praepositorum caeremoniarum cappam vel palliolum deponere tenentur et super rocheto superpelliceum assumere. CE, I, 5, n. 4. D. 3165, 2.

II. — Cum almutio

Almutium cum superpelliceo est privilegium minus, quod dari potest ab episcopo.

Almutium formam habet cappae humeralis seu caputii et conficitur e pellibus generatim cinereis *(petit gris)* vel ex aliis pellibus. Usus almutii tamen tanquam vestis obsolevit et solet in brachio sinistro ferri.

Almutium una cum cappa non permittitur. D. 1543 ad primum.

Canonici regulares sancti Norberti in hieme utuntur amplis cappis talaribus albi coloris cum rocheto, sed in aestate, cappa et rocheto depositis, utuntur superpelliceo et almutio, quod in brachio sinistro portant, sicuti mos erat canonicorum Galliae ante Rerum Perturbationem anni 1789.

CAPUT V

Vestis talaris violacei coloris et res minores

Privilegium vestis talaris violacei coloris nonnunquam datur capitulis quae usu cappae vel pallioli violacei gaudent. Vestis talaris erit e panno laneo, nisi sericum sit expresse concessum. D. 2817. Vestes talares violacei coloris fieri debent ad gradum violaceum a Sacra Congregatione Caeremonialis approbatum, prout in capite III tituli I, p. 101 habetur.

Privilegium vestis violaceae secum fert concessionem zonae sericae pariter violaceae cum duobus flocculis a latere sinistro pendentibus.

Exstant in iure concessiones vestis talaris rubri coloris pro diebus solemnioribus, quae datur una cum veste talari violacea, prout tempus fert. Tamen tale privilegium non solet amplius dari. Vide D. 2817 de veste talari rubra canonicis Ecclesiae Picenae permissa anno 1840, sed nunc canonici huius primatialis Sedis utuntur habitu praelatitio violacei coloris.

Benedictus XV canonicos ecclesiae collegialis sanctorum Celsi et Iuliani in Urbe, cuius Protector est Pontifex Ipse Summus, ad fruendum honoribus suorum cubiculariorum ad vitam admisit. APC, 1914, p. 795. Quae quidem nobilis electio usum vestis talaris violacei coloris in choro permittit, non tamen *mantellone.*

Res minores. Privilegium coloris violacei in rebus complementariis non raro conceditur a Sancta Sede, veluti in collario et caligis, in

vittis galeri vel in flocculis bireti, quae licet sint res praelatorum propriae, tamen quandoque canonicis conceduntur (109-110).

Licet, iuxta regulam a tota praelatura in habitu praelatitio servatam, zona eiusdem sit coloris ac vestis talaris, nihilominus privilegium zonae sericae violacei coloris cum nigra veste talari conceditur a Sancta Sede nonnullis capitulis. Zona caerulei coloris utuntur canonici mexicani. Acta sancti Pii X, 3, p. 200.

¶ — De cruce vel anulo non raro canonicis concessis agitur cum insignibus pontificalibus, p. 191 ss.

CAPUT VI

De canonicis Basilicarum

Canonici trium Basilicarum Patriarchalium Urbis, licet sint Protonotarii Apostolici supranumerum et Praelati Domestici Summi Pontificis, non utuntur mantelleto in choro, sed supra habitum praelatitium induunt cappam laneam violacei coloris cum syrma revoluta. Caputium cooperitur serico rubini coloris tempore aestivo et pellibus armellineis in hieme. In officio quotidiano, commoditatis gratia, praelati canonici cappam et rochetum induunt super togam talarem nigram quotidianam. Tempore aestivo tamen solent cappam deponere et superpelliceum super rocheto assumere.

Canonici secundi ordinis Basilicarum Urbis super togam nigram induunt rochetum sine manicis et desuper cappam canonicalem eiusdem

(109) Canonici Ecclesiae Metropolitanae Monacensis in Germania utuntur bireto violaceo ex concessione centenaria, et canonici Ecclesiae Cathedralis Csanadiensis *(Chonad)* in Ungaria ex concessione Pii VII. *Bullarium Pii VII*, pars II, p. 167. Tale privilegium maius, utpote contra expressam declarationem Leonis XIII, est iuri communi contrarium. Ait enim Papa " Hoc (biretum violaceum) ita illis proprium volumus, ut alius qui episcopali dignitate non sit insignitus eiusmodi ornamento nullatenus potiri queat ". Breve *Praeclaro Divinae Gratiae* diei 3 februarii 1888. Acta 8, p. 120. Praelati nullius episcopis aequiparantur, propterea violaceo utuntur pileolo. Vide librum I, notam 49. Pius VII privilegium vestis talaris violacei coloris canonicis ecclesiae Monacensis elargitus est, sed de bireto violaceo tacet. *Bullarium Pii VII*, 2, p. 2192, 2 octobris 1821. Minime intendimus relationem dare omnium privilegiorum canonicorum capitulorum per orbem, necesse enim esset speciale volumen edere; nam si consules Bullarium Summorum Pontificum, praesertim a Clemente XII (1730) ad nostram usque aetatem, videbis mare magnum concessionum, non exclusis vestibus rubris ad instar cardinalium dignitatibus Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis a Clemente XI datis. Non raro nec ipsa capitula relationem privilegiorum bene noscunt. Humana vanitas limites ignorat et quod uni capitulo dabatur alia voluere. Nec defuerunt lites vertentibus saeculis inter episcopos et

formae ac cappa praelatorum sed coloris violacei caerulei cum pellibus cinereis *(petit gris)* in hieme. In aestate vero, deposita cappa, utuntur tantum superpelliceo.

Ecclesiae per Orbem qui titulo Basilicae Minoris a Sancta Sede ornantur, si sint ecclesiae cathedrales vel collegiales, ipso iure fruuntur privilegio cappae violaceae ad instar Capituli Basilicae Vaticanae. D. 2744 et suffragium, p. 357.

Canonici et beneficiati seu canonici secundi ordinis Ecclesiae Metropolitanae Westmonasteriensis, quae tamen titulo Basilicae non

suos canonicos qui non raro privilegiis assumptis, sed nunquam concessis, utebantur; quaedam capitula amplioribus fruebantur privilegiis prae episcopis titularibus, mitra et baculo non exclusis. Proinde Pius X, vir sanctissimus, edita sua apostolica constitutione motu proprio data *Inter multiplices curas*, per insequens decretum SRC datum decrevit " quoad insignia, pontificalium usum, aliaque quaecumque privilegia, praescriptiones in citato *motu proprio* contentae debent integre atque adamussim servari; ita ut quae ipsis conformia sint libere et licite retineantur; quae vero contraria exstent ea tamquam omnino abrogata habeantur, non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis ". D. 4182.

Insuper sanctus Pius X specialem commissionem instituit ad canonicorum privilegia, praesertim quoad usum pontificalium, reducenda iuxta *motu proprio*. " Accidit autem quod maxima pars documentorum quae a dicta commissione examinata fuere, ut plurimum non alia privilegia continerent nisi ea quae indumenta seu insignia a canonicis et dignitatibus in choro adhibenda concernunt ". EL, 06, p. 259. Commissioni praepositus erat Petrus Piacenza, et Carolus Respighi a secretis. Vide quae scripsit ille apud EL, 06, p. 259, et 07, p. 147.

Re enim vera si legeres in Bullario pontificias concessiones capitulis factas, fere semper videres agi de vestibus specialibus concedendis, et si quandoque pontificalia dantur id fit modo summario, dicitur enim *more abbatum*, vel alia adhibentur verba generalem concessionem secumferentia. Sanctus Pius X voluit rem definire et privilegia coarctare, proinde epistolam ad commissionem misit, quae utpote maximi momenti in sequenti nota transcribitur. Vide dissertationem de canonicorum vestibus in EL, 1888, p. 147-156.

(110) Ilmo e Rev.mo Monsignore,

Il Santo Padre mi ordina di significare alla Commissione liturgica instituita per rivedere i privilegi dei Capitoli, giusta il motu proprio *Inter Multiplices* quanto segue:

Il color verde per il fiocco del cappello e per il cordone della croce pectorale, come pure la croce e l' anello ornati con più gemme, l' uso del trono, del pastorale e della mitra gemmata, PER VOLERE ASSOLUTO DI SUA SANTITÀ, sono esclusivamente riservati ai Vescovi.

Eseguiti i venerati commandi dell' Augusto Pontefice, passo a ripetermi con sensi di distinto ossequio di Lei etc.

ass. G. Bressan.

All' Ill.mo e Rev.mo Carlo Respighi,
Secretario della Commissione Liturgica.

Vaticano, 14 Maggio 1906.

EL, 1906, p. 260.

Meminisse tamen expedit sanctum Pontificem prae oculis habuisse protonotarios apostolicos et canonicos pontificalibus privilegiis instructos et non abbates, saltem quoad usum baculi et throni, nam paulo post dignitatem abbatis rectori ecclesiae archipresbyteralis Castrifranci in Dioecesi Tarvisina et privilegia abbatum concessit cum usu baculi et throni necnon vittae viridis coloris in pileo. Acta Pii X, V, p. 281.

fruitur, iisdem utuntur vestibus ac clerus Basilicarum Apostolicarum, cauto tamen quod, cum non sint omnes praelati, utuntur toga talari nigri coloris; in aestate cappam cum caputio rubini seu violacei coloris adhibent loco superpellicei.

CAPUT VII

De habitus choralis mutatione

In aestate solent canonici Basilicarum Apostolicarum cappam deponere et superpelliceum super rocheto ponere iuxta monitum Caeremonialis. CE, I, 3, n. 3.

Canonici Basilicae sancti Petri cappas hiemales deponunt in Sabbato Sancto ad *Alleluia* etiamsi tempus sit frigidum, easque iterum assumunt in primis Vesperis Festivitatis Omnium Sanctorum (111). Tamen consulto pelles deponuntur cum transit tempus frigidum et iterum assumuntur cum recedit aestas vel tempus autumnale incipit vel progreditur.

In Romana Curia dies mutationis vestium annuntiatur per cursores iuxta monitum praefecti apostolicarum Caeremoniarum de mandato Sanctissimi, et solet fieri ad primas vesperas festi Ascensionis DNIC, quando pelles armellineae tolluntur, et iterum assumuntur in festo sanctae Catharinae v. et m. die 25 novembris. In CA, II, p. 290 legitur " Vigilia Pentecostes, depositis cappis et capuciis pellibus subduplicatis, (cardinales et praelati) accipiunt alias cum serico rubro sive cremesino ". Et in CE, I, 3, n. 3 " Vigilia Pentecostes seu pro diversitate locorum citius aut tardius, prout Episcopo opportunum videbitur, praeintimatis etiam canonicis, qui cappis utuntur, quo die mutari debeant, removentur et loco pellicarum sericum rubrum opponitur ".

In locis qui a frigido non castigantur (et quot sunt !) vestes non mutantur, nec proinde pellibus ornantur (nisi solemnitatis argumento !) et earum loco cappae cooperiuntur serico per totum annum.

(111) De vetusto usu mutandi habitum choralem ad *Alleluia* Sabbati Sancti erudite disseruit Morettus in suo libro *De Ritu variandi chorale indumentum in solemnitate paschali apud clerum Basilicarum Urbis*, Romae 1732. Auctor acerrime defendit usum Basilicae Vaticanae, quia scilicet ita maiores nostri statuere ad significandam paschalis temporis laetitiam eiusque sacramentum; propterea etiam neophyti albis vestibus induuntur : nexus datur superpelliceum inter et vestes eorum qui aquis Baptismi eo die abluuntur. Vide etiam Catalanum, I, p. 79, qui doctrinam Moretti defendit; tamen ceterae Urbis Basilicae sequuntur monitum praefecti apostolicarum caeremoniarum et Caeremoniale nostrum, consulto quidem.

Aestivo tempore dignitates, canonici et beneficiati qui fruuntur usu cappae possunt vel, pellibus amotis, sericum loco earum ponere, vel, cappa deposita, superpelliceum assumere " quamvis magis honorifica habenda sit cappa, detractis pellibus ". D. 3633. Vide p. 236, notam 24.

Quod si mansionarii aestivo tempore cappam retinere velint, pellibus depositis, sericum eiusdem coloris seu cinereum addent. D. 2629.

Canonici qui cappa utuntur nullo indigent permissu Sanctae Sedis ut superpelliceum super rocheto assumant tempore aestivo. DD. 1586; 1608.

Si vestes chorales sint plures observa :

Iuxta receptum morem vestium variatio fit pro varietate temporis, prout erit aestivum vel hiemale, uti supra dictum est; vel si cappae duae conceduntur iuxta tempus liturgicum : si dentur cappae rosacei et violacei coloris, sequenda est regula cardinalibus data de usu cappae rubrae vel violaceae; si vero cappae sint violacei et nigri coloris, eadem observatur regula, nimirum cappa nigra adhibetur quando cardinales violaceas accipiunt.

Recentissime tamen alia regula data est, nimirum iuxta solemnitatem seu gradum celebrantis. Sic canonici Ecclesiae Metropolitanae sancti Pauli in Brasilia, qui utuntur palliolo nigri coloris, privilegium receperunt cappae violaceae cum pellibus armellineis adhibendae diebus solemnioribus quando metropolita celebret vel functionibus praeest, retento palliolo pro aliis diebus.

Generatim extra Urbem pelles armellineae habentur uti vestes solemnitatis, et difficile intellegitur usus Basilicae Vaticanae adhibendi cappas violaceas cum pellibus per totam Quadragesimam, Feria Sexta Maiori non exclusa, quas tamen Sabbato Sancto deponunt et in solemni Pascha Domini non adhibent.

APPENDIX

Schema ad privilegia capitulorum codificanda

¶ Privilegia SRE cardinalium iam fuerunt codificata etiam quoad vestes (NC); recentissime sanctus Pius X, *s. m.*, privilegia protonotariorum unificavit et codificavit, voluitque suam codificationem ad capitula per Orbem extendere quae pontificalibus fruuntur privilegiis.

Demum Pius XI privilegia collegiorum et praelatorum Romanae Curiae in unum redegit, optimo sane consilio in sua constitutione *Ad incrementum decoris*.

Ad tales codificationes complendas necesse est privilegia capitulorum per orbem codificare seu unificare, datis regulis quoad vestes earumque usum. Id enim in votis omnium praesertim episcoporum et magistrorum caeremoniarum est, iam a pluribus annis. Primus qui hoc emisit votum, nimirum ut privilegia dentur iuxta hierarchicum gradum ecclesiarum fuit Barbier de Montault iurium et usuum Romanae Ecclesiae propugnator zelosissimus : *Unification des insignes canonicaux*, BM, I, p. 460. Vide librum I, tit. II, cap. III, *De capitulis canonicorum pontificalibus privilegiis gaudentibus*.

Codificatio quae sequitur datur ad instar manuscripti, nam hac de re unius Apostolicae Sedis est privilegiorum multiplicationem aliqua regula speciali ordinare.

1 — **Capitula maiorum basilicarum Urbis** (Dignitates sunt omnes).

Canonici omnes sunt praelati protonotarii apostolici supra numerum cum cappa violacea in choro.

2 — **Capitula ecclesiarum patriarchalium** (Dignitates sex).

Dignitates sint praelati protonotarii apostolici supra numerum cum habitu praelatitio in choro. Canonici sint praelati domestici *ad instar* cum cappa violacea in choro.

3 — **Capitula ecclesiarum primatialium** (Dignitates quatuor).

Dignitates sint praelati protonotarii apostolici ad instar cum habitu praelatitio in choro. Canonici cum cappa et veste talari violacea.

4 — **Capitula ecclesiarum metropolitanarum** (Dignitates quatuor).

Prima et altera dignitates sint praelati protonotarii Apostolici ad instar cum habitu praelatitio in choro. Tertia et quarta dignitates sint praelati domestici ad instar cum habitu praelatitio in choro. Canonici cum veste talari violacea et cappa pariter violacea.

5 — **Capitula ecclesiarum cathedralium** (Dignitates duae).

Dignitates sint praelati domestici ad instar vel protonotarii titulares. Canonici cum cappa violacea et veste talari nigra.

6 — **Capitula collegialia basilicarum minorum** (Dignitates duae).

Dignitates sint praelati domestici ad instar. Canonici cum cappa violacea.

7 — **Capitula ecclesiarum collegiatarum insignium vel perinsignium** (Dignitates duae).

Dignitates sint praelati protonotarii titulares. Canonici cum cappa nigra cum subsuto violaceo.

8 — **Capitula ecclesiarum collegiatarum** (Dignitas una).

Cappa nigra cum subsuto violaceo et cum pellibus cinereis *(petit gris)*.

LIBER II — DE REBUS

PARS II — DE MINISTERIO PONTIFICALI

PARS SECUNDA

DE MINISTERIO PONTIFICALI

¶ — Pontifices Ecclesiae ad functiones solemnes peragendas indigent ministerio pontificali seu sacra supellectili ordinis sui (1). Hic nobis agendum erit de sacris vestibus ordinis pontificalis et de insignibus seu utensilibus quae ab Ecclesia episcopis reservantur veluti suae dignitatis argumentum et non de ministerio sacerdotali, licet etiam ab episcopis adhibeatur.

TITULUS I

DE VESTIBUS PONTIFICALIBUS

Sequentes vestes *pontificales* nuncupantur, videlicet mitra; chirothecae; caligae et sandalia; necnon tunica et dalmatica quando cum mitra et planeta adhibentur, et gremiale. Insuper Summus Pontifex utitur etiam fanone, subcinctorio, mantello, triremio, de quibus agendum per singula.

Usus pontificalium imprimis dat usum mitrae, quae utpote insigne princeps ordinis pontificalis, nam caput totum corpus regit (Eph. IV, 16), secum trahit ceteras vestes pontificales, videlicet chirothecas, sandalia cum caligis, tunicam et dalmaticam, quae per modum unius conceduntur quoties usus pontificalium conceditur (2).

(1) " Sacram supellectilem veteres uno vocabulo *ministerium Ecclesiae* vocabant. Eximius est locus, inter alios, apud Gregorium nostrum in libro 3° historiae, capite 10°, ubi de Childeberto Rege, qui ex Hispania rediens, inter reliquos thesauros *ministeria pretiosissima* detulit ". Mabillon, *De Liturgia gallicana*, lib. I, cap. VII, n. 3.

(2) " In occidentali Ecclesia longe ante annum millesimum mitras obtinuisse certissimum est... sed non cuivis episcopo citra privilegium ". Martène I, p. 128. Tamen docet clarus vir Petrus Batiffol : " Le XII[e] siècle, en effet, est le siècle où apparaît pour la première fois la mitre dans les monuments et dans les textes d'occident... Les évêques et leurs clercs étaient très en garde à l'endroit des innovations de costume qui allaient contre le *mos romanus :* tout ce qui sentait le barbare leur faisait horreur. Or l'usage romain était que les hommes fussent nu-tête ". QL, 1923, p. 16. Tandem saeculo XI immutatus est mos romanus et summi pontifices coeperunt mitra non

CAPUT I

De mitra

CE, I, 17, n. 1-4.

Materia. Mitra confici debet ex panno serico vel pretioso seu aureo vel argenteo vel etiam ex tela linea seu cannabe. Sed cum exstent mitrae diversae de eius materia agetur infra ubi de qualitate et ornamentatione mitrae.

Ab intus mitrae conficiuntur ex speciali charta crassa quae difficile plicari potest vel corrui. Ab intus mitrae serico subsuto ornantur tum a parte inferiori tum a parte superiori.

Color omnium mitrarum est albus, qui tamen ratione pretiositatis substitui potest auro vel argento (3).

Forma. Mitra est vestis bicornuta, quae conficitur ex duabus partibus aequalibus in parte anteriori et posteriori, quaeque in parte inferiori unionibus firmantur. Retro pendent vittae duae eiusdem panni ac mitra ipsa.

Dimensiones mitrae a iure non determinantur; altitudo eius praesertim ab hinc aliquot saeculis ita profusa est ut mitrae fere dimidii metri videri possint, quae difficile in capite pontificis firmantur eumque onerant pondere insupportabili (4). Tamen inde a fine saeculi elapsi

solum uti sed aliis episcopis vel presbyteris in dignitate constitutis, praesertim cardinalibus et abbatibus eius usum concedere. Ad rem Gregory Dix : " The mitre is (thus) the one and only liturgical ornament of purely Papal origin; and the right of others to use it... depended originally on a Papal privilege even more strictly than did the use of the *pallium* ". *The Shape of the Liturgy*, p. 407. Absolutam expositionem historiae mitrae tradit Braun, p. 424-487; vide etiam : Moroni, 43, p. 260-281; APC, 1900, p. 181-200; Rinaldi-Bucci, *De insignibus episcoporum*, p. 20-46.

(3) Usque ad saeculum VI color albus in sacris vestibus fere semper adhibebatur; et cum circa saeculum VII colores diversi introducti passim fuerunt, mitra colorem album retinuit. SRC saepius improbavit usum mitrae coloris diei, sicut nonnulli episcopi et abbates introducere conati sunt etiam recentissime. D. 3729, 1 et alia decreta antiquae collectionis. Vide RF, 8, p. 25, *Les couleurs liturgiques*. In hodierna Ecclesia Anglicana mitrae plurimae conficiuntur iuxta codicem colorum, colore nigro non excluso. Vide F. Ecles, *Notes on episcopal ornament, Alcuin Club Tract XXV*, p. 16.

(4) Mitra nunc in usu ad dimidii fere metri altitudinem protenditur; si inter pileolos omnium locorum aetatumque fieret comparatio, putamus nullibi unquam, nec intra coronas regias, vel tiaras papales, inveniri posse talem dimensionem. Sed, praeter rationes artis et traditionis, adsunt rationes ordinis practici quae mitram humiliorem, sicuti in usu erat saeculis XIII, XIV, et XV Romae et ubique, expostulant omnino. In primis ipsa commoditas functionum pontificalium; cum episcopi mitram altissimam et, si agatur de pretiosa, magni ponderis in capite gestant, si attenti non sint, facile mitra e capite cadit; quam frequentissime nos ipsi vidimus episcopos in solemnioribus functionibus totam attentionem ad mitram ponentes, ne in terram caderet, vel

ad mitras humiliores iterum revertuntur episcopi, praesertim Angliae, Galliae et Germaniae. Altitudo viginti quatuor centimetrorum sufficit. Vittae vero sint quadraginta centimetrorum longitudinis et octo latitudinis quae ad partem superiorem sensim angustiores fiunt ad sex videlicet centimetra.

Qualitas. Caeremoniale definitive approbavit mitras tres, quarum usus determinatur tum ab hierarchico gradu celebrantis tum a natura functionis, et sunt :

Pretiosa quae " gemmis et lapidibus pretiosis vel laminis aureis vel argenteis contexta esse solet ".

Auriphrygiata medium tenet locum inter mitram pretiosam et mitram simplicem et vocatur etiam mitra aurea (5). Mitra auriphrygiata iuxta CE triplici modo confici potest 1) " aliquibus parvis margaritis "; 2) " ex serico albo, auro intermisto "; 3) " ex tela aurea simplici sine laminis et margaritis " et haec est forma communior.

Simplex duplex est " ex serico Damasceno vel alio serico " et ex tela linea.

ORNAMENTATIO

Mitra pretiosa instrui debet circulo et titulo. Circulus, qui antiqua infula seu corona est, totam complectitur mitram (6); titulus ponitur tum in parte anteriori tum in posteriori in linea verticali. Circulus et titulus ornantur gemmis sive lapidibus pretiosis vel saltem laminis

a reverentiis abstinentes propter eandem rationem. Et si agatur, uti generatim fit, de mitra quae non sit ad dimensionem capitis facta, certe per miraculum tantum firmari poterit in capite : frequenter debent pontifices manus ad caput apponere ad illam firmandam. Quando agitur de functionibus ad thronum in quibus pauci habentur motus, aliqua cum attentione potest pontifex mitram in capite tenere, sed quando facienda est functio quae secumfert ascensiones scabelli, ambulationes, aspersiones, unctiones, uti in ecclesiarum consecratione, tunc fere impossibile est pontifici suam attentionem ritibus dare et mitram in capite retinere; exempla multa sunt de mitris quae a capitibus pontificum ceciderunt, etiam inter ipsos supremos antistites. Vide Moroni, 45, p. 272. Pius IX mitram pretiosam nunquam adhibuit, una aperitione Concilii Vaticani excepta, forsitan quia propter altitudinem et pondus timebat ne e capite suo caderet, potius quam amore paupertatis. Praeterea mitra praealta ex ipsis dimensionibus et pondere nimis fatigat pontificem, propterea nonnulli, etiam observantissimi, sese excusatos habent ab usu mitrae in functionibus maioribus, ex eo quod magis onerantur quam honorantur.

(5) Tamen rectius vocatur *mitra festiva usualis* cum e tela aurea conficitur. Stricte loquendo duae tantum exstant mitrae, pretiosa scilicet et simplex. Sed cum mitra pretiosa res est vel esse supponitur magni valoris et magni ponderis, incommodus esset et dispendiosus eius habitualis usus. Proinde ratione oeconomica-practica invecta est mitra pretiosa usualis. Ita enim mitra pretiosa partibus solemnioribus missae et vesperarum reservatur. EPR, I, nota 21.

(6) Infula vocatur a Servio " fascia in modum diadematis a qua vittae ab utraque parte dependent ". Aeneid lib. X. Exinde dicitur *episcopus infulatus*.

aureis vel argenteis, super basim argenteam seu auream. Circulus et titulus possunt etiam fieri opere plumario acu picto *(broderies au plumetis)* cum figuris, quod quidem res pretiosa est, omnique aestimatione digna.

In extremitatibus cornuum globuli sive cruces non sunt apponendi ornamentationis gratia.

Latera confici possunt e serico sine figuris *(satin)* et stipari opere phrygio seu plumario.

Mitra auriphrygiata conficitur ex tela aurea *(drap d'or)* sine ulla alia ornamentatione, si excipias torulum ad oram dimidii centimetri circumcirca. Nec adhibere convenit telam auream undulatam, innovationem nullius valoris; crux in medio minime apponatur. Telae flavae utpote falsae imitationes auri probari nequeunt (7).

Mitra auriphrygiata laudabiliter confici potest ex tela aurea damascena *(brocart d'or)*, vel ex serico albo auro intermisto cum figuris pariter opere textorio appositis *(damas broché d'or)*. In utroque casu tela confici debet ad dimensiones mitrae vel ita fabricari ut picturae, flores vel animalia, seu quid aliud, integra appareant, quae quidem manu texi possunt. Mitris huiusmodi nulla alia apponatur ornamentatio, nisi forte torulum ad oram circumcirca.

Mitra auriphrygiata confici etiam potest ex serico albo texto *(satin)* cum circulo et titulo opere phrygio ornatis, seu serico acu picto non tamen plumario *(broderies)*, ita ut mitra pretiosa non deveniat. Margaritas *(perles)* apponere permittitur a CE, sed in praxi id non convenit, cum facile cadant e suis locis.

Mitra auriphrygiata confici nequit ex serico villoso figuris ornato *(brocart de velours)*, id enim minime convenit.

¶ — Episcopi qui velint habere mitram auriphrygiatam albam auro intertextam vel alio modo confectam, habere etiam debent mitram ex tela aurea simplici adhibendam quoties una cum aliis episcopis usus mitrae aureae praecipitur, sunt enim aequales. EPR, III, nota 57.

Mitra simplex serica fit sine circulo et sine titulo, nulloque apposito ornamento; parvum torulum ad oram tantum permittitur. Expedit uti serico damasceno seu figuris ornato, sericis villosis *(velours, satin)*

(7) Trama telae aureae solet confici ex serico coloris lutei seu flavi, orditura vero telae primae qualitatis fit cum linea argentea inaurata; maior pars tamen harum orditurarum fit ex linea quadam metallica coloris crocei seu aurei, et auriphrygiatae vocari haud possunt cum nihil habeant auri.

prorsus exclusis. Sicut de mitra auriphrygiata dictum est, etiam sericum mitrae simplicis, si fieri possit, sit ad dimensiones mitrae textum.

Mitra simplex serica cardinalium fit ex serico ad dimensionem mitrae texto cum figura propria, vulgo *pigna.*

Mitra simplex linea e tela linea simplici conficitur, nec expedit uti tela linea damascena cum figuris textis, sed id non prohibetur.

Vittae ornantur eodem panno ac mitra ipsa. In eorum extremitatibus ponuntur lacinia aurea vel argentea in mitra pretiosa et in auriphrygiata, prout basis ornamentationis aurea sit vel argentea.

Vittae mitrae simplicis albae ornantur laciniis rubri coloris.

Protonotarii apostolici supranumerarii exclusive utuntur mitra e serico albo cum laciniis et textu orae per circuitum ex auro loco mitrae aureae quae cum mitra alba linea alternatur. IM, n. 27.

Summus Pontifex tribus utitur mitris non secus ac ceteri episcopi (8). Mitra vero simplex ex tela argentea privilegium est et quidem exclusivum Summi Pontificis qui ea utitur quoties mitra simplex alba praecipitur adhibenda (9), eiusque usus episcopis vetitus est. D. 4355, I, 5; 4361, 1.

Subsutum mitrae pretiosae vel auriphrygiatae solet esse rubini coloris *(cremisie)*; id tamen non praecipitur cum color omnium mitrarum sit albus, et si mitra pretiosa vel auriphrygiata sit e serico albo praesertim confecta, expedit uti subsuto albi coloris, tum in parte inferiori tum in parte superiori *(soufflet)*. Subsutum mitrae albae sericae vel lineae album sit oportet.

REGULAE GENERALES QUOAD USUM MITRAE

" *Mitra pretiosa* utitur episcopus in solemnioribus festis et generaliter quandocumque in officio dicitur hymnus *Te Deum* et in Missa *Gloria* ".

(8) De mitra Domini Papae haec habet Ordo Romanus XIII : " Dominus Papa tres mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, et mitram aurifrisiatam in circulo et in titulo. Mitra aurifrisiata in circulo et in titulo utitur in officiis diebus festivis et aliis, excepto a Septuagesima usque ad Pascha et ab Adventu usque ad Natale... Mitra vero cum aurifrisio in titulo sine circulo utitur cum sedet in consistorio et iudicat. Alba utitur diebus dominicis et aliis non festivis ". Ed. Mabillon, p. 232. Iuxta Caeremoniale Apostolicum Papa quinque habebat mitras : tres priores cum circulo et titulo, duae ultimae ex serico damasceno. CA, I, p. 401. Nunc tamen Papa sequitur regulas Caeremonialis Episcoporum et tres mitras habet. Moroni, 15, p. 190.

(9) Usus mitrae argenteae loco sericae albae a Domino Papa, introductus est versus finem saeculi XVII et iam in usu erat quando scripsit Bonanni (1720); cadaver Joannis XXII († 1334) inventum est infulatum cum mitra alba parva, sed multo serius mitra alba utebantur summi pontifices. Mutatio forsan facta est ut hierarchicus servaretur ordo in capellis papalibus : episcopi cum mitra linea, cardinales cum serica, papa cum argentea.

Tamen " usu receptum est, tam in Vesperis quam in Missis, ut mitra pretiosa utatur Episcopus in principio et in fine Vesperarum et Missarum solemnium, ac eundo ad Ecclesiam et redeundo ab eadem, cum paramenta sumit ac deponit in secretario, et quando lavat manus et dat benedictionem solemnem ". CE, I, 17, n. 2.

Episcopus hic intellegitur praelatus celebrans qui usu mitrae pretiosae gaudet, sive celebret ad thronum, sive ad faldistorium coram praelato superioris gradus : sic enim dignitas celebrantis servatur, nam etiam coram Summo Pontifice in capellis papalibus, celebrans mitra pretiosa utitur, quae cum mitra e serico albo alternatur.

Episcopus Missae solemni in throno assistens paratus sacris vestibus mitra pretiosa utitur quando celebrans ad faldistorium eam adhibet cum ipse sit superioris gradus relate ad celebrantem.

In functionibus Pontificalis Romani mitra pretiosa ter tantum adhibetur, veluti in casibus exceptis seu solemnioribus : in solemni receptione, in synodo aperienda et in oleorum consecratione.

Usus mitrae pretiosae non est stricte praeceptivus, et generatim substitui potest ab auriphrygiata, exceptis diebus solemnioribus per annum seu festis primae classis (10).

Mitra pretiosa a Caeremoniali (I, 17, n. 1) conceditur episcopis consecratis et a CIC (239, n. 13) SRE cardinalibus. Protonotariis necnon praelatis ex ordine sacerdotali seu nullius dioecesis non conceditur, et abbates benedicti sine speciali permissu ea uti nequeunt cum stricto iure episcoporum et cardinalium propria est. DD. 1131, 8; 1753, 3; litterae sancti Pii X, nota 110, p. 163. Tamen fas est abbatibus benedictis uti mitra opere plumario acu picto *(brodée au plumetis)* sine gemmis, quoties mitra pretiosa adhibenda praecipitur, nam " mitra gemmata interdicitur abbatibus " prout declaravit SRC die 3 februarii 1907, ASS, 41, p. 344.

Mitra auriphrygiata seu festiva usualis adhibetur non solum in Missa et Vesperis festivis sed etiam tempore Quadragesimae et Adventus necnon in Vigiliis seu quoties color violaceus adhibetur; praeterea haec est etiam mitra usualis pro functionibus Pontificalis Romani, paucis exceptis.

Mitra haec adhibetur etiam ab episcopis in choro sacris vestibus paratis, uti in conciliis, et in processionibus si praeses pretiosa utatur.

(10) Mitra pretiosa stricto iure adhibenda non est ex eo quod plurimi episcopi vel eam non possident vel loco eius adhibent mitram ad instar pretiosae, imitationem quamdam rei realis. Vide notam 4am p. 173 circa finem.

Mitra auriphrygiata uti possunt ex recepto usu abbates benedicti, necnon ex speciali concessione protonotarii apostolici de numero vel qui eorum gaudent privilegiis uti locorum ordinarii ex ordine sacerdotali, quoties solemniter sacris functionibus dant operam. IM, n. 9.

Mitra alba est mitra usualis et choralis et adhibetur ab episcopis seu cardinalibus in choro seu in processionibus et ab illis qui assistunt praelato superioris gradus. Sic adhibetur ab episcopis coconsecratoribus in consecratione episcoporum et ab abbatibus assistentibus in benedictione abbatum ex eo quod episcopus celebrans, qui est maior, adhibet mitram ex auriphrygio; aliis verbis, qui functioni praeest adhibet mitram superioris gradus.

Mitra alba adhibetur etiam in functionibus pro defunctis, sed nullo modo exinde defunctorum mitra vocari debet, cum non sit (11).

Mitra alba communis est omnibus episcopis et cardinalibus necnon praelatis ordinis sacerdotalis qui rite gaudent usu mitrae.

In Romana Curia mitram albam ex serico adhibent tantum SRE cardinales; extra Curiam vero ea rite utuntur episcopi iuxta monitum CE, necnon protonotarii apostolici. IM, n. 27, 47. EPR, I, nota 23. Corrigendus proinde Gardellinus *suffragium ad* D. 2648, IV, 274, vide EL, 06, p. 593; 20, p. 292.

Mitram albam ex lino adhibent episcopi omnes in Romana Curia, necnon abbates qui in Urbe mitra uti possunt. Extra Curiam mitram lineam adhibent episcopi vel praelati quatuor qui partem habent in ritu solemni exsequiarum et mitra serica adhibetur a celebrante. (MM, 3, p. 280; Favrin, p. 115; Haegy, I, p. 170); vel etiam in conciliis plenariis si legatus utatur mitra alba serica. Protonotarii apostolici

(11) Ex lectione CE, (I, 17, 4) nonnulli concludunt mitram albam esse mitram officiis defunctorum propriam, nam ibidem legitur episcopum eam adhibere *in Parasceve et in Missis defunctorum.* Confiteri debemus Caeremoniale dignitatem mitrae albae (et mitrae omnes albi coloris sint necesse est !) minuisse in favorem mitrae auriphrygiatae, et mitram albam suum amisisse locum. Antiquitus ita non erat, nam in Caeremoniali Romano Gregorii X legitur " Papa utitur mitra alba diebus dominicis et aliis non festivis ". Mabillon, *Ordo Romanus XIII*, n. 12, p. 232. Et in Caeremoniali Cardinalis Caietani " Mitra auriphrigiata non utitur Ecclesia Romana ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis Domini nec a Septuagesima ad Pascha... nec in vigiliis nec in quatuor temporibus... ". Mabillon, *Ordo Romanus XIV*, n. LXIV, p. 322. Uno verbo cum colore violaceo mitra alba tantum adhibebatur. Certe mutatio non fuit in melius, intellegi enim nequit usus mitrae festivae quando Ecclesia sacras vestes violacei coloris adhibet, et ita intellexerunt maiores nostri. Benedictus XIII quando Sedem Beneventanam occupabat alba utebatur mitra ad ritus praebaptismales. EPR, III, nota 169. Sed etiam cum colore albo usus mitrae simplicis permittitur; sic paucis ab hinc annis Cardinalis Iustinianus Seredi in iure peritus alba usus est mitra in consecratione Ecclesiae abbatialis sancti Gregorii de Downside. EPR, II, p. 55.

ad instar mitram lineam adhibent cum sacris vestibus nigri vel violacei coloris, pro ipsis enim mitra serica locum tenet auriphrygiatae.

SRE cardinales mitram albam lineam nunquam adhibent, sed sericam ipsis propriam cum *pigna*, a Phrygionibus dicta, in serico texta.

Licet episcopis, praesertim in prolixioribus functionibus Pontificalis Romani adhibere mitram sericam albam loco auriphrygiatae, commoditatis gratia. EPR, I, nota 21.

Mitra non est adhibenda in Missa lecta dum episcopus manus lavat vel benedictionem impertitur, etiamsi ante vel post Missam fiat functio pro qua mitra requiritur, uti nuptiarum benedictio. D. 4035, 3.

Mitra adhiberi nequit sine aliis sacris vestibus, seu mitra supponit casulam, pluviale vel dalmaticam. EPR, I, nota 19. Nec a fortiori fas est mitram induere cum habitu praelatitio et stola. EPR, I, nota 25.

Usus mitrae in functionibus Missalis Romani vel in officiis Breviarii exigit cantum; nonnullae tamen functiones Pontificalis Romani fiunt ab episcopo parato et infulato cum vel sine sacris ministris, licet cantus desideretur.

Usus mitrae coram Sanctissimo Sacramento non permittitur, et contraria consuetudo est abusus eliminandus (12).

Celebrans quoad usum mitrae amplioribus fruitur privilegiis prae aliis assistentibus. Sic quando celebrans in nocte Nativitatis Domini vel in die Annuntiationis BMV. genuflectit cum mitra ad *Et incarnatus est*, cardinales et episcopi in choro vel sacri ministri usu mitrae gaudentes detecto capite genuflectunt. Sic etiam ad litanias quando occurrunt, uti in conciliis, celebrans genuflectit retenta mitra, ceteri vero illam deponunt, exceptis episcopis coconsecratoribus in episcoporum consecratione vel abbatibus assistentibus in benedictione abbatum, quia concelebrant (13).

(12) Usus mitrae in processionibus cum Sacramento antiquitus erat mos receptus et Dominus Papa infulatus Eucharistiam portabat. Caeremoniale nostrum tamen semel pro semper praecepit ut episcopus coram Sacramento mitram deponat. CE, II, 33, n. 8. Idque confirmavit SRC D. 1690 et serius D. 2418, 13 annexo litteris *In throno iustitiae* Benedicti XIV. Opera, 17, p. 344. Vide Moroni, 45, p. 271.

(13) Et haec est regula capellae papalis et sic fiebat in die solemni Nativitatis Domini ad missam Domini Papae, idque effuso calamo defendit apostolicus caeremoniarius Rinaldi-Bucci, citans Paridem de Grassis, *o. c.*, p. 39. In Concilio Vaticano ad litanias solus supremus Pontifex procubuit mitra retenta, ceteri vero cardinales et episcopi caput nudarunt. Vide EPR, III, p. 71.

CAPUT II

De chirothecis et sandaliis

¶ — Episcopi vel Praelati pontificali ritu celebrantes manus et pedes vestiunt. Vestes huiusmodi in missarum solemniis vel aliis sacris functionibus antiquissimae sunt prout tota traditione testatur (14-15-16). Vestes manuum et pedum sunt correlativae ita ut sandaliorum usus etiam chirothecarum secum ferat et e contrario, propterea una simul de utraque veste agetur.

ART. I — DE CHIROTHECIS

Materia. Chirothecae sunt semper sericae et manu fabricantur ita ut sint elasticae, vulgo *mailles*.

(14) Confer auctores qui de sacris vestibus pontificalibus effuso calamo scripserunt : RF, *La Messe*, t. 8; p. 192-7 : *Gants liturgiques*; p. 175-189 : *Chaussures liturgiques*; Braun, p. 359-424; BM, *Les Gants Pontificaux*, 183 p., in-8° avec planches, Tours 1877; Battandier, *Les Gants du Souverain Pontife*, APC, 14, p. 55; De Linas, *Etudes historiques sur les gants épiscopaux*, Revue de l'Art Chrétien, 1re série, 1861; eiusdem cl. auctoris : *Anciens tissus conservés en France*, 3me série, 1863 : *Les sandales et les bas.*

(15) Lectores remittimus ad orationes PR pro benedictione et traditione chirothecarum in ritu consecrationis episcopi : manicae puritatem et rectitudinem actionum supponunt et, teste Durando, manus vestiuntur ut sinistra quid facit dextera nesciat; pedes vestiuntur quia " speciosi sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona ". Praeterea praesertim episcoporum pedes, iuxta monitum Apostoli, calceati esse debent calceamentis virtutum in praeparatione Evangelii pacis. Ad Eph. VI, 15.

(16) Gregorius Magnus ad Ioannem episcopum Syracusanum scripsit contra diaconos qui sandaliorum privilegium sibi arrogarunt. RF, 8, p. 177. Certe inde a saeculo XI chirothecae, sandalia et dalmatica praelatis a Papa dabantur uti privilegium speciale illis quibus mitra dabatur. Leo IX anno 1049 talia privilegia dedit Ricardo Abbati Montis-Cassini, lib. II Chron. Cassin., cap. CXIII. A pluribus saeculis vestes huiusmodi dantur per modum unius et *pontificalia* audiunt. Id enim ex litteris Innocentii III ad Basilium, Bulgarorum Primatem, clare eruitur, ait enim : Mittimus tibi per Cardinalem praedictum pontificalia ornamenta : 1 — Caligas et sandalia; 2 — Amictum et albam; 3 — Cingulum et succinctorium; 4 — Orarium (stola) et manipulum; 5 — tunicam et dalmaticam; 6 — Chirothecas et annulum; 7 — Planetam et mitram; (Palleum vero... per capellanum nostrum ante miseramus). *Acta Innocentii III, CIC orient.*, pars I, n° 52, p. 262. Quatuordecim per cardinalem misit ornamenta pontificalia. Subcinctorium non erat tunc Romano Pontifici proprium, sed crux pectoralis omittitur eo quod ipsi erat privativa. Fatendum tamen usum mitrae et chirothecarum fuisse tardius in Romana Liturgia introductum, propterea enim usque nunc episcopis modo electis traduntur versus finem ritus consecrationis eorum et missa expedita. Ad rem Leroquais " Durand de Mende est sans doute le premier qui donne le texte de leur (chirothecarum) bénédiction. Il est aussi le premier à donner la formule dite par le consécrateur au moment de leur remise ". *Pontificaux Manuscrits*, p. XCII. Tamen mitra imponebatur ante postcommunionem, chirothecae vero post *Ite missa est*. Andrieu, PR, III, p. 390.

Forma. Chirothecae ita conficientur ut digiti separatim contegantur. In superiori extremitate adduntur manicalia seu pugnalia; globuli et ocelli non sunt apponendi.

Color respondebit colori ceterarum vestium sacrarum, excluso colore nigro (17).

Ornamentatio. Teste Innocentio III, chirotheca " circulum aureum desuper habet ", idque confirmavit sanctus Carolus. AEM, I, col. 1237 (18). Romae solent poni litterae IHS intra circulum aureum et sic servatur traditio. Manicalia ornantur opere phrygio et aureo torulo ad oram.

Chirothecae protonotariorum nullam habent ornamentationem excepto aureo torulo ad oram manicalium, quod quidem pro protonotariis ad instar erit sericum flavi coloris. IM, 27, 47; Piacenza, EL, 06, p. 278. Tamen chirothecae in Urbe fabricatae ad usum omnium protonotariorum ornantur opere phrygio serico ad manicalia et circulus apponitur, secus enim a chirothecis usualibus non distinguerentur, cum opere aureo vel argenteo vero episcopis reservantur. Vide constitutionem *Apostolicae Sedis* Pii IX, D. 3262, XVI; BM, 2, p. 267.

ART. II — DE SANDALIIS

¶ — Liturgicae pedum vestes sunt caligae et sandalia et de illis ad modum unius agunt rubricae, unaque datur oratio cum illas induit episcopus : etenim sandaliorum datur privilegium, quorum caligae sunt velut accidentia.

(17) De chirothecarum et sandaliorum colore non agit CE ex professo, sed in locis propriis quando functiones per annum describit et iubet ut parentur paramenta omnia pontificalia coloris diei. Eodem modo loquitur PR in prima parte *paramenta omnia pontificalia coloris temporis convenientis... videlicet sandalia... chirothecae.* Inutilis proinde fuit consultatio episcopi cuiusdam hac de re cui SRC respondit chirothecas et sandalia debere esse coloris missae. D. 3729, 2. Re quidem vera chirothecae ad usque saeculum XIII vel XIV erant albi coloris et ita esse docebat Durandus in suo Rationale. Sanctus Carolus iussit ut codex colorum servaretur etiam quoad vestes has. AEM, I, c. 1552-3. Vide p. 186, notam 31.

(18) Circuli huiusmodi suum habebant momentum et significationem : in manu dextera *Dextera Domini* benedicens delineabatur : in sinistra vero *Agnus Dei* vel litterae Salvatoris. " Quand les hauts prélats se couvrent les mains de gants, un signe placé sur le dessus du métacarpe leur rappelle que leur main n'est plus leur propre main, mais celle du Christ lui-même qui absout, bénit, consacre, commande. Ce signe indicateur, durant le Moyen Age surtout, fut quasi toujours un disque d'or, d'argent, de bronze doré ou émaillé, qu'une broderie fine a remplacé le plus souvent dans les temps modernes ". Charbonneau-Lassay, *Le Bestiaire du Christ*, Desclée de Brouwer, 1940, p. 120 : *La Main de Justice des Souverains et les Gants Pontificaux.* Exemplaria horum circulorum tradit APC, 14, p. 60.

Materia. Caligae et sandalia sunt semper serica et ex eadem qualitate panni. Romae vestes hae episcoporum speciali modo conficiuntur cum orditura argentea super trama ex serico vel etiam ex serico damasceno (19).

Forma. Caligae conficiuntur iuxta receptum usum romanum ex panno scisso iuxta formam pedis et cruris, qui retro unitur; sint ad genua protensae, ubi ligulis adstringuntur.

Sandalia conficiuntur veluti calceamenta communia cum trepida ex coreo. Desuper firmantur cum vitta eiusdem coloris ac pannus vestis.

Color caligarum et sandaliorum respondebit colori ceterarum vestium pontificalium prout iubet Pontificale; color niger tamen semper excluditur cum sint vestes solemnitatis.

Ornamentatio. Caligae non ornantur, licet confici possint ex serico damasceno. In parte superiori tantum torulum aureum vel sericum apponitur.

Sandalia episcoporum ornari possunt opere phrygio seu aureo, dummodo crux non apponatur cum sit privilegium papale et quidem exclusivum. In sandaliis romanis nulla ornamentatio apponi solet excepto pro usu Domini Papae.

Sandalia protonotariorum non sunt opere phrygio exornanda, sed tantum apponi debet torulum ad oram quod quidem in sandaliis protonotariorum ad instar erit sericum coloris flavi. IM, n. 47.

REGULAE PRO CHIROTHECARUM ET SANDALIORUM USU

Chirothecae et sandalia sunt correlativa et quando chirothecas assumere non licet, sandaliorum usus vetitus est. CE, II : c. 11, n. 2; c. 25, n. 6. Propterea archiepiscopus qui pallium nondum recepit pontificali ritu celebrans, id facit sine chirothecis et sine sandaliis. PR, de Pallio; EPR, I, nota 167.

(19) Invaluit usus adhibendi caligas factas ex *mailles (élastiques)* quae pelli adhaerent; quae tamen traditione saltem non approbantur et in Urbe non adhibentur. Sed cum caligae sint res secundariae relate ad sandalia, talis innovatio nequit condemnari. Iuxta Braun " Le calze possono essere o di stoffa di seta convenientemente tagliata o tessute, o fatte a maglia ". *I Paramenti sacri*, p. 141.

Ad sandalia quod attinet usum dedimus Romanum, sed extra Urbem difficile inveniuntur artifices qui sericea sandalia conficere queunt; solent proinde, in dies frequentius, sandalia praelatorum ex pellibus caprinis iuxta morem antiquum confici, cum ligulis astrictoriis in parte superiore quibus firmantur. Talis agendi modus œconomice laudandus est, praesertim cum recentissime iussit SRC ut sandalia domi assumantur.

Vestes manuum et pedum adhibentur ab episcopo in missis solemnibus quoties ceteras vestes pontificales cum mitra et casula induit (20).

Ad missae actionem manicae, necessitatis causa, deponuntur (CE, II, 8, n. 57) et in fine missae reassumuntur quoties Apostolica benedictio impertienda est, secus non. D. 3605, 9.

Feria Sexta Maiori et in missis pro fidelibus defunctis chirothecae et sandalia non sunt adhibenda in signum maestitiae. CE, II : 11, n. 2; 25, n. 6.

In Vigilia Paschae praelatus officium faciens induit caligas et sandalia coloris missae inde ab initio officii quia illa non mutat. CE, II, 27, n. 12.

Regula haec servabitur quoties immediate ante missam fit functio in colore diverso a colore missae et praelatus sandalia inde ab initio induere debet. Ita accidit in die festo Purificationis BMV. si cantus Tertiae omittatur et praelatus pedes vestire debeat ante candelarum benedictionem.

¶ — 1. Usus chirothecarum habitus praelatitii intra sacras functiones vetitus est (21).

2. Vide lib. III, cap. IX p. 347 de loco vestitionis episcopi.

CAPUT III

De tunica et dalmatica

¶ — Vetusto Ecclesiae usu, episcopi sacrum solemniter litantes induti esse debent vestibus ceterorum ordinum ecclesiasticorum, propterea induunt tunicam et dalmaticam, nam, teste Durando, in eis " eminenter omnium sacrorum ordinum sunt gradus ", iuxta illud divi Thomae " potestas ministrorum est in episcopo sicut in origine... et ideo magis episcopus quam sacerdos vestibus ministrorum utitur ". Sup., qu. XL, art. 7, ad tertium.

Licet dalmatica sit vestis natura sua solemnior relate ad tunicam (22) in hodierno iure vestes hae sunt correlativae et utraque ab episcopis adhibetur, propterea una simul de illis agitur (23-24).

Materia. Tunica et dalmatica fieri debent ex serico tenui seu leviori ne gravetur praelatus, propterea etiam subsutum non apponitur. Insuper sericum sit unitum sine figuris quae casulae reservantur saltem iuxta receptum morem romanum.

(20) Antiquitus non erat sic et manicae adhibebantur etiam cum pluviali, extra Romanam saltem Curiam. Id probatur praesertim tot picturis pontificum cum vestibus pontificalibus. Leroquais, *Les Sacramentaires Manuscrits*, pl. 105; *Les Pontificaux Manuscrits*, pl. 76; 96; 110; 112; 113.

(21) Chirothecarum usum tempore sacrarum functionum cum superpelliceo vel aliis sacris vestibus prohibuit sanctus Carolus in Quarto Concilio Provinciali. AEM, I, 392. Id valet pro tota Ecclesia, licet hac de re nulla exstet lex scripta sed tantum receptus usus. Episcopus qui chirothecas praelatitias cum habitu praelatitio induit illas deponere debet cum ad ianuam ecclesiae pervenit. DD. 2049, 14; 3873, 1. Ministri inferiores qui mitram vel baculum sustinere debent, loco manicarum (quae in casu essent adhibendae) utuntur velo.

(22) Isidorus († 630) docet *Dalmatica...* (est) *tunica sacerdotalis candida cum clavis ex purpura.* MPL, 82, col. 635. Erat enim dalmatica vestis solemnitatis tum diaconis, tum sacerdotibus cum ipsi pontifici communis, et primum locum tenebat post casulam. In Sacramentario Gregoriano legimus " Ingressi secretarium induunt dalmaticas tam pontifex (Papa) quam omnes diaconi ". *Rub. Fer. Quintae Maioris.* Privilegium dalmaticae a Summo Pontifice dabatur non secus ac hodie privilegium pontificalium quod dalmaticam secumfert. Sic Papa Zacharias († 752) dalmaticam ad Austrobertum episcopum Viennensem in Galliis mittens scripsit : " Dalmaticam usibus vestris misimus ut quia Ecclesia vestra ab hac Sede doctrinam fidei percepit, et morem habitus sacerdotalis ab illa etiam percipiat decorem honoris ". Apud RF, 7, p. 79. Docet enim nos Georgius (De Lit. Rom. Pont., I, XII, n. 14) dalmaticas in Gallia in usum non fuisse a diaconis, eis exceptis qui privilegium papale haberent, saltem usque ad Hadrianum I († 795). Idque confirmatur concessione privilegii induendi dalmaticam a sancto Gregorio I († 604) episcopo Aregio in Gallia eiusque archidiacono data MPL, 77, col. 1033. De dalmatica optime scripsit cl. Callewaert, *Sacris erudiri*, 1940, p. 215-222.

(23) Usus duarum dalmaticarum ab episcopis originem duxit cum Ordine Romano I, composito circiter anno 750 (Andrieu, *Ordines Romani*, II, p. 78). Ad rem Batiffol : " Une innovation de l'*Ordo Romanus primus* consiste en ce que le pape porte non une dalmatique, mais deux... remarquez que la première est qualifiée de *linea dalmatica (minor)* la *linea* ancienne, tandis que la dalmatique de dessus, qualifiée de *dalmatica maior*, est proprement la dalmatique ". *Le costume liturgique romain, Etudes de Liturgie*, Paris 1919, p. 53. Usus firmiter permansit, nam Amalarius († 850) scripsit " Summus Pontifex octo habet vestimenta : amictus, camisia, cingulum, stola, duae tunicae, casula, pallium ". Lib. off. II, c. 22, ed. Hanssens, II, p. 247. Id confirmat Sicardus Episcopus Cremonensis († 1215) in suo Mitrale (II, c. 8), ait enim: *ministri induunt episcopo tunicam hyacinthinam et superinduunt dalmaticam;* et Durandus: " Episcopus induit... tunicam hyacinthinam, id est, caelestem conversationem " Rationale, lib. III, I, n. 3. Erant vestes diversorum colorum : tunica caelestis, dalmatica rubra, saltem saeculo XII, et sic depingitur sanctus Ambrosius ad introitum Palatii Archiepiscopalis. Tamen, prout observat card. Bona (in fine sui capituli de tunica et dalmatica), quidam pontifices una, alii duabus utebantur tunicis. Certe Mediolani tempore Beroldi, seu saeculo XII, archiepiscopus unam tantum induebat dalmaticam. Ed. *Magistretti*, p. 111; eiusdem *Delle Veste Ecclesiastiche*, p. 55. Insuper tunica vestis erat talaris prout docet Innocentius III, MPL, tom. 217, c. 794. Cf. De Saussay, *Panoplia episcopalis*, p. 397, qui ad difficultatem ex evangelio sumptam " non duabus tunicis " respondet.

(24) Privilegium tunicae non solebat dari a Sancta Sede, habebatur enim veluti subvestis inferioris ordinis, et licet episcopus, iuxta monitum Durandi, pontificali ritu celebrans induere debet vestes omnium ordinum, subdiaconatus sufficienter repraesentatur per manipulum. Exoptare proinde licet ut in nova redactione CE ad usum Ecclesiae Romanae tempore sancti Gregorii Papae iterum deveniamur, videlicet ut dalmatica unica, seu melius " tunica-dalmatica maior " subtus paenula adhibeatur; expedit enim, quoties id fieri potest, ut res simplificentur.

Forma. Tunica et dalmatica eodem modo fabricantur, cauto tamen ut servetur monitum CE videlicet *tunica strictiores longioresque aliquantulum manicas habet.* I, 10, n. 1.

Vestes hae fieri debent cum partibus aequalibus ante et retro et dalmatica cum amplis manicis quae per circulum late pateant octoginta centimetra (25). Praeterea debent infra genua protendi seu sint longitudinis 110 ad 125 iuxta altitudinem praelati, ita ut dalmatica subtus casula aliquantulum appareat (26). Ad collum fieri possunt vel quadratae vel rotundae ut facile indui possint, cum scissura a sinistris, nam vittae ad illas firmandas necessariae non sunt et consulto non apponuntur.

Color harum vestium subest codici colorum liturgicorum.

Ornamentatio. Quum dalmatica subtus casula induitur nulla ornamentatio apponitur nisi clavi utrimque in linea verticali. Vittae horizontales ad clavos uniendos non sunt necessariae et lineam vestis intercludunt (27). Etiam tunica clavis ornari potest, sed consulto fit sine illis.

Abbates et protonotarii utuntur tunica et dalmatica cum torulo aureo vel serico ad extremitates et cum clavis non aliter ac episcopi (28-29).

REGULAE PRO USU TUNICAE ET DALMATICAE

Episcopi et praelati vestes huiusmodi induunt ad missarum solemnia tantummodo quoties ceteras vestes pontificales et planetam assumere debent.

(25) In Gallia, Hispania, Germania, cum dalmaticae ornatae et magni ponderis fieri nequibant cum manicis, eorum loco alas apposuerunt artifices, quod tamen Romana Ecclesia recipere non est passa.

(26) Quando versus saeculum XVII rochetum, superpelliceum et mantelletum coeperunt minui, etiam vestes sacrae, praesertim casula et dalmatica imminutae fuerunt: dalmaticae conficiebantur ad altitudinem octoginta centimetrorum, deplorantibus venerandae antiquitatis cultoribus. Si casula sit longitudinis 115, dalmatica sit 118 et tunica 121 centimetrorum altitudinis.

(27) Expedit ad priscum usum de clavis in dalmaticis adhibendis revertere. "Debet dalmatica habere duas lineas coccineas hinc inde, ante et retro, a summo usque deorsum". Innocentius III, L. I, c. 56, MPL, 217, col. 794. Lineae horizontales cum vittis *(galons)* tam nobilem vestem decurtant et quodammodo scindunt.

(28) Etiam abbatibus vel dignitatibus privilegium dabatur adhibendi dalmaticam *more episcoporum*, quod quidem (sicut nunc) dabatur una cum sandaliis et mitra. Sic fecerunt: Leo IX anno 1049 abbatibus Montis Cassini (Bollandistes, 4 martii, p. 317); Eugenius III anno 1145 canonicis ecclesiae Coloniensis; Hadrianus IV anno 1154 Abbati Ecclesiae Corbeiensis. RF, 7, p. 85.

(29) Sanctus Pius X restrictionem protonotariis imposuit quoad chirothecarum et sandaliorum ornamentationem; quoad dalmaticas vero nullam restrictionem fecit sed nec Pius IX. Ad rem Piacenza: etiam diaconi utuntur dalmaticis opere phrygio-aureo ornatis! EL, 06, p. 277.

Quoad usum vestium pontificalium in missa lecta pontificali, ut aiunt, haec missae solemni aequiparatur, uti pro sacris ordinibus conferendis fieri solet.

Dalmaticarum usus cum pluviali in hodierno iure non permittitur nisi in vigilia lucernari, celebrante episcopo vel praelato, vel pro defunctorum absolutione quando immediate sequitur Missam (30).

CAPUT IV

De gremiali

Gremiale velum est sericum opere phrygio ornatum cum torulo circumcirca et sequitur codicem colorum liturgicorum. Iuxta sanctum Carolum "gremiale longe constet cubitis circiter duobus, late cubito uno tantum". AEM, I, col. 1530. Id valet dicere longitudinis unius metri et latitudinis dimidii metri (40 × 20 *inches*).

(30) Extra Italiam, episcopi utebantur dalmatica subtus pluviale, idque multis monumentis probatur. Leroquais, *Les Pontificaux Manuscrits*, pl. 13, 98, 110, 111, 112, 113, 130. Caeremoniale nostrum tamen generatim tradit usum contrarium seu de dalmatica deponenda ab episcopo priusquam induat pluviale (II, 23, n. 9), sed nec semper; sic pro benedictione fontis in Sabbato Sancto dicit "Episcopus, deposita planeta et sumpto pluviali", ibit etc. CE, II, 27, n. 16: ergo *retenta dalmatica.* Insuper ritum absolutionis defunctorum tradens dicit "[episcopus] deposita planeta, ac etiam cum manipulo, dalmatica et tunicella, capiet pluviale". II, 11, n. 9 et 10. Idque apertis verbis docet PR in ritu quinque absolutionum "Praelatus... deponit planetam, et, si placet, poterit deponere dalmaticam et tunicellam, et accipit pluviale". Et in ritu expulsionis paenitentium legitur "Episcopus accipit dalmaticam et desuper pluviale". Proinde docet CE non secus ac PR episcopum posse dalmaticam subtus pluviale retinere, idque nobis valde placet; nam si dalmatica adhibetur subtus casulam cur non subtus pluviale? Nihilominus SRC de ritibus in Sabbato Sancto servandis inquisita respondit "dalmatica et tunica sunt indumenta missalia et non deferuntur cum pluviali, et ita usus communis ecclesiarum". D. 1665, 3. Sed dalmatica et tunica a sacris ministris etiam extra missam adhibentur, nec ulla facta est mutatio in subsequentibus editionibus CE et PR. Revera in primis editionibus CE legebatur "deposita planeta ac etiam dalmatica et tunicella". (CE, II, 11, 9). Benedictus XIII tamen voluit rubricam CE corrigere iuxta rubricam PR et hoc fecit in sua editione CE anni 1727. Sed forsan agitur de errore typographico et legi debet *deposita planeta ac etiam manipulo, dalmatica et tunicella.* Prout leguntur verba haec carent sensu. Vide Catalanum, *h. l.* Lex de manipulo non adhibendo cum pluviali non est antiqua et Benedictus XIII voluit manipulum cum pluviali retinere et verba haec in sua editione CE adiunxit, non enim leguntur in editione Innocentii X anni 1651; praeterea in suo Memoriale Rituum iussit ut celebrans, accepto pluviali, manipulum retineret, quod quidem in editione Benedicti XV immutatum est. Tamen fateri debemus usum Italiae esse ut dalmatica deponatur antequam quis pluviale induat, forsan ratione commoditatis. Sic Beroldus saeculo XII scribens iubet ut episcopus (Mediolanensis) ad benedictionem fontis accedens casulam et dalmaticam deponat et pluviale induat. Ed. *Magistretti*, p. 111.

Gremiale sensu quodam latiore dici potest vestis sacra ad gremium episcopi cooperiendum. De eo loquitur Caeremoniale iubens ut in missa pontificali inserviat minister de gremiali usque ad offertorium (CE, I, 11, n. 9), et in expositione missae praecipit ut super gremio episcopi apponatur quoties sedet. CE, I, 8, n. 36, 39, 55. De eo tamen silent Missale et decreta SRC. Unde gremiale adhiberi tantum licet ab episcopis vel abbatibus ad missam dum sedent in throno. Pari ratione gremiale datur ab auctoribus episcopis vel abbatibus pontificali ritu celebrantibus ad faldistorium, nam ad instar throni habetur.

Protonotarii apostolici de numero vel supranumerarii et praelati qui eorum gaudent privilegiis ad faldistorium celebrantes adhibent gremiale (IM, n. 27); protonotarii ad instar vero qui ad scamnum celebrant eo non utuntur. IM, n. 47.

Gremiale optime inservit ad sacras vestes episcopi super altari positas cooperiendas, nec opus est alterum habere velum.

¶ — De usu gremialis in functionibus Pontificalis Romani quae fiunt intra missam agitur in EPR. Vide notam 63, tomi I, p. 221.

Praeter gremiale sericum habere debet episcopus alterum linteum sat rude seu cincticulum, quo utitur quoties unctiones cum sacris oleis facere debet, vel manus lavare, praesertim post unctiones ne maculentur vestes. De eo agitur in EPR passim.

CAPUT V

De sacris vestibus summi pontificis

¶ — Summus Pontifex pontificali ritu celebrans praeter ceteras vestes ordinis pontificalis utitur fanone et subcinctorio (31); praeterea solemni modo paratus induit mantum papale et triremium, de quibus agendum per singula.

(31) Modus vestiendi Summum Pontificem valde antiquus est. Sic die 26 septembris) anno primo pontificatus Pauli V seu 1605, apertus est tumulus Bonifatii VIII († 1303r prout refert Abrahamus Bzovius : " Vestes Papae haec erant : femoralia; tunica interioi seu subtana *ex inverso alba;* rochetus longus (sic) usque ad talos ex tela Camerac, quae *cambraia* dicitur, qui cingebatur cingulo ex corio serico rubro cooperto; alba, quae et camisium dicitur, erat ex tela subtili Cameracensi (non aliter ac rochetum) cum fimbriis... ut dicitur *riccamo* et longa usque ad pedes; stola stricta et longa ad floccos ex broccato; cingulum pontificale ex serico rubro et viridi : manipulum auro argentoque intertextum duplum erat pendens a tunica; sandalia nigri coloris acuta more Gothico sine cruce ex serico nigro; tunica pontificalis de serico nigro; tunica longa ex broccato in campo violaceo; dalmatica longa ex serico nigro : fimbriae (clavi) opere pulcherrimo propter splendidissimum aurum; caligae pontificales ex serico nigro; casula lata ut antiqui utebantur, de serico nigro cum auriphrygio auro intexto opere mauro mirifico confecto; habebat fanonem circa collum et humeros eo modo quo hodie Summi Pontifices utuntur, nempe pars supra alba et pars supra planeta, ex puro serico velo albo subtilissimo sine auro et aliquo ornatu, involutum pluries primum circa humeros super albam, deinde inversum super casulam circa collum; super alba (pars) duplex magis erat in parte dextera quam sinistra; supra fanonem erat pallium... usque ad crura longum; cruces pallii serico nigro coopertae nec non spinulae aureae sapphiris pretiosis ornatae; chirothecae ex serico albo cum phrygio (circulo) pulcherrimo; anulus aureus pulcherrimus cum uno sapphiro pretioso ac magno et perfurato; ultimo mitra alba ex tela damaschina... in forma parva nempe longa palmum unum ".

Ex his constat Papam fuisse indutum sacris vestibus nigri coloris : sandalia solebant semper esse coloris nigri sed chirothecae erant albi semper coloris. Casula erat ampla et mitra alba serica parva seu unius palmi. Non una sed duabus induebatur tunicis, et deinde dalmatica : haec ultima pretiosa erat nimis sicut tota traditione confirmatur. De manipulo silet auctor seu manipulus pendebat a cingulo tunicae seu potius albae, aliis verbis erat pars subcinctorii sicuti nunc est, seu Papa et episcopi utebantur manipulo non a brachio sinistro pendente sed a latere sinistro super cingulo. Res inquirenda a chronographis sacrarum vestium. Catalanus descriptionem Bzovii ex integro tradit, quam breviori forma damus. *Com. in PR*, III, p. 338, ed. *Parisiensis*.

Art. I — De fanone papali

¶ — " Romanus pontifex post albam et cingulum assumit orale, quod circa caput involvit et replicat super humeros, legalis pontificis ordinem sequens, qui post lineam strictam et zonam induerunt ephod id est super-humerale ". Innocentius III, *De Myst. Missae*, I, c. 53. MPL, 217, col. 793. Vide notam 38 infra.

Materia et color. Fano conficitur e serico albo tenui non undulato et sine subsuto.

Forma. Fano fabricatur ad modum pallioli humeralis altitudinis dimidii metri et cum tribus circiter metris circumferentiae et fit duplex cum parte inferiore aliquantulum longiore. Partes duae per uniones firmantur circumcirca collum et retro fit scissura ut possint per caput poni cum sint circulum clausum.

Ornamentatio. Fano papalis in utraque parte ornatur circumcirca virgis aureis, rubinis et albis interpositis, et ante pectus additur crux ex opere phrygio in parte superiore. Ad collum et ad utramque oram aureum torulum additur.

Regulae quoad usum. Summus Pontifex fanone utitur super planetam quoties se vestit in pontificalibus. Illum induit Papa, prius crucem deosculans, super albam et crucem pectoralem; deinde partem superiorem super caput reponit ad instar amictus dum ceteras induit

Gremiale sensu quodam latiore dici potest vestis sacra ad gremium episcopi cooperiendum. De eo loquitur Caeremoniale iubens ut in missa pontificali inserviat minister de gremiali usque ad offertorium (CE, I, 11, n. 9), et in expositione missae praecipit ut super gremio episcopi apponatur quoties sedet. CE, I, 8, n. 36, 39, 55. De eo tamen silent Missale et decreta SRC. Unde gremiale adhiberi tantum licet ab episcopis vel abbatibus ad missam dum sedent in throno. Pari ratione gremiale datur ab auctoribus episcopis vel abbatibus pontificali ritu celebrantibus ad faldistorium, nam ad instar throni habetur.

Protonotarii apostolici de numero vel supranumerarii et praelati qui eorum gaudent privilegiis ad faldistorium celebrantes adhibent gremiale (IM, n. 27); protonotarii ad instar vero qui ad scamnum celebrant eo non utuntur. IM, n. 47.

Gremiale optime inservit ad sacras vestes episcopi super altari positas cooperiendas, nec opus est alterum habere velum.

¶ — De usu gremialis in functionibus Pontificalis Romani quae fiunt intra missam agitur in EPR. Vide notam 63, tomi I, p. 221.

Praeter gremiale sericum habere debet episcopus alterum linteum sat rude seu cincticulum, quo utitur quoties unctiones cum sacris oleis facere debet, vel manus lavare, praesertim post unctiones ne maculentur vestes. De eo agitur in EPR passim.

CAPUT V

De sacris vestibus summi pontificis

¶ — Summus Pontifex pontificali ritu celebrans praeter ceteras vestes ordinis pontificalis utitur fanone et subcinctorio (31); praeterea solemni modo paratus induit mantum papale et triremium, de quibus agendum per singula.

(31) Modus vestiendi Summum Pontificem valde antiquus est. Sic die 26 septembris) anno primo pontificatus Pauli V seu 1605, apertus est tumulus Bonifatii VIII († 1303r prout refert Abrahamus Bzovius : " Vestes Papae haec erant : femoralia; tunica interioi seu subtana *ex inverso alba;* rochetus longus (sic) usque ad talos ex tela Camerac, quae *cambraia* dicitur, qui cingebatur cingulo ex corio serico rubro cooperto; alba, quae et camisium dicitur, erat ex tela subtili Cameracensi (non aliter ac rochetum) cum fimbriis... ut dicitur *riccamo* et longa usque ad pedes; stola stricta et longa ad floccos ex broccato; cingulum pontificale ex serico rubro et viridi : manipulum auro argentoque intertextum duplum erat pendens a tunica; sandalia nigri coloris acuta more Gothico sine cruce ex serico nigro; tunica pontificalis de serico nigro; tunica longa ex broccato in campo violaceo; dalmatica longa ex serico nigro : fimbriae (clavi)

ART. I — DE FANONE PAPALI

¶ — " Romanus pontifex post albam et cingulum assumit orale, quod circa caput involvit et replicat super humeros, legalis pontificis ordinem sequens, qui post lineam strictam et zonam induerunt ephod id est super-humerale ". Innocentius III, *De Myst. Missae*, I, c. 53. MPL, 217, col. 793. Vide notam 38 infra.

Materia et color. Fano conficitur e serico albo tenui non undulato et sine subsuto.

Forma. Fano fabricatur ad modum pallioli humeralis altitudinis dimidii metri et cum tribus circiter metris circumferentiae et fit duplex cum parte inferiore aliquantulum longiore. Partes duae per uniones firmantur circumcirca collum et retro fit scissura ut possint per caput poni cum sint circulum clausum.

Ornamentatio. Fano papalis in utraque parte ornatur circumcirca virgis aureis, rubinis et albis interpositis, et ante pectus additur crux ex opere phrygio in parte superiore. Ad collum et ad utramque oram aureum torulum additur.

Regulae quoad usum. Summus Pontifex fanone utitur super planetam quoties se vestit in pontificalibus. Illum induit Papa, prius crucem deosculans, super albam et crucem pectoralem; deinde partem superiorem super caput reponit ad instar amictus dum ceteras induit

opere pulcherrimo propter splendidissimum aurum; caligae pontificales ex serico nigro; casula lata ut antiqui utebantur, de serico nigro cum auriphrygio auro intexto opere mauro mirifico confecto; habebat fanonem circa collum et humeros eo modo quo hodie Summi Pontifices utuntur, nempe pars supra alba et pars supra planeta, ex puro serico velo albo subtilissimo sine auro et aliquo ornatu, involutum pluries primum circa humeros super albam, deinde inversum super casulam circa collum; super alba (pars) duplex magis erat in parte dextera quam sinistra; supra fanonem erat pallium... usque ad crura longum; cruces pallii serico nigro coopertae nec non spinulae aureae sapphiris pretiosis ornatae; chirothecae ex serico albo cum phrygio (circulo) pulcherrimo; anulus aureus pulcherrimus cum uno sapphiro pretioso ac magno et perfurato; ultimo mitra alba ex tela damaschina... in forma parva nempe longa palmum unum ".

Ex his constat Papam fuisse indutum sacris vestibus nigri coloris : sandalia solebant semper esse coloris nigri sed chirothecae erant albi semper coloris. Casula erat ampla et mitra alba serica parva seu unius palmi. Non una sed duabus induebatur tunicis, et deinde dalmatica : haec ultima pretiosa erat nimis sicut tota traditione confirmatur. De manipulo silet auctor seu manipulus pendebat a cingulo tunicae seu potius albae, aliis verbis erat pars subcinctorii sicuti nunc est, seu Papa et episcopi utebantur manipulo non a brachio sinistro pendente sed a latere sinistro super cingulo. Res inquirenda a chronographis sacrarum vestium. Catalanus descriptionem Bzovii ex integro tradit, quam breviori forma damus. *Com. in PR*, III, p. 338, ed. *Parisiensis*.

vestes, et accepta planeta, super illa reponitur, et ultimo sacro induitur pallio. APC, 1900, p. 106; Braun, *I Paramenti Sacri*, p. 69 (32).

Art. II — De subcinctorio

Erat subcinctorium fascia qua stola cum cingulo connectebatur. Nunc cingulum est papale cum quo se cingit Summus Pontifex solemniter sacra mysteria celebraturus. Ab eo pendet a latere sinistro fascia duplex ad instar manipuli ex serico confecta, cuius extremitates ornantur opere phrygio, generatim Agnus repraesentatur. Subcinctorium est semper album et colorum codicem non sequitur (33).

Summus Pontifex post vestitionem pro solemni introitu cum mantum deponit, etiam cingulum commune deponit, et subcinctorio praecingitur.

Tempore Durandi († 1296) subcinctorium erat in usu generali apud episcopos et etiam nunc in Ritu Ambrosiano : " Cingulum vero episcopale a sinistro latere duplex, ut vocant succinctorium seu succingulum (quo scilicet stola cum cingulo connectitur) habere debet (episcopus) pro ratione mysterii ". *Inst. Fab. Eccl.*, II, AEM, I, col. 1560 (34-35); Durandus, *Rationale*, lib. III, cap. IX.

Art. III — De manto papali

Summus Pontifex quoties ad thronum solemnibus functionibus assistit, vel Basilicam sancti Petri more nobili ingreditur ante missam pontificalem, seu in consistoriis, utitur manto papali, id est amplo pluviali caudato super albam cum cingulo et stola, necnon cum falda.

(32) Recentissime totus ritus fanonis immutatus est, nam non amplius ornatur virgis superpositis sed conficitur e serico ad hoc fabricato cum virgis in ipso serico textis trium colorum. Praeterea partes duae separantur ita ut sint revera duae vestes, et pars superior pontifici imponitur post casulam. Ita enim sensus antiquae vestis quae caput cooperiebat ἀνάβολή seu ἀναβόλαιον quae latine dicebatur *anabolaium* in oblivionem ivit. Vide notam 31.

(33) " Huic apud Graecos assimilatur Epigonatium formae quadrangularis palmi et dimidii ex utraque latere, quod e zona appensum gestatur, solisque episcopis et aliis in dignitate constitutis permittitur. Latine dici potest supergenuale ". Card. Bona, *Rerum Liturgicarum*, I, 24, n. 15.

(34) " Notero che S. Carlo cercò di ripristinarne l' uso nella chiesa milanese; ma dal testo delle sue instruzioni appare che allora se ne era smarrita la tradizione quanto alla forma, che poi andò man mano modificandosi fino all' odierna, che non corrisponde nè alle instruzioni di S. Carlo, nè alle notizie che i documenti accennati possono fornire ". Magistretti, *Delle Veste Ecclesiastiche*, p. 43.

(35) In quadam congregatione praeparatoria pro edendo caeremoniali nonnulli voluere, exemplo sancti Caroli, usum subcinctorii episcopis iterum imponere, sed, re perspecta, de subcinctorio silet Caeremoniale.

Mantum papale eodem modo conficitur ac pluviale romanum, sed longe ducitur infra pedes, ita ut dum Papa ambulat sustineri debeat tum a parte anteriori tum a postica parte.

Mantum non sequitur codicem colorum liturgicorum sed vel est album vel rubrum.

In functionibus paenitentialibus seu in colore violaceo vel pro fidelibus defunctis Papa adhibet mantum rubrum cum stola violacea subtus.

¶ — De falda quae cum manto papali semper adhibetur, vide p. 109.

Art. IV — De triregno

Summum Pontificem nuper electum incoronans sequentibus utitur verbis cardinalis protodiaconus : " Accipe Tiaram tribus coronis ornatam, et scias te esse Patrem principum et regum, Rectorem Orbis, in terra Vicarium Salvatoris Nostri Jesu Christi, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen ".

Tiara papalis non est vestis sacra sicuti mitra, proinde Summus Pontifex eam adhibet solummodo ad introitum Basilicae Vaticanae quando pontificali ritu est celebraturus et, manto papali paratus, in sede gestatoria fertur, diebus solemnioribus *festae coronae* dictis. Rinaldi-Bucci, p. 34. Ad altare vero cum pervenit tiaram deponit et mitram assumit. Tiara tribus constat coronis superpositis, quae super forma rotunda ponuntur gemmisque pretiosis ornantur (36).

In solemni introitu duo vel tres capellani communes Summi Pontificis portant tiaras pretiosas Papae in capite processionis, quas postea ponunt super altari ad latus epistolae, quod quidem fit tantum ad maiorem splendorem processionis, seu ut aiunt *ad pompam*.

CAPUT VI

De rationali seu superhumerali

Solebant episcopi antiqui Imperii Germanici super planetam induere vestem sacram ad humeros quae rationale vel super-humerale dicitur,

(36) Quoad historiam triregni et descriptionem illorum quae magni sunt vel fuerunt valoris, lectores remittimus ad auctores qui, data opera, de tiara scripserunt : E. Muntz, *La Tiare Pontificale du VIIIe au XVIe siècle*, Mémoires de l'Institut, Académie des Inscr. et Belles Lettres, tome 36, Paris 1898, p. 235-324. Separatim editum Paris (s. d.) chez Klincksieck, Rue de Lille, 11; Moroni, *Triregno*, 81, p. 81; Battandier, APC, 1899, p. 62-72; EL, 1926, p. 269; Ill. Vat., 1938, II, p. 713-18; G. Carr in American Ecclesiastical Review, July 1941, p. 45-49.

ad quandam similitudinem Ephod pontificum Veteris Legis. Eius forma nec semper eadem erat; nonnulla ad instar pallii conficiebantur et utrimque pendebant (37).

Iuxta breve Apostolicum Pii IX, diei 3 martii 1865 rationale confici debet ex tela aurea et opere phrygio ornari. APC, 1902, p. 385. Forma ea est qua utitur episcopus Paderbornensis. Braun, *I Paramenti Sacri*, p. 135 (38).

Rationale adhibendum tantum est intra Missarum solemnia et quidem diebus solemnioribus non secus ac pallium, eiusque usus extra missam pontificalem vetitus est.

Rationale non est pars iuris communis et adhibetur ab iis solummodo episcopis qui tali fruuntur privilegio. De eo effuso calamo scripsit Braun, p. 676-700; RF, 8, p. 69-74 (39-39A).

(37) Rationali nunc utuntur :

1 — Episcopus Eistettensis in Germania; idque confirmavit Benedictus XIV litteris *Ad pastoralis dignitatis fastigium* diei 3 iulii 1745 cum millenarius annus fundationis Dioecesis commemorabatur et privilegium crucis hastatae elargitus est. Benedictus XIV, 15, p. 535.

2 — Archiepiscopus Princeps Cracoviensis in Polonia iuxta immemorabilem consuetudinem.

3 — Archiepiscopus Paderbornensis in Germania iuxta concessionem Alexandri VII anno 1666 factam, enixis precibus Ferdinandi von Fürstenberg.

4 — Episcopus (Nanceiensis et) Tullensis, iuxta antiquum usum a Pio IX, per breve Apostolicum diei 16 martii 1865, confirmatum; eoque utitur etiam super pluviale. APC, 02, p. 385.

5 — Patriarcha Lisbonensis iuxta concessionem Benedicti XIII diei 19 septembris anni suae incoronationis 1724, *ad formam et modum privilegii Episcopo Tullensi* concessi. Codex Titulorum Ecclesiae Patriarchalis, Ulyssiponae 1746-48, I, p. 391. Et apud *Jaime Cortesão*, obras várias de Alexandre de Gusmão, parte II, tomo I, p. 35; tomo II, p. 78.

(38) Innocentius Papa III docet, uti superius in articulo primo dictum est, fanonem papalem locum antiqui Ephod tenere ex eo quod ambo ad humeros ponuntur; sed revera fano est potius amictus papalis, et id probatur quia usus amicti a Domino Papa una cum fanone innovatio est saeculi xv vel circiter ad collum protegendum.

(39) Johannes V, Portugalliae rex, noluit videre episcopos aliorum regnorum instructos privilegiis quae suus Patriarcha non habebat, et cum certior factus fuisset privilegium rationalis competere episcopo Tullensi, aliisque, enixis precibus Benedicto XIII, idem obtinuit privilegium. Frustra tamen! Nam Patriarcha Lisbonensis utitur fanone papali cum quo rationale non componitur, proinde nunquam istud induit; ad rem Dom A. Calmet ad Montfaucon " Les évêques de Toul se servaient autrefois d'une espèce d'Ephod ou de superhuméral que l'on voit dans leurs tableaux et bas-reliefs. Le Roy de Portugal invoia, il y a quelque temps exprès à Toul pour voir les ornements qu'il avait dessin de faire porter au patriarche qu'il a établi à Lisbonne. Si vous en êtes curieux, je pourray vous le dessiner ". Nancy, 14 janvier 1726. Apud RF, 8, p. 73.

(39A) De veste hac optime more suo scripsit Carolus Cahier : *Ornement épiscopal d'Eichstaedt*, Nouveaux mélanges d'Archéologie... Paris 1874, tome II, p. 183-202.

TITULUS II

DE INSIGNIBUS PONTIFICALIBUS

CAPUT I

De cruce pectorali pontificali

¶ — Crux ad pectus appensa peculiare insigne est functionum pontificalium et ordinis episcopalis, proinde pontificalis dicitur et est (40).

Materia et forma. Crux pectoralis pontificalis sit aurea (IM, n. 8), vel saltem ex argento inaurato. Conficitur, ex usu recepto a quo non est recedendum, in forma crucis latinae seu cum parte inferiore hastae verticali longiore (41).

Iuxta meliorem traditionem, et quia ad pectus adhibetur, expedit ut crux pectoralis sit parvae dimensionis, propterea enim antiqui rubricarum libri de parva cruce sive de crucicula loquuntur. RSM, editio sancti Pii V. Dimensiones quae hic proponuntur sunt decem centimetrorum altitudinis et octo latitudinis et sufficiunt.

Ornamentatio. Crux sit caelaturis ornata vel etiam picturis ex vitreo *(émail)*, aliave materia.

Lapides pretiosi, sive ad eorum instar, permittuntur (non sunt tamen praeceptivi) super crucibus pectoralibus episcoporum et cardinalium

(40) Tempore Innocentii III († 1216), prout ipse Supremus Pontifex nos docet, usus crucis pectoralis a Romano Pontifice iam erat receptus veluti privilegium papale (MPL, 217, col. 793) et Durandus paulo serius Pontificale edens scripsit de vestibus episcopalibus : crux *pectoralis si quis ea velit uti*. Andrieu, PR, III, p. 631. Tamen sensim episcopi per orbem, exemplum Papae sequentes, crucem ad pectus veluti insigne pontificale ad missam induebant. Missale sancti Pii V anni 1570 iussit ut *episcopus accipiat cruciculam a collo ante pectus*, quam quidem rubricam Caeremoniale conservavit. CE, II, c. 8, n. 14. Mos tamen iam erat receptus : vide inter alia *Pontificale Romanum* Pii IV anni 1561, p. 216 ubi etiam oratio recitanda cum episcopus crucem accipit legitur.

(41) Cruci liturgicae, sive hastili sive pectorali unica apponitur pars horizontalis, seu cruces gemellae in iure liturgico non admittuntur, nec fuit unquam earum usus metropolitis sive patriarchis concessus, nec illa utitur Papa. Solet tamen Archiepiscopus Armacanus et Hiberniae Primas uti gemella cruce ad pectus non secus ac Patriarcha Lisbonensis.

prout inferius dicetur. Cruces gemmatae *pretiosae* vocantur, aliae vero *simplices*.

Reliquiae ex ossibus servorum Dei in sanctorum catalogo inscriptorum intra crucem pectoralem inseri solent; vel, quoties fieri possit, etiam seu praesertim Reliquia Sanctae Crucis D. N. I. C., de qua sermo est in lege (CIC, 1288), apponi decet, quam cum aliis miscere non licet. Tamen reliquiae in cruce pectorali non sunt praeceptive apponendae, licet laudabiliter id fieri potest.

QUIBUS CONCEDITUR

Cardinalibus SRE, sine ulla diversorum ordinum distinctione et sine ulla quoad eius ornamentationem vel usum restrictione, concessit sanctus Pius X usum crucis pectoralis, etiam coram Summo Pontifice, litteris motu proprio datis *Crux pectoralis* diei 24 maii 1905. D. 4160. CIC, 239, n. 13 (42).

Episcopi sive residentiales sive titulares rite utuntur cruce pectorali tum intra tum extra sacras functiones D. 4035, 1 (43) etiam coram Summo Pontifice, eadem prorsus lege ac patres cardinales, nam prius ipsis concessa est, unicuique enim in sua consecratione conceditur veluti pars vestium pontificalium.

Abbates benedicti iuxta monitum Pontificalis Romani benedicuntur cum omnibus vestibus pontificalibus, cruce ad pectus non exclusa,

(42) Pius IX protonotariis usum crucis pectoralis extra missam pontificalem prohibuit et crucem accipere tantum licebat ante stolam minime vero cum ipsi ecclesiam intrabant vel ab ea recedebant. D. 3262, III. Sanctus Pius X privilegium amplificavit prout infra habetur. Lex antiquitus protonotariis data intellegitur ex eo quod nec patres cardinales ex ordine sacerdotali sive diaconali usum crucis pectoralis extra functiones pontificales habebant. Propterea statim edito motu proprio *Inter multiplices curas* die 21 februarii 1905, cardinales rem Pontifici patefecerunt, qui tribus elapsis mensibus, seu die 24 maii eiusdem anni, privilegium crucis pontificalis sine ulla restrictione omnibus cardinalibus elargitus est.

(43) Quando, tempore Concilii Vaticani, episcopi usum introduxerunt adhibendi crucem super habitum praelatitium, etiam extra proprias dioeceses, liturgistae id fieri non posse docuerunt, quo usque SRC quaesita respondit, die 20 iunii 1899, id fieri posse a quocumque episcopo; dubium proposuit Romana Academia Liturgica. D. 4035, I. Aliis verbis in Urbe, tum ex eo quod ibi aderat Dominus Apostolicus, tum quia patres cardinales ab usu crucis pectoralis abstinebant, episcopi ea uti nolebant. Extra Urbem tamen usus crucis pectoralis cum habitu quotidiano versus finem saeculi XVI iam erat mos receptus, praesertim in propria dioecesi, uti videre est in picturis episcoporum veluti sancti Francisci Salesii († 1622). Hac de re exstat sat nota controversia cum primis patriarchis Lisbonensibus; nam cum ipsi fere omnibus privilegiis apostolicis fruebantur, non permittebant usum crucis pectoralis ab episcopis qui ad eos urbanitatis causa accedebant, etiamsi fuissent nuntii apostolici; sed Nuntius Acciapuoli rem Benedicto XIV patefecit, qui, anno 1755, ad eum rescripsit cum instructionibus ut crucem pectoralem coram Patriarcha minime deponeret, et sic soluta est controversia. Quaestionem hanc et alias plurimas de cruce pectorali lectu dignas tradit Albertus Battandier, APC, 01, p. 283.

eamque adhibent etiam in missarum celebratione prout iubet ritus servandus Missalis Romani I, 4 (44). Praeterea ex recepto usu abbates benedicti crucem ad pectus adhibent etiam extra sacras functiones more episcoporum.

Protonotarii apostolici qui privilegiis pontificalium fruuntur "ad ecclesiam accedentes pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti supra mantelletum crucem gestare poterunt pectoralem a qua alias abstinebunt" IM, n. 7, 26, 47 (45). Unde crucem pectoralem sive intra missam lectam, sive cum habitu quotidiano vel piano, gestare protonotariis apostolicis prohibetur, proinde etiam vicariis, praefectis vel administratoribus apostolicis qui protonotariorum privilegiis fruuntur, crux enim datur uti pars vestium pontificalium sicuti revera est.

Crux pretiosa seu cum gemmis ab his solummodo adhiberi potest quibus a Sancta Sede conceditur. Sanctus Pius X crucem pretiosam concessit omnibus SRE cardinalibus in suo motu proprio *Crux pectoralis;* episcopis conceditur veluti eorum exclusivum privilegium, ad patres cardinales tantum extensum (vide notam 110 p.163); et crucem cum unica gemma concessit protonotariis apostolicis participantibus in suo motu proprio *Inter multiplices*, n. 8. Quod quidem privilegium CIC et postea Pius XI in sua constitutione *Ad incrementum decoris* ad praelatos qui protonotariorum de numero privilegiis fruuntur extendit.

¶ — 1. Laudabiliter episcopi et patres cardinales qui votum paupertatis emiserunt et quibus propterea sericae vestes interdicuntur, ab usu crucis pectoralis pretiosae abstinebunt.

2. Abbates benedicti ab usu crucis pontificalis pretiosae abstinebunt, nam cum vita monastica non componitur nec ipsis fuit concessa.

(44) Verba *vel abbas* addita fuerunt in recentioribus editionibus Missalis inde a tempore Merati. In editione sancti Pii V legebatur tantum *si celebrans sit episcopus*. Ad rem Merati, *h. l.* "probabile est hoc abbatibus convenire solummodo quando pontificaliter celebrant", etenim Alexander VII [D. 1131, 21] statuit ut praelatus vel abbas in missis privatis ab usu crucis pectoralis abstineret. Tamen nunc viget usus contrarius et abbates benedicti utuntur cruce pectorali etiam in missa lecta, licet id non fuisset unquam permissum sed e contra prohibitum semel et iterum a Summis Pontificibus qui observantiam decreti Alexandri VII urgerunt, praesertim Benedictus XIV litteris *In throno iustitiae* (D. 2418).

(45) In motu proprio *Inter multiplices* expresse docentur protonotarii ut extra functiones pontificales a cruce deferenda abstineant. Quo tamen non obstante, protonotarii exstant ad instar qui crucem pectoralem cum habitu praelatitio semper induunt: ad beatificationem Pii X, qui id prohibuit, duo intervenerunt protonotarii cum cruce pectorali serico funiculo violaceo appensa.

3. Abbates cistercienses strictioris observantiae utuntur ex recepto usu, titulo paupertatis, cruce lignea ad pectus.

Crux canonicalis. Canonicorum capitulis, praesertim in Gallia, nonnunquam Sancta Sedes privilegium crucis pectoralis, uti insignis canonicalis, adhibendae cum vestibus choralibus super palliolo humerali concedit. Crux huiusmodi solet esse in forma quadrata seu crucis graecae ne oriatur confusio cum cruce pontificali, et adhibetur appensa ad pectus cum vitta serica quinque centimetrorum latitudinis vel circiter.

Usus crucis canonicalis (vel numismatis quando conceditur) ad altare vel cum sacris vestibus, vel etiam cum superpelliceo in sacramentorum vel sacramentalium administratione semel et iterum prohibuit Congregatio sacris ritibus praeposita. DD. 2621, 13; 3115.

¶ — Canonici Pontificii Sanctuarii De Loreto speciali utuntur cruce pectorali ipsis a Pio VII concessa. Vide notam 24, p. 236.

REGULAE PRO USU CRUCIS PECTORALIS

Crux pectoralis cum sacris vestibus pontificalibus et cum habitu praelatitio adhibetur pendens a funiculo serico cum simili flocculo retro ornato; color funiculi tantum variatur iuxta personam sed nunquam iuxta tempus liturgicum, prout infra.

1 — Summus Pontifex adhibet funiculum aureum cum flocculo pariter aureo.

2 — SRE cardinales utuntur funiculo rubro auro intertexto. NC, n. 48.

3 — Episcopi sive archiepiscopi et patriarchae habent funiculum coloris viridis auro intertexto veluti privilegium ordinis episcopalis. Vide litteras sancti Pii X, notam 110, p. 163.

4 — Eodem funiculo utuntur abbates sive praelati nullius dioecesis qui episcopis fere in omnibus aequiparantur.

5 — Abbates benedicti utuntur funiculo serico coloris habitus suae religionis auro intertexto (Martinucci aliique).

6 — Protonotarii apostolici participantes adhibent funiculum rubini coloris cum auro commixto; protonotarii supranumerarii eodem utuntur funiculo sed sine auro; protonotarii ad instar vero utuntur funiculo violaceo ex integro. IM, n. 8, 27, 47.

¶ — SRE cardinales, episcopi, vel praelati privilegiis protonotariorum gaudentes, ex ordinibus regularibus, quoad colorem funiculi crucis pectoralis sequuntur regulas pro clero saeculari datas.

Cum sacris vestibus crux pectoralis adhibetur super alba, propterea etiam stola hinc inde pendeat, nec aptetur in modum crucis (46). RSM, I, 4. CE, II, 8, n. 14. Abusus esset crucem extra casulam ponere ut a fidelibus videri possit, sicuti nonnulli episcopi elapso saeculo facere consueverunt praesertim in Gallia. DD. 3301, 1; 3873, 2; 4035, 2.

Cum habitu praelatitio.

1 — Cum palliolo humerali SRE cardinales, episcopi et abbates crucem desuper accipiunt cum flocculo retro pendente (47).

2 — Cum manteleto crux super illud ponitur cum flocculo a dorso pendente. IM, n. 7.

3 — Cum cappa magna sive chorali crux pectoralis adhibetur super rocheto et subtus cappa iuxta receptum usum romanum, a SRE cardinalibus observandum (NC, n. 48) et a quo non expedit recedere. D. 4004 (48).

Cum habitu quotidiano sive piano, ex usu recepto praelati qui crucem pectoralem gestare possunt, adhibent catenam auream sive ex argento inaurato. Nullibi tamen praecipitur ut catena haec suspendatur ab ocello ante pectus, melius est enim ut crux simpliciter dependeat ita ut revera a catena sustentetur et non ab ocello sive globulo cui firmatur.

(46) Crux pectoralis ad mentem CE insigne pontificale est, et uti tale adhibendum intra sacras functiones cum vestibus ordinis pontificalis cum quibus conceditur. Usus accedendi ad ecclesiam cum cruce pectorali non erat res in usu recepta tempore publicationis Caeremonialis, de ea propterea loquitur tantum cum de missa vel de vesperis pontificalibus agit.

(47) Summus Pontifex cum habitu praelatitio crucem non accipit nisi subtus palliolo, nam usus crucis pectoralis super palliolo humerali est res nova saltem in Urbe, et observantissimi Patres Cardinales huius saeculi, veluti Rampolla del Tindaro et Merry del Val, uterque a Secretis Status, cruce subtus palliolo utebantur. Nunc tamen contrarius est mos et crux pectoralis habetur veluti pars habitus praelatitii etiam in Urbe.

(48) Cum episcopi nonnulli et etiam aliqui patres cardinales extra Urbem introduxerunt usum crucis pectoralis super cappa apponendae, Sacra Congregatio Caeremonialis, die 17 augusti anni 1916, ait "re diligenter perpensa, secundum contrariam traditionem cardinalium et episcoporum in Urbe, statuerunt eminentissimi Patres: *In Romana Curia et in Pontificia Capella nihil innovetur*". Quam quidem resolutionem Benedictus XV, die 22 eiusdem mensis, approbavit et confirmavit. Insuper decretum S. C. Caeremonialis in authentica collectione decretorum SRC appositum est sub n. 4404, I. Ex inde non sequitur licere extra Curiam res liturgicas innovare, nam hac de re nequimus regulas diversas sequi. Praeterea eadem Sacra Congregatio Caeremonialis declaravit, die 6 ianuarii 1943, cardinales SRE uti debere cruce subtus cappa. NC, n. 48. Nec adest ratio sufficiens ad receptum ordinem mutandum, et usus Romanae Ecclesiae lex debet esse pro ceteris dioecesibus, praesertim vero pro cardinalibus eiusdem Romanae Ecclesiae.

¶ — 1. Usus habitualis crucis pectoralis cum habitu quotidiano, etiam domi vel iter agentibus, non est praeceptivus.

2. Usus catenae aureae loco flocculi serici cum habitu praelatitio prohibetur. NC pro cardinalibus n. 48; IM, n. 7, 26, 47. RSM, I, 4 ait *Episcopus vel Abbas... sinit crucem ante pectus chordulis pendere.*

3. De benedictione crucis pectoralis, vide EPR, II, p. 273.

4. De cruce pectorali abbatissarum, vide EPR, I, notam 233 a, p. 443.

CAPUT II
De anulo pontificali

¶ — Ex vetusto Ecclesiae usu pontifices anulo utuntur veluti sacramento inter ipsos et ecclesiam unicuique creditam iuxta verba Innocentii III " anulus est fidei sacramentum in quo Christus sponsam suam sanctam Ecclesiam subarrhavit... custodes sunt episcopi ". MPL 217, col. 796. Sed etiam de ceteris virorum ecclesiasticorum anulis hic erit agendum.

Materia et forma. Anuli ecclesiastici conficiuntur ex auro cum circulo quo in digito firmantur et cum capite ovali, rotunda vel rectangulari.

Ornamentatio. Anuli sculpi possunt opere artificioso et ornari gemma pretiosa vel quasi pretiosa. Infra ubi de diversis anulis agitur etiam quaestio de eorum ornamentatione movetur.

Quibus conceditur. Clerici lege generali prohibentur ne digitos anulis ornent, exceptis iis quibus expresse a iure conceditur. CIC, 136, § 2. Insuper usus anuli ad missae celebrationem specialiore modo prohibetur iis quibus non fuerit expresse permissus. CIC, 811, § 2. Vide notam 54 infra.

SRE cardinales anulum ab ipso Summo Pontifice accipiunt in publico consistorio post eorum creationem insimul cum diaconia vel titulo presbyterali post oris aperitionem, et eo uti possunt sine ulla restrictione. CIC, 811, § 2.

Episcopi anulum accipiunt a suo consecratore versus finem ritus consecrationis ante offertorium, eoque semper utuntur veluti suae dignitatis insigni et *fidei signaculo* (PR). CIC, 811, § 2 (49).

(49) Traditio baculi et anuli episcopis vetustis codicibus testatur. Hac de re scripsit venerabilis vir Victorius Leroquais : " Un texte d'Isidore de Séville nous signale la remise de la crosse et de l'anneau à l'évêque, au cours de la consécration épiscopale, en Espagne, au début du VIIe siècle *Huic autem (episcopo) dum consecratur, datur*

Abbates anulum accipiunt in fine ritus solemnis benedictionis eoque rite semper utuntur veluti *fidei signaculo* non secus ac episcopi (50). Usus anuli ad altare tamen abbatibus non benedictis a iure vetatur. CIC, 311, § 2 (51).

Protonotariis apostolicis participantibus usus anuli conceditur ubique et semper, etiam in missis lectis vel solemnibus non pontificalibus. IM, n. 4.

Praelati locorum ordinarii qui eorum ornantur privilegiis eo uti possunt etiam ad altare sed non extra proprium territorium citra privilegium. Vide lib. I, p. 26.

Protonotarii supranumerarii vel ad instar participantium anulo rite utuntur quoties mitra uti possunt seu in pontificalibus functionibus; in missis lectis vel solemnibus non pontificalibus anulum gestare prohibentur. IM, n. 31 (52).

baculus... datur anulus. De eccles. off., lib. II, c. V, MPL, 88, col. 783. Le quatrième concile de Tolède (633) la mentionne également. C'est donc un rite d'origine gallicane. Une lettre de Charles le Chauve à Nicolas Ier, écrite vers 841, nous le montre en usage dans l'empire franc. MPL, 124, col. 874. Deux pontificaux manuscrits de la fin du IXe siècle mentionnent cette remise de la crosse : ce sont les pontificaux d'Aurillac et de Cahors... La remise de l'anneau est, comme celle de la crosse, d'origine gallicane et elle est attestée par les mêmes manuscrits. Là aussi les formules ont beaucoup varié et les plus anciennes ne sont pas les moins expressives : *sub hoc anulo fidei*, dit le pontifical d'Aurillac, *commendamus tibi sponsam Christi ecclesiam* (illam), *ut eam sanctam et immaculatam custodias in conspectu illius in omni bonitate.* Quant à la bénédiction de l'anneau, absente des pontificaux du IXe et Xe siècles, elle se lit dans ceux du XIe et son texte est le même aujourd'hui ". *Les Pontificaux Manuscrits*, Introduction p. 89.

(50) Privilegium anuli abbatibus datum antiquum est, dabatur vero petentibus vel motu proprio Papae veluti gratia specialis. Sic anno 1050 Leo IX anulum concessit abbati Montis Cassini contra votum sancti Bernardi qui putabat anulum monachis non convenire. De moribus et officiis episcoporum, c. 9, n. 36. MPL, 182, col. 832. DDC, I, col. 542. Tandem concessio anuli abbatibus locum in PR obtinuit. Andrieu, PR, III, *Pont. Durandi*, p. 407.

(51) CIC auctoritatem quam maximam ritui benedictionis abbatum dedit. Tamen abbates honorarii vel ad tempus electi, qui benedictionem non recipiunt, solent uti anulo et cruce pectorali, licet talis concessio nullibi inveniatur : ad altare vero anulum habere prohibentur.

(52) Iuxta *Inter multiplices curas* protonotarii apostolici supra numerum, inter quos adnumerandi sunt canonici trium Patriarchalium Basilicarum Urbis, *communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt*, n. 17 sed de anulo silet; prohibet vero anulum in missa lecta cum solemnitate seu uti vocant praelatitia et in missa solemni, n. 31, et utraque lex valet etiam pro protonotariis *ad instar* prout legitur sub nn. 45 et 49; dum, e contra, protonotarii de numero anulo semper uti possunt etiam cum habitu quotidiano intraque missam lectam, n. 4. Iampridem Pius VII protonotariis titularibus seu honorariis anulum (qui ipsis nunquam fuit concessus) in missa lecta prohibuit. DD. 2583, 6 et 2805 et Pius IX in sua constitutione *Apostolicae Sedis Officium* usum crucis pectoralis et anuli protonotariis ad instar vetavit extra functiones pontificales et ad missam lectam. D. 3262, III et XIX.

Quoad protonotarios ad instar vel supra numerum voluit Pontifex legem de anulo non adhibendo ad altare iterum urgere [D. 483 et alia]. In missa pontificali concessio

Canonici ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum nequeunt a iure uti anulo nisi hoc speciali modo a Sancta Sede concessum veniat (53). Insuper privilegium anuli canonicis datum, etiamsi in concessione nulla fiat restrictio, nullatenus ad missam lectam vel solemnem extenditur. CIC, 811, § 2; DD. 483; 1032; 3218; sed praesertim DD. 2805 diei 11 aprilis 1840 et 3821 diei 9 martii 1894 (54-55).

Doctoribus, qui titulo ab Ecclesia recognito ornantur, usus habitualis anuli, et quidem cum unica gemma, permittitur a iure in vita quotidiana seu civili, sed tempore functionum sacrarum etiam in choro intra vel extra ecclesias vetatur. CIC, 1378; S. Cong. Ep. et Reg., 22 maii 1612; D. 2907, 5.

anuli et crucis pectoralis erat necessaria secus enim nec cetera pontificalia concederentur, sunt enim correlativa. Tamen in *Motu proprio* verba Pii IX " sciant nunquam sibi licere, praeterquam in celebratione Missae pontificalis crucem pectoralem et anulum deferre " D. 3262, III dempta fuere et legitur tantum quando de cruce pectorali loquitur *a quo alias abstinebunt* IM, 26. Seu aliis verbis de anulo adhibendo cum habitu piano vel praelatitio tacet Pontifex dum crucem deferre prohibet.

Ex inde concludimus, salvo meliori iudicio, usum anuli a protonotariis qui pontificalibus privilegiis decorantur cum habitu piano vel praelatitio extra missam non prohiberi, praesertim in illis regionibus in quibus canonici omnes eo utuntur. In dubio iuris privilegia protonotariorum ad instar interpretanda sunt ad normam privilegiorum illorum qui sunt de numero, ad rem Suaresius "... Existimo idem esse privilegium ad instar alterius quod esse ad imitationem alterius, seu respicere illud tamquam exemplar ad cuius imitationem sit ". *De legibus,* l. 8, c. 15. Quod quidem confirmatur ex eo quod ante constitutionem Pii IX (D. 3262 quae privilegia protonotariorum ad instar participantium in multis coarctavit), isti sequebantur regulas datas pro protonotariis participantibus, quod positivis verbis fieri posse declaravit Pius VII... *eos etiam* (protonotarios extra numerum seu non participantes) *omnibus quibus Protonotariorum Collegium potitur privilegiis honorisque insignibus, auctos decrevere. Cum innumeris* Decreta auth., vol. II, p. 175. Etenim suo tempore iam docebat Faber nullam adesse distinctionem quoad privilegia pontificalium data protonotariis participantibus vel non, et ait *omnes, etiam non participantes* (qui *ad instar* nunc vocantur), *gestare possunt anulum in suae dignitatis argumentum. De Protonotariis,* Bononiae 1672, p. 38. Vide notas libri I : 23, p. 24 et 25, 3, p. 26.

(53) Privilegium anuli iure communi canonicis non conceditur; Sancta Sedes tamen, iis in locis in quibus canonici solent anulum adhibere, veluti in Italia Meridionali, in Portugallia et in Brasilia, aliisque locis, privilegium concedit, sed, non secus ac ceteris insignibus, canonici anulo uti tantum possunt intra fines dioecesis in qua est capitulum et sinistra manu.

(54) Usum anuli (non secus ac pileoli *vide notam 87, p. 144*) ad missae celebrationem expressis verbis et reprobata contraria consuetudine, prohibuit auctoritas Apostolica; Decreta hac de re multiplicantur inde ab initio saeculi XVII ad nostra usque tempora, quando solemniori modo confirmata fuerunt a novo codice iuris. Etenim humana vanitas limites ignorat et abusus hac de re multiplicabantur. Vide citationes fontium ad canonem 811, § 2 et Benedictum XIII in Concilio Romano anno 1725 habito, tit. XVI, cap. 3, sed praesertim DD. 2805 et 3821.

(55) In locis in quibus canonici anulo uti possunt et sacrorum ministrorum munere funguntur, veluti si celebret aliqua dignitas capituli, ista ante gradus altaris sistit sine anulo, illi vero cum digitis anulis ornatis! Inversio certo hierarchici ordinis.

¶ — Usus anuli non conceditur praelatis domesticis seu cubiculariis Summi Pontificis, nec protonotariis apostolicis titularibus seu honorariis, inter quos adnumerantur vicarii generales et capitulares (56). DD. 2583, 6; 2805.

Abbatissis solet Pontifex anulum tradere in initio ritus inthronizationis, qui fit post missam in qua benedicuntur. EPR, I, p. 436 et nota 233 b, p. 443.

Virginibus velatis Pontifex anulum tradit in ritu desponsationis, veluti partem ritualem consecrationis. EPR, I, p. 460 et nota 259, p. 475.

ANULORUM QUALITATES

Anulus Piscatoris cum imagine Petri Piscatoris incisa sigillum est Summi Pontificis, qui, si maluerit, potest eo veluti anulo communi uti, licet id non soleat facere. Anulus piscatoris Pontifici modo electo imponitur a cardinali camerlengo et in prima congregatione generali cardinalium post Pontificis obitum ab eodem cardinali frangitur una cum plumbo Cancellariae Apostolicae. *Vacantis Apostolicae Sedis,* n. 12, 1. Litterae apostolicae in forma brevis *sub anulo datae* dicuntur quia eo signantur et a Cardinali a secretis Status subsignantur. De anulo piscatoris plures scripserunt auctores : Vide Moroni, *Anello Piscatoris,* II, p. 62; A. Amanieu, *Anneau du pêcheur*, DDC, I, col. 539.

Anulus cardinalitius vocatur anulus qui cardinalibus modo creatis a Summo Pontifice traditur; unica ornatur gemma quae inde a saeculo XII est gemma pretiosa caerulei coloris, sapphirus nimirum. Recentius tamen, uti in consistorio anni 1946 in quo triginta duo cardinales creati fuerunt, anuli cardinalitii ornati erant unico lapide coloris aurei seu topazio. In parte interna scutum Papae sculpitur. Moroni, 2, p. 66.

Anulus pontificalis a Caeremoniali, I, 8, 22 vocatur ille qui ad missam pontificalem super chirothecam adhibetur. Solet esse maioris dimensionis et ornatur unica gemma pretiosa vel quasi pretiosa. In parte interiori poni solet circus ad dimensionem digiti adaptabilis *(spring)*, nam anulus adhibetur cum et sine chirotheca.

Anulus communis. Cum generatim anuli pontificales maioris sunt dimensionis et proinde eorum usus in vita communi evadit

(56) In Brasilia non solum praelati domestici Summi Pontificis verum etiam cubicularii supra numerum non pauci utuntur anulo gemmato etiam in sacris functionibus : aiunt enim : si canonicis licet nobis licet, nam *Monsignori* plus sunt quam canonici! Argumentum non videtur rationi quadrare.

incommodus, solent episcopi et praelati praeter anulum pontificalem alium habere minorem, qui quidem *anulus communis* vocatur (57).

Anulus doctoralis, qui clericis datur cum laurea doctorali, in Urbe ornatur cum parte aurea in capite; codex pianus tamen doctoribus permisit usum anuli cum gemma et quidem unica, seu sine circulo cum adamantibus. CIC, 1378.

Qualitas gemmae. Qualitas lapidis anulorum nulla lege determinatur, cauto vero quod sapphirus cardinalibus reservatur; id tamen dici nequit de lapidibus semipretiosis eiusdem caerulei coloris sicuti *aigue marine.* Etsi recentius anuli a SSmo Dno Nostro Pio XII cardinalibus dati topazio ornati fuerunt, ex inde non licet concludere topazios ipsis reservari. Ad praelatorum et episcoporum anulos ornandos speciali modo commendantur lapides violacei coloris, amethysti scilicet, modestiam enim significant quae praelatorum virtus est. Sed smaragdus in episcoporum anulis eodem modo commendatur, nam color viridis episcoporum proprius est. Sed nec lapides sculpti vulgo *camei* a lege prohibentur (58).

(57) Lex Ecclesiae excludit anulos cum pluribus gemmis vel adamantino circulo ornatos, veluti ecclesiastico statui alienos. Sic Papa cardinalibus anulum tradit cum unica gemma; sanctus Pius X iussit ut anulus protonotariorum ornaretur unico lapide IM, n. 27; codex iuris iubet ut anulus doctorum sit ornatus cum gemma (unica) *canon 1378.* Insuper auctores docent anulum pontificalem esse unico lapide exornandum : "l'anneau pontifical n'a qu'une seule pierre". DDC, I, col. 542. Tamen Barbier de Montault docet anulum communem episcoporum vel cardinalium adamantibus ornari *le chaton est toujours entouré de brillants.* BM, I, p. 162, 163. Alii auctores simpliciter BarMon sequuntur. Sic Amanieu superius citatus "l'anneau ordinaire se compose d'une pierre entourée de brillants de dimension moindre. Cet entourage de brillants distingue de tous autres l'anneau épiscopal, personne, pas même les cardinaux qui n'ont pas reçu l'épiscopat, ne pouvant avoir à son doigt un anneau ainsi confectionné et orné". DDC, I, col. 542. Nullum tamen fontem huius doctrinae tradit auctor. Sed si anulus pontificalis natura sua solemnior est relate ad anulum communem, cur licet istum adamantibus stipare et non illum? Dicimus proinde non solum anulos pontificales fieri debere sine circulo gemmis fulgente sed praesertim anulos communes, nam anuli cum unico lapide modestiam indicant ecclesiastico statui condicentem. Cauto tamen huiusmodi anulos cum adamantino circulo abbatibus, protonotariis vel aliis ecclesiasticis viris citra ordinem episcopalem stricte prohiberi. Vide litteras sancti Pii X, notam 110, p. 163.

(58) De Saussay de anulo episcopali per longum et latum scribens ait "anulus episcopi ex auro puro solide conflatus constat cum gemma pretiosiori in qua nihil sculpti esse debet" *Panoplia episcopalis,* p. 211 et citat Stephanum Duranti, *De Catholicae Ecclesiae Ritibus,* libri III, Romae 1591, p. 139, sanctum Carolum transcribentem ex Instructione supellectilis ecclesiasticae anni 1572, AEM, I, col. 1562. Auctores qui de anulo episcopali serius scripserunt De Saussay sequuntur et legem sancti Caroli repetunt. Sic De Albertis, *De sacris utensilibus,* n. 140, p. 63, et Moroni "l' anello del vescovo dev' essere d' oro e ornato di qualche preziosa gemma ma senza intaglio o figura veruna (nella gemma)". Moroni, 2, p. 70. Ait BM "l'anneau ordinaire (du Pape)... dont, par privilège spécial, le chaton est orné d'un camée : celui que portait habituellement Pie IX était gravé à l'effigie de la Sainte Vierge". BM, I, p. 161. Amanieu : "Quel qu'ait été l'usage ancien, actuellement, aucune figure ou représentation ne peut être gravée sur

REGULAE QUOAD USUM ANULI

Qui gaudent privilegio anuli intra sacras functiones illum nunquam deponunt nisi in casibus qui sequuntur :

1 — Quoties lavant manus, et, si pontificali ritu celebrant, relicto anulo ante primam manuum lotionem, illum accipiunt post mitram seu ultimo loco. CE, II, 8, n. 22.

2 — Feria Sexta Maiore SRE Cardinales anulo non utuntur in Urbe, NC, n. 47, sed nec ipse Supremus Pontifex quando hac die sacris praeest functionibus, quod quidem laudabiliter fit etiam extra Urbem, licet hac de re Caeremoniale sileat. CE, II, 25, n. 6.

3 — Non licet illis quibus usus anuli ad altare prohibetur, illum deponere ab offertorio ad peractam communionem tantum, nam per integram missam prohibetur.

4 — Praelatorum anulus ponitur in quarto seu anulari digito dexterae manus ex recepto more. CE, II, 8, n. 22; PR, *Ritus consecrationis episcopi* (59).

5 — Canonici qui ex privilegio anulo utuntur, illum in quarto seu anulari digito sinistrae manus portant : exinde ad fruendum honoribus praelatorum, osculi praesertim anuli, non propterea admittuntur. Eadem prorsus ratione doctores cum anulo in manu sinistra contenti sint. Etiam sponsorum anuli imponuntur in digito

la pierre des anneaux des évêques" DDC, I, col. 542 et citat De Albertis. Sed quaeritur cur isti doctores in re liturgica doctrinam (Duranti vel) sancti Caroli, quae alibi scripta non reperitur, sequuntur? Profiteor me non intelligere cur anulus cum *cameo* privilegium sit papale. Auctores, dempto BM, nihil de Apostolico privilegio dicunt. Sed De Saussay, qui verba sancti Caroli citat, discussionem sic claudit "Meliori igitur ratione dicere liceat non decere episcopum in gemma... permittere profanam ullam figuram insculpi..., figurae sacrae tamen non modo venerationem sed laudabilem aemulationem (provocant)". Eusebii Papae sigillum (seu anulus) eius monogramma refert ex una parte, ex altera Christi nomen P quod graecorum more inscribitur. Solebant romani picturis suos ornare anulos et christiani idem fecerunt. Sed cur id non licet episcopis qui anulos uti sigillum adhibere solebant? Concludere licet *intaglio* in gemmis maioribus, veluti Christi Domini symbolum, laudabiliter fieri posse. Camei, seu gemmae picturis ornatae, non sunt cum gemmis sculptis vulgo *intaglio* confundendae.

Historia anulorum episcoporum poterit hanc quaestionem illustrare. Ad rem RF, 8, p. 202. "Monsieur Waterton (qui in Archaeological Journal scribebat) a une magnifique collection d'anneaux épiscopaux où l'on peut trouver d'abondants matériaux pour l'histoire des anneaux". Sed ubinam videri potest haec collectio? Etiam Barraud, qui de baculo pastorali optime egit, de anulo episcopali scripsit in *Bulletin Monumental* pro anno 1874, quod tamen non vidimus.

(59) Ait Durandus noster "quia in eo vena quaedam ut fertur sanguinis ad cor usque perveniat" episcopi etenim debent divino flagrare amore. *Rationale,* lib. I, c. X.

anulari sinistrae manus sponsae, vel etiam sponsi ubi viget usus. RR, VII, 2, n. 3. Vide EPR, I, notam 259, p. 475.

6 — Anulum unum tantum adhibere permittitur (60).

7 — *Indulgentias* quinquaginta dierum concessit sanctus Pius X illis qui episcoporum et cardinalium anulum deosculantur. AAS, 1909, p. 277. Attamen qui nunc SRE cardinalium anulum osculantur, centum indulgentiarum dies lucrantur. Enchiridion indulgentiarum, editio 1952, n. 677.

CAPUT III

De baculo pastorali

CE, I, 17, n. 5-8.

¶ — Baculus a maioribus nostris receptus est veluti nobile episcoporum insigne et pastoralis sollicitudinis testimonium, etenim episcopus est bonus pastor, idque baculo merito repraesentatur (61-62-63).

(60) CE de pluribus anulis loquitur, ait enim " extractisque ei per assistentes diaconos anulis ". CE, II, c. 8, n. 10. Et in Caeremoniali papali legitur " Primus... assistens imponit Papae anulum pontificalem et alios quos Papa voluerit ". CA, II, sect. I, c. XIII. Sed etiam Paris de Grassis plures admittit anulos si id velit pontifex. Hodie reversi sumus ad dies Durandi quando anulus pontificalis alios excludebat iuxta illud sancti Caroli " Episcopus sit anulo episcopali contentus ". Conc. Prov., I. AEM, I, col. 65. Nonnulli episcopi alio utebantur anulo ad maiorem firmandum, legitur enim in Pontificali Ecclesiae Salisburgensis. " Tunc sedendo (episcopo) chirothecas manibus imponet et anulum pontificalem magnum una cum parvo strictiori anulo ad tenendum fortius superimponat ". Apud RF, 8, p. 204.

(61) " Quod regibus sceptrum id baculus est episcopis, insigne scilicet auctoritatis, solicitudinis et correctionis " ait venerabilis Cardinalis Bona. *Rerum Liturgicarum*, I, c. 24, n. 15. Ritus traditionis baculi gallicanam habet originem, sed benedictio eius est usus recentior seu saeculi XI vel XII. Leroquais, *Les Pontificaux Manuscrits*, p. XC. Vide notam 49.

(62) De antiquitate usus baculi plurimi scripserunt auctores, volentes apostolicam originem baculo dare. Certe si apud Romanos Mercurius et illi qui bona nova portabant *caduceum* veluti suae missionis testimonium ferebant, nihil mirum si illi qui evangelium praedicabant suam missionem vitae et salutis externo quodam signo adiuvare voluissent. Sed hac de re non erit hic agendum et lectores remittimus ad archaeologos in re sacra.

(63) De baculo pastorali scripserunt diversi auctores, sed in primis Arthur Martin, s. j., *Le Bâton pastoral dans ses formes successives* in *Le Bâton pastoral — étude archéologique par l'Abbé Barraud et Arthur Martin, s. j.*, Paris 1856, 114 p., in-4°; et in *Mélanges d'archéologie*, IV; Pugin, *Glossary of Ecclesiastical ornament v. Staff*, p. 212; RF, *La Messe*, Paris 1889, VIII, p. 75-110 : *Crosses;* Battandier, *La crosse*, APC, 1900, p. 280-293; 1901, p. 254-258; C. S., *De baculo pastorali in EL*, 1925, p. 269-275; Leclercq, *Dict. A. C. L. Crosse*, III, col. 3144; W. W. Watts, *Catalogue of Pastoral Staffs in the Victoria and Albert Museum*, London 1924.

Materia baculi nulla lege declaratur, et ex quacumque materia solida fieri potest. Sanctus Carolus tamen iussit ut baculus (qui ex ligno fieri supponebat) " laminis solidis argenteis, nulla caelatura ornatis cooperiretur, cum ferro aliove metallo in ima parte. Pars vero retorta etiam ex argento seu laminis argenteis elaboratis [id est caelatura ornatis] fabricetur eamque inaurare licet ". *De Supellectili eccl.*, AEM, I, col. 1562. Nunc vero baculi fabricari solent ex metallo cui balnea argentea adduntur. Baculi ex integro inaurati SRE cardinalibus reservantur.

Forma. Baculus duabus componitur partibus, hasta scilicet et capite, cum nodo maiori quo partes hae uniuntur.

Hasta in tres dividitur partes, cum duobus nodis ad partes inter se firmandas, ita enim facilius transportatur.

Pars retorta baculi diversis modis fieri potest et artifices pro lubitu agunt. Baculus more romano factus partem habet superiorem utrimque retortam cum flore quodam in linea verticali cum hasta baculi. E contra baculi antiqui et plurimi moderni partem habent retortam ad latus non aliter ac baculi qui ad corpus firmandum fabricantur (64).

Altitudo baculi pendet ab altitudine episcopi, tamen altitudo 180 centimetrorum sufficit.

Ornamentatio baculi campus est artificibus in re sacra apertus (65) cauto tamen ne baculus, qui levis esse debet ita ut facile portari possit

(64) Martin sequentes tradit divisiones baculi prout pars superior hoc vel illo modo ornetur :
1 — Bâtons pastoraux primitifs : Crosses, « Tau », férules.
2 — Anciens « Tau » à feuillage à têtes de serpents.
Huiusmodi tamen baculi cum parte superiori in forma « Tau » in Ecclesia latina multis abhinc saeculis obsolevit. " Ce fut au XI[e] siècle que les T se multiplient à la place des crosses ". RF, 8, p. 109.
3 — Crosses à serpents, traditions germaniques.
4 — Crosses à serpents empalés par la croix.
5 — Crosses à serpents en luttes contre le bélier et l'agneau.
6 — Crosses à serpent broutant le feuillage.
7 — Crosses à serpents mordant une pomme, ou la gueule vide.
8 — Crosses à tige fleuronnée et à fleur épanouie.
9 — Crosses en émail à tête de monstres menaçants ou apprivoisés.
10 — Crosses émaillées à dragons dans la volute, sur le nœud ou sur la douille.
11 — Crosses à décoration architecturale.
12 — Crosses à sujets de piété.
13 — Renaissance et temps modernes.

(65) Baculi semper fuerunt symbolis repleti sicut in superiori nota explanatur. Sed etiam poetae in baculis inspirationem quaerebant et antiqui baculi eorum versibus ornantur, qui legi possunt in citatis libris sed praesertim in egregio opere Barraud-Martin, veluti " Curva trahit mites, pars pungit acuta rebelles ".

ab episcopo, transformetur in rem quandam ita ponderosam et onerosam ut haud possit ab eo sustineri (66).

Qualitas ornamentationis pendet a materia ex qua pars retorta conficitur : esse potest ex ebore vel ex argento cum vitreo depincto *(émail)*, vel tantum cum caelaturis in ipso argento factis pro lubitu artificis et iuxta artis sacrae leges.

Quibus conceditur.

¶ — Summus Ecclesiae Pontifex ex recepto a saeculis more baculo pastorali non utitur (67), et quoties baculus necessarius est Papa adhibet ferulam cum cruce in capite (68).

(66) Pulcherrimi baculi a saeculo XI ad nostra usque tempora musea nostra replent. Tamen saeculo elapso, et nostro etiam, proh dolor!, baculi nimis onerosi fabricati fuerunt in quibus ornamentationes superabundant; etenim nonnulli episcopi volebant non solum cathedrales gothicas verum etiam *baculos gothicos*, et artifices illos fabricaverunt cum capella gothica in parte retorta, seu uti aiebant, *crosses à décoration architecturale*. Hac in re expedit iterum ad usum maiorum venire. Baculos nostri temporis plurimos tradit Dom Gaspar Lefebvre in *l'Artisan liturgique*, passim : 1939, p. 1109; 1947, p. 173.

(67) Teste Innocentio III saepius citato, Romanus pontifex pastorali virga non utitur, MPL, 217, col. 796, quod quidem idem Pontifex tot titulis maximus confirmavit in litteris ad Basilium Bulgarorum primatem anno 1204 datis " Et licet Romanus Pontifex non utatur baculo pastorali, tum propter historiam, tum etiam propter mysticam rationem, tu tamen, ad similitudinem aliorum pontificum, poteris eo uti ". CIC Orientalis Fontes, Acta Innocentii III, pars I, nº 52, p. 262. Id confirmatur Romanis Ordinibus qui de baculo a Papa adhibendo silent; imo Ordo Gregorii X iubet ut presbytero in Papam electo baculus non tradetur. Mabillon, *Ordo XIII*, n. 10. Nihilominus Georgi (cap. 29, n. 1) non nullos tradit casus de usu baculi a Supremo Antistite. Sanctus Thomas rationem tradit cur Papa baculo non utetur, etenim baculi curvatio coarctatam potestatem significat. Sum. Th., suppl., q. XL, art. III, ad 8um. De non usu baculi a Papa nonnulli scripserunt auctores, praesertim Iohannes Ciampinus Romanus *An Romanus Pontifex baculo utatur*, 18 p. in-8º, Romae 1690, mysticis tamen immoratur rationibus, sicut etiam Rinaldi-Bucci, *De insignibus episcoporum*, p. 53-58; Barraud, *Le Bâton pastoral*, p. 1-3 qui optime hac de re disseruit.

(68) Iuxta Caeremoniale Apostolicum Christophori Marcelli " Prior Ecclesiae lateranensis accedit, et genuflexus dat Pontifici ferulam in manu in signum correctionis et regiminis ". CA, tit. II, § 24, ed. Catalani, I, p. 137. Observatio siquidem huius ritus traditionis ferulae (et clavium) constans fuit usque ad possessionem Ecclesiae Lateranensis a Leone X anno 1513. Hac de re consule F. Cancellieri, *Storia dei solemni possessi*, Roma 1802, praesertim p. 12, 20, 37, 50, 65, seu a Papa Caelestino II anno 1143 quando historia auctoris incipit, ad Leonem X, ultimum, uti fertur, cui ferula tradita est, sed hac de re inquisitiones ulteriores facere expedit.

Ferula papalis baculus est cum parva cruce in parte superiore, eaque utitur Papa quando ad litanias personas seu res benedicere debet, veluti in consecratione episcoporum vel in aperitione concilii oecumenici vel ad alphabeta in ecclesiarum consecratione scribenda. De ea scripsit Barraud " il est à croire que cette férule des Souverains Pontifes correspondait moins à la crosse des évêques, qu'au νάρθηξ férule portée par les empereurs de Bysance ", *o. c.*, p. 3. Ferula nunc in usu Pio IX data est occasione iubilaei sui episcopatus in eaque legitur *Pio IX anno L ab episcopali consecratione* (1877); altitudinis est 150 centimetrorum cum hasta horizontali 32 cent. APC, 08, p. 82; Moroni, 18, p. 254.

Episcopi dioecesani. Baculus, qui signum pastoralis solicitudinis est, nativo iure conceditur exclusivo quodam modo, licet dentur exceptiones prout infra habetur, episcopis locorum ordinariis. Nam in hodierno iure liturgico baculus pastoralis unicum insigne est qui episcoporum residentialium dici potest distinctivum. Exinde episcopi extra proprium territorium baculo uti nequeunt. CE, I, 17, n. 5.

Praelati maiores. Codex iuris canonici praelatis maioribus privilegia locorum ordinariorum concessit, et proinde etiam baculi, nimirum :

1 — SRE cardinalibus trium ordinum in tota Ecclesia. CIC, 239, n. 13 et 16.

2 — Nuntiis vel internuntiis seu delegatis apostolicis in toto territorio suae missionis. CIC, 269, § 3.

3 — Archiepiscopis metropolitanis, in tota cuique provincia sua. CIC, 274, n. 6º.

¶ — Patriarchis et primatibus privilegia locorum ordinariorum non conceduntur a iure in toto territorio in quo sunt patriarchae vel primates, nisi speciali modo hac de re fiat mentio in litteris Apostolicis, usus baculi proinde ipsis non conceditur.

Episcopi titulares baculum in sua consecratione recipiunt sed illum adhibent tantum intra functiones pontificales loci ordinarii, quae de speciali commissione ipsis committuntur et quae natura sua baculum postulant, sunt enim ordinationes et consecrationes rerum et personarum, quae loci ordinarii sunt propriae. CE, I, 17, n. 5. Hac de re consule pro unaquaque functione EPR (69).

Abbates baculum accipiunt versus finem ritus suae benedictionis ante offertorium et cum eo in sede sua inthronizantur, eoque rite utuntur veluti insigni iurisdictionis et auctoritatis in suo monasterio.

Abbates ad honorem, qui benedictionem abbatialem receperunt, quoad usum baculi intra ecclesias ordinis cuique proprii sequuntur regulas pro episcopis titularibus datas.

¶ — Album velum ex praecepto Alexandri VII (D. 1131, 8) baculis abbatum olim appensum nunc obsoletum est (70).

(69) Stricto iure etiam episcopi titulares baculum adhibere possunt eo quod ipsis solemni modo ab Ecclesia datur in die suae consecrationis. Sed id ita fit quia episcopi omnes ius habent ad sedem, et sedes, licet in partibus infidelium, revera ipsis datur; exinde pro ipsis inthronizatio et traditio baculi res sunt symbolicae rei ad quam de facto nativo titulo ius habent.

(70) Ait sanctus Carolus " Orario aut sudario non ornatur baculus si episcopalis est; quo insigni abbatialis baculus ab illo distinguitur ". De supell. eccl., AEM, I,

Praelati et abbates nullius dioecesis, charactere episcopali vel benedictione abbatiali ornati, baculo utuntur eo quod gaudent usu throni et baculum ab Ecclesia in sua consecratione vel benedictione receperunt. Ceteri praelati nullius gaudent usu throni et possunt ecclesias consecrare et baculum adhibere ipso iure tunc debent. CIC, 323, § 2. Alias vero baculus ipsis non conceditur explicite sicuti SRE cardinalibus, sed si concessio throni supponit usum aliorum pontificalium, concludere licet huiusmodi praelatos baculum tuto adhibere posse. In dubio vero SRC consulenda erit. Vide lib. I, p. 61, de iuribus praelatorum nullius.

Protonotarii apostolici etsi participantes, praelati qui eorum fruuntur privilegiis, necnon canonici, nequeunt baculum adhibere in liturgicis quibuscumque functionibus ex positiva voluntate sancti Pii X (71).

Abbatissis, ex recepto usu, baculus datur ab episcopo cum post earum benedictionem inthronizantur, illumque adhibent in choro et in processionibus. Vide EPR, I, notam 233 c, p. 443.

REGULAE QUOAD USUM BACULI

1 — Baculus et mitra sunt correlativa (CE, I, 17, n. 8), ergo usus baculi sine mitra non permittitur, sed e contra frequenter licet mitra

col. 1562. Forsan nonnulli episcopi putabant baculos cum sudario appenso pulchriores devenire. Sanctus Pius X iussit ut abbas ecclesiae archipresbyteralis Castrifranci in Dioecesi Tarvisina, prisco servato more, adhibeat "baculum alba vitta serica in summitate ornatum". Acta Pii X, V, p. 283.

(71) Prius non erat sic, nam privilegium pontificalium a Sancta Sede dabatur praelatis et canonicis *more abbatum*, et abbates baculo utuntur. Sixtus V protonotariis concessit uti "mitra et quibuscumque aliis pontificalibus insignibus"; Clemens XI et Clemens XII usum baculi pluribus praelatis et abbatibus saecularibus necnon canonicis concessere; Benedictus XIII privilegium baculi canonicis Ecclesiae Lucensis dedit anno 1726 cum vetustam sedem ad dignitatem metropolitanam evexit (D. 1517); Pius VII usum baculi canonicis Ecclesiae Lyciensis concessit die 30 aprilis 1805 ad instar canonicorum Ecclesiae Neapolitanae sed sede vacante! Nec omnia in Ecclesia Dei rationi quadrare possunt. Bul. Pii VII, I, p. 694. SRC tamen conata est has concessiones ad minimum reducere, et prohibuit usum baculi coram loci ordinario, vel extra missam pontificalem. Tandem sanctus Pius X expressis verbis statuit ut canonici et praelati pontificalibus privilegiis fruentes ab usu baculi abstinerent (IM, n. 6 et 80), et insuper declaravit ut ipsis non dentur insignia quae episcopis titularibus non dantur. Et amplius in litteris ad commissionem liturgicam quae privilegia capitulorum coordinare debebat, statuit ut *positiva sua voluntate baculus a canonicis non adhiberetur*. N. 110, p. 163. Unde concludimus usum baculi olim nonnullis canonicorum capitulis vel aliis praelatis apostolica auctoritate concessum non amplius vigere, etiamsi in concessione verba *speciali mentione digna* fuerint apposita.

sine baculo uti, vel quia usus baculi non praecipitur vel quia praeses eius privilegio non fruitur (72).

2 — Baculus, non secus ac mitra, ceteras vestes pontificales supponit, et cum habitu tantum praelatitio nec mitram nec baculum pontifex adhibeat. CE, II, 2, n. 11. D. 4355, I, 4. Vide EPR, I, notam 25, p. 35.

3 — Baculus adhibetur semper cum parte retorta versus personas quas episcopus prospicit seu ad extra, etiamsi sit episcopus extraneus vel abbas. D. 4355, III, 3 (73). CE, II, 8, n. 25.

4 — Baculus ab uno tantum praelato adhibetur, scilicet ab eo qui functioni praeest. Unde si loci ordinarius, vel praelatus superioris gradus, veluti nuntius apostolicus vel metropolita, celebret coram cardinali etiam non legato, ab usu baculi abstinebit, etsi cardinalis sit cappa pontificali indutus urbanitatis gratia (74).

5 — Thronus admittit baculum, faldistorium vero non; sic episcopus extraneus sede plena celebrans ad thronum de licentia loci ordinarii utitur baculo, enimvero qui potest maius potest minus. Id valet etiam pro vicariis apostolicis ex ordine episcopali qui facultatibus S. C. P. F. fruentes celebrent ad thronum. E contra loci ordinarius vel vicarius capitularis nequit episcopis extraneis ad faldistorium celebrantibus baculum concedere et servare debent regulam CE de baculo extra propriam dioecesim non adhibendo. DD. 3042, 4; 4171.

6 — Episcopi extranei et titulares, coadiutores vel auxiliares, qui functiones Pontificalis Romani exercere debent ad faldistorium, veluti consecrationes, aut ordinationes vel benedictiones personarum vel rerum, baculum rite adhibent quia sunt functiones loci ordinarii quas nomine eius exercent et quae baculum postulant et quidem, ex recepto more romano, inde ab initio functionis. CE, I, 17, n. 5. Vide EPR, I, n. 38, p. 24 et suis locis pro unaquaque functione (75).

(72) Ex eo quod mitra et baculus sint correlativa, non pauci putabant episcopis necnon abbatibus licere uti mitra et baculo in choro vel in processionibus, idque confirmabant verbis CE qui de abbatibus *mitram et baculum* habentibus loquitur (CE, I, XIII, n. 9). Non tamen agitur de usu mitrae et baculi in choro sed de eorum in choro praecedentia. Etenim CE nullibi admittit duos vel plures baculos, sed nec SRC. Vide D. 1753, 3.

(73) Nonnulli docebant episcopos residentiales debere baculum sustinere cum parte retorta ad extra; episcopos extraneos et abbates vero cum parte retorta ad intus, eo quod eorum iurisdictio vel non exsistit vel extra monasterium non se extendit, sed sufficiunt leges exsistentes nec necesse est alias invenire.

(74) Si loci ordinarius coram cardinali mantelleto uti tenetur, quasi iurisdictionem suam ei tradens, pari ratione ab usu baculi debet abstinere. Tamen praelati maiores ab interveniendo functionibus loci ordinarii quantum fieri possit abstineant "ut episcopus commodius sua munia episcopalia exercere valeat". CE, I, 4, n. 5.

(75) Quo tempore CE compositum est non licebat episcopis, citra privilegium apostolicum, aliis episcopis committere ordinationes vel benedictiones personales.

7 — SRE cardinales baculo in Urbe utuntur in ecclesia sui tituli et etiam in aliis ecclesiis si de permissu Summi Pontificis ad thronum celebrant. Ab usu baculi abstinent vero in capellis papalibus, etiam Papa absente, in capellis cardinalitiis et in Basilicis Patriarchalibus; in his vero Basilicis eo utuntur pro functionibus Pontificalis Romani quae baculum postulant. NC, n. 50.

8 — Episcopi qui partem habent in processionibus procedunt parati cum pluviali et mitra sed sine baculo [et sine stola]. D. 4355, IV, 2. Vide notam 72.

9 — Baculus in functionibus pro defunctis non adhibetur iuxta monitum CE, (I, 17, n. 9), sed nec Feria Sexta Maiori, nam de eo silet Caeremoniale.

10 — Episcopi non sunt cum baculo sepeliendi nec erit super ipsorum feretrum ponendus. CE, I, 38, n. 10.

¶ — Ceterae regulae de usu baculi in processionibus vel ad thronum (CE, I, 17, n. 6, 7, 8) dantur cum functionibus pontificalibus ordinariis et per annum.

CAPUT IV

De formali sive pectorali

¶ — Episcopus vesperas solemnes celebraturus accipit "pluviale cum pectorali in coniunctura illius". CE, II, 1, n. 4.

Pectorale ornamentum est solemne et adhibetur exclusivo modo cum pluviali quasi illud firmans (76).

Id eruitur ex verbis CE *ipsi (episcopo) apostolica auctoritate conceditur*. Sed lex immutata est, et in editione Caeremonialis a Benedicto XIII facta, illis verbis retentis, addiderunt *ex permissione loci ordinarii* et quae in editione Innocentii X non legebantur. Prout nunc legitur, paragraphus haec non intellegitur. CE, I, 17, n. 5. Vide EPR, I, notam 24, p. 35.

(76) Joseph Braun, expedita tractatione de caputio cappae, statim de pectorali agit (p. 321-27) quasi parte complementaria eius, et ait (p. 322) *auch sie wurde allmählich ihrem praktischen Zweck entfremdet*. Re quidem vera pectorale romanum inde certe ab initio saeculi XIV insigne est solemnitatis et pompae potius quam fibula ad vestem firmandam. Solebant Romani Pontifices pretiosa pectoralia possidere : specialem meretur mentionem pectorale a Benvenuto Cellini fabricatum pro Clemente VII cum adamante triginta quatuor *carats*, de quo exstat tantum copia; celebrari oportet etiam pectorale Benedicti XIII pretiosis gemmis exornatum. APC, 1909, p. 69. De pectorali scripsit Battandier apud APC, 1908, p. 70-74 fere ad unguem sequens Moroni (vol. 25, p. 317) sed optimis additis illustrationibus. Pectorale vocatur etiam *formale*, *firmarium*, *fibula* vel etiam *morsus*. Hodie tamen solent episcopi ministeria pontificalia emere *ready made !*

Materia et forma. Pectorale conficitur ex argento sive metallo argentato et inaurato, pretiosum vero etiam ex laminis aureis. Forma a iure non determinatur, tamen solet esse, ex recepto more et ratione finis pro quo inservit, in forma ovali seu super longitudinem. In posteriori parte lamina ponitur ad pectorale firmandum.

Qualitas. Pectorale aliud est simplex seu feriale, solemne aliud vel etiam tertium quod pretiosum dicitur.

Ornamentatio. Pectorale ornatur figuris vel symbolis Christi Domini, pretiosum vero habere potest imaginem Spiritus Sancti in medio cum lapidibus circumcirca.

Episcopi cardinales in capellis papalibus vel etiam in suis dioecesibus utuntur pectorali cum tribus pignis, parvis margaritis ornatis et in linea recta positis, quod quidem formale ipsis reservatur.

Pectorali utuntur.

1 — Summus Pontifex cum manto papali albo vel rubro.

2 — SRE episcopi cardinales etiam in capellis papalibus (sed non presbyteri cardinales in sua quisque ecclesia titulari) necnon cardinales omnes extra Urbem eo quod privilegiis locorum ordinariorum fruuntur (77).

3 — Nuntii vel delegati apostolici in locis suae missionis et metropolitae in sua provincia.

4 — Episcopi locorum ordinarii iure communi veluti insigni proprio, necnon abbates vel praelati nullius qui eorum fruuntur privilegiis.

Episcopi extranei, qui speciali de causa vel de permissu ordinarii celebrant ad thronum vel functiones loco episcopi ordinarii agunt, nequeunt exinde uti pectorali, nam thronus non dat usum huius insignis, propterea cardinales in Urbe ad thronum de permissu Papae celebrantes ab eius usu abstinent.

Pectorale episcopis reservatur, nec eo uti possunt canonici vel dignitates capitulorum, sed nec abbatibus vel protonotariis venit concessum. D. 2425, 9. Praeterea monet CE ut presbyter episcopo assistens utatur pluviali sine tamen pectorali. CE, I, 7, n. 1.

REGULAE QUOAD USUM PECTORALIS

Pectorale assumitur cum pluviali tantum, quasi complementum eiusdem, ad vesperas vel ad alias solemnes functiones.

(77) Pectorale non est locorum ordinariis privativum veluti septimus cereus : episcopi cardinales eo utuntur coram Summo Pontifice, e contra concessio throni non secumfert concessionem pectoralis; conceditur vero praelatis maioribus qui privilegiis episcopi dioecesani fruuntur.

In maioribus functionibus Pontificalis Romani, veluti in ecclesiarum consecratione, fas est episcopo ab usu pectoralis abstinere commoditatis gratia.

CAPUT V

De libro canonis

Solet episcopus solemniter vel privatim missam celebrans uti libro cui titulus *ordo vel canon pontificalis*. De libro hoc tamen tacet Caeremoniale, nam versus finem saeculi XVI quando confectum est, episcopi utebantur tantum missali et, aliquibus diebus solemnioribus, libro cum missa diei et canone (78-79).

In hodierna legislatione canon pontificalis habetur veluti insigne episcopale et praelatitium, eiusque usum apostolicis protonotariis concessit sanctus Pius X. IM, n. 10, 27, 31, 49 (80). Solent nunc episcopi et praelati eo uti in missis tum planis tum solemnibus (81).

Liber transcribit ordinem missae cum praefationibus et canone, orationes pro vestitione, praeparationem ad missam et gratiarum

(78) Caeremoniale non solum de canone tacet sed semper supponit episcopum missam e missali legere sine ulla librorum variatione. Id eruitur e capitulo VIII libri II ubi missa solemnis episcopi explanatur. Prout nunc fiunt caeremoniae, presbyter assistens non unum sed duos libros ad altare portat ad offertorium dum CE loquitur *de libro*; praeterea mutatio libri in initio praefationis minime nobis placet : ubi missale poni debet nemo umquam scit; canone expedito ritus huiusmodi iteratur et missale in sua basi reponitur! Exceptio regulae Caeremonialis habetur ubi de praeparandis pro missa lecta, sed verba ibidem posita *et canone pontificali* addita fuerunt a Benedicto XIII in sua recensione anni 1727. CE, I, 29, 1. Antiqui commentatores CE, uti Castaldus et Bauldry *de libro* tantum loquuntur. Tacent etiam decreta SRC, ex eo quod de usu canonis pontificalis dubia exorta non sunt.

(79) Tamen saeculis XVI et XVII canon pontificalis non erat res ignota; nonnullae ecclesiae cathedrales libros habebant cum orationibus ante et post missam dicendis, et in Bibliotheca Apostolica Vaticana exstant libri huius generis; videri ibidem est *canon missae pontificis* anni 1550, Ehrensberger, p. 507-512 (vide notam 82). Ex his et aliis libris similibus, qui nihil aliud sunt nisi *excerpta e Missali Romano*, ortus est hodiernus canon pontificalis. Sed revera canon pontificalis originem suam ducit a practica necessitate episcoporum, nam missalia plenaria sunt nimis incommoda propter eorum pondus et nequeunt facile transportari, nec possunt a librifero in altum sustineri.

(80) Usum tum candelae tum canonis protonotariis apostolicis *ad instar* etiam in missa pontificali prohibuit Pius IX in sua constitutione *Apostolicae Sedis officium* (D. 3262, XV), sed sanctus Pius X ipsis ista privilegia elargitus est.

(81) Prima officialis concessio canonis legitur in Caeremoniali Benedicti XIV pro Basilica Patriarchali Assisiensi anni 1754, nam loquens de episcopis qui ad altare papale sacrum faciunt ex speciali concessione ait " praeparatorias missae preces perleget ex canonis libro, benigne eidem concesso etiam in altari ", p. 15.

actionem, necnon ritus Pontificalis Romani frequentius usitatos veluti ordinem confirmationis seu consecrationis calicis et patenae, et benedictiones selectas. Eius usus est proinde valde utilis et necessarius, incommodum enim esset ad hos fines uti missali pleno.

Summus Pontifex missam pontificali ritu celebrans utitur missali quod papale vocari solet, est enim canon pontificalis cum missa et praefatione diei, aliis exclusis, qui elaborata manu super pergamena scribitur (82).

Laudandi sunt caeremoniarum magistri qui intra canonem pontificalem inserunt, in foliis annexis, missas dierum solemniorum quibus solent episcopi solemni ritu celebrare, ita enim usus mutandi libros ad altare excluditur.

Ligatura. Canon ponitur intra thecam seu ligaturam ex corio, sacris figuris seu stemmatibus pontificis exornatam, et folia ad oram aureo stipantur. Color corii solet esse rubeus vel viridis seu etiam violaceus.

Nonnulli canones recentius editi, post pulchram editionem Lacensem *Maria-Laach* anno 1931 factam, commendantur propter optimam textus dispositionem : praefationes in uno vel duobus foliis ponuntur nec necesse est cantum interrumpere ad folia vertenda; praeterea canon ante consecrationem in duobus foliis legitur etiam sine interruptione, sicut etiam canon post consecrationem; aliis verbis orationes non scinduntur et visu intelleguntur, res admodum facilis quae tamen saecula plurima exegit. EL, 1931, p. 426; Jungmann, *Missarum solemnia*, II, p. 129, nota 30 et p. 331.

REGULAE QUOAD USUM CANONIS

Haud habentur regulae liturgicae pro usu canonis pontificalis; tabellae secretarum non ponuntur et canon inservit ubi et quando necessarius est, sive in sacrario pro vestione et praeparatione, sive ad thronum, seu ad faldistorium et ad altare. Ad introitum solemnem canon solet portari a librifero eo quod in secretario primo adhibendus est.

---

(82) Perpulchra missalia papalia videri possunt in sacrario pontificio. Vide Ehrensberger, *Libri liturgici manu scripti Bibliothecae Vaticanae*, Friburgi 1897, p. 499-506. In Ecclesia Patriarchali Lisbonensi decem habentur missalia pro solemnitatibus ad usum patriarchae.

CAPUT VI

De instrumento luminis

¶ — Antiquissimus est usus liturgicus de cereo ante pontificem ferendo, ut facilius legat, frequenter enim ecclesiae carebant luce nec sine cereo poterat episcopus orationes legere.

In hodierno iure liturgico instrumentum luminis in usum personalem est privilegium praelatitium, licet nonnunquam etiam canonicis concedatur.

Caeremoniale usum candelae ab episcopo functiones sacras solemniter vel etiam privatim celebrante praecipit; insuper ad eam ferendam adest specialis minister, qui, sicut ministri de libro, de mitra vel de baculo, induit pluviale ad solemnitatem. CE, I, 11, n. 1.

Privilegio candelae rite fruuntur episcopi omnes et SRE cardinales (83), necnon protonotarii apostolici etiam honoris tantum causa et praelati domestici Summi Pontificis. IM, 10, 49, 70, 78. Ea tamen lege ut protonotarii honorarii et praelati domestici candela in missa uti possint tantum si missa celebretur aliqua cum solemnitate, seu eis quotidie adhibenda non conceditur. IM, 70, 78. Insuper protonotarii honorarii ea nunquam in Urbe uti poterunt (84).

Privilegium luminis parochis Urbis, intra ecclesiam cuique suam, vel intra ecclesias ipsis subiectas si praesens non aderit capitulum patriarchale concessit Benedictus XV decreto SRC, *Quo clarus parochorum coetus*, 11 novembris 1914. AAS, 1914, p. 708.

Usum candelae a dignitatibus sive canonicis quibus a iure expresse non concedatur pluries improbavit SRC. DD. 1148; 2135, 1; 2578, 3; 2579, 1; 3647, 4, 5. Tamen privilegium candelae aliquando sed rarius

(83) Paris de Grassis candelam veluti privilegium papale habebat, et in suo caeremoniali (c. 1520) ad usum episcopi Bononiensis, cardinalitia dignitate fulgentis, non solum de usu candelae tacet sed ministrum ad eam ferendam excludit; Caeremoniale vero nostrum candelam eiusque ministrum episcopis concessit. Sed etiam ante CE multi episcopi eam adhibebant necessitatis causa vel etiam uti argumentum honestatis.

(84) Privilegium candelae praelatis domesticis concessit sanctus Pius X, nam antea ipsis erat prohibita. D. 2775. Tamen idem sanctus Pontifex prohibitionem libri canonis ipsis iam factam in citato decreto conservavit, et protonotariis usu pontificalium gaudentibus tantum dedit. Et hoc fecit sanctus Pius X, nam Pius IX tum candelam tum canonem ipsis protonotariis apostolicis vetavit *non canone non palmatoria*. D. 3262, XV. Sed nec abbatibus usum candelae permisit Alexander VII in sua constitutione pro praelatis inferioribus qui ad thronum pontificali ritu celebrabant. D. 1131. Id forsan explicatur ex eo quod in capellis papalibus candela nec patribus cardinalibus conceditur.

canonicis et dignitatibus capitulorum datur, sed intellegi debet concessum in ecclesia propria tantum aliis exclusis D. 4019, 3, quod quidem valet de aliis privilegiis utpote libri canonis quando dignitatibus capituli conceditur. Ibidem. Vide SRC, *suffragia*, p. 160.

Materia et forma. Scotula confici debet ex metallo, et si fieri possit ex argento; scotula inaurata SRE cardinalibus reservatur. Instrumentum hoc fabricetur veluti sustentaculum candelae cum pede amplo et sine hasta, et cum manubrio longo cum quo facile portari possit a suo ministro.

Summus Pontifex functiones sacras solemni modo celebrans specialem adhibet candelam cum parte inferiori reversa ad modum manubrii, quae ab episcopo solio pontificio assistente portatur (85).

REGULAE PRO USU CANDELAE

Ex regula generali ab uno tantum adhibetur candela, seu a digniori; sic in conciliis episcopi suffraganei celebrantes coram metropolita ab usu candelae abstinent. EPR, III, p. 91. Episcopi celebrantes coram SRE cardinali, apostolico in loco nuntio, vel proprio metropolitae, eodem modo ab usu candelae abstinent (CE, I, 21, n. 3), non secus ac patres cardinales coram Summo Pontifici sacrum litantes : honor semper datur praesidi seu maiori (86). Eadem proinde ratione usus candelae protonotariis et praelatis non permittitur coram ordinario vel praelato superioris gradus. IM, n. 27 g.

Candela adhibetur ad thronum sive ad faldistorium quoties praelatus aliquid e libro legere debet, nam librifer et candelifer semper pergunt bini nec ab invicem separantur.

(85) Usus candelae sine tamen scotula a Summo Pontifice antiquus est, de eo enim passim loquitur Caeremoniale Apostolicum Patrizi anni 1516, eratque tunc res in usu recepta. Sic in festo Purificationis BMV legis *Papa vero ministrantibus episcopis librum et candelam*, CA, 2, p. 108; etiam p. 124 et 261. Candela Papae accenditur quando adhibenda est, et, cum episcopus solio papali assistens recedit, eam extinguit et reponit super scabello *lanterna* dicto, ubi cereus semper ardet ad candelam denuo, quoties erit necessarium, accendendam. Iuxta Cancellieri agitur de antiquo quodam ritu monastico adhibendi lumen absconditum veluti in officio tenebrarum. *De Secretariis Basilicae Vaticanae*, I, p. 249. Moroni, VI, p. 156. Papa non utitur scotula quia lumen papae non indiget sustentaculo uti docebant Durandus noster et Dominicus Macri. Moroni, 6 p. 156.

(86) In altari papali Basilicae Patriarchalis Assisiensis episcopo loci ordinario vel aliis episcopis usus instrumenti luminis non permittitur sed " SRE cardinalibus, ex Summi Pontificis privilegio, etiam in altaribus papalibus usus canonis cum instrumento luminis conceditur ". Caeremoniale Benedicti XIV pro Basilica Assisiensi, anni 1754, p. 13.

Eadem regula servatur extra sedem episcopi in quamplurimis orationibus quae in Pontificali habentur, veluti in ecclesiarum consecratione.

Ad pedem altaris seu quando ante gradus sacri ministri librum tenent inutilis est praesentia candeliferi a tergo episcopi, nec potest, sicut decet, officio suo fungi, proinde maneat ad abacum ne visionem fidelium intercludat, uti pro oratione quae ante benedictionem cum Venerabili canit episcopus (87). Sed quandocumque, ad populum versus, praelatus ad altare aliquid legit vel canit, aderit candelifer una cum librifero.

Cum episcopus legit e libro super altari posito conveniens est ut etiam candela super illo ponatur et ut minister ad abacum recedat, altare enim ad candelam deponendam maxime inservit. Sed in missis lectis capellanus primus qui ad librum attendit curam habebit de candela, quam tamen, praesertim intra actionem, super altari locabit (88).

Candela res est personalis, proinde dum episcopus sacram communionem distribuit, capellanus eam super altare vel ad abacum reponit.

Usus instrumenti luminis toto anni tempore permittitur, etiam in officiis defunctorum, Feria Sexta Maiori tantummodo exclusa (89). CE, II, 25, n. 13; D. 4257, 6.

---

(87) Si candela non adhibetur coram praelato superioris gradus, videtur ab eius usu esse abstinendum coram Sacramento publice exposito, sed ita non est, seu solent auctores in functionibus coram Sacramento usum candelae episcopis seu praelatis concedere, MM, 3, p. 666. Sed, uti iam diximus, cum episcopus se sistit in infimo altaris gradu in benedictione cum Venerabili, sacri ministri librum tenent (D. 4179, 7) nec locus adest pro candelifero, qui potius in casu solemnitatem ritus intercludit.

(88) Verba CE (I, 11, n. 4) *minister de candela inservit etiam ad altare* annexa fuerunt in editione Benedicti XIII, prius enim non legebantur. In missis lectis nulla habetur difficultas cum capellanus primus qui ad missale ministrat etiam candelam cum opus erit sustinebit, vel super altare praesertim infra actionem locabit. In functionibus solemnibus vero ad altare ministrat diaconus cum subdiacono et presbyter assistens ad librum inservit, nec adest locus pro candelifero, et si ad cornu evangelii se sistat inutilis erit ad finem illuminationis libri, nec ei expedit locum sumere a sinistris presbyteri assistentis : proinde dicimus tempore lectionis orationum offertorii vel canonis intra missarum solemnia, ministrum, candela super altare posita, debere ad latus evangelii sistere cum ministro de libro, sed in plano presbyterii prout aderit locus.

(89) Quidam SRC consuluit : an iuxta CE (II, 25, n. 13) Feria Sexta Maiori candela adhibenda sit sed exstincta. Exemplum consultationis inutilis. D. 4257, 6.

CAPUT VII

De urceo cum pelvi

¶ — Ad manus praelatorum intra functiones solemnes lavandas ministri adhibent urceum seu gutturnium cum pelvi et manutergium in lance, quae quidem utensilia veluti praelatitia habentur (90).

Urceum cum pelvi rite adhibent in functionibus tum solemnibus tum lectis SRE cardinales et episcopi seu abbates usu pontificalium gaudentes.

Protonotarii apostolici, etiam ad instar et praelati qui eorum gaudent privilegiis, huiusmodi utuntur instrumentis lotionis in functionibus pontificalibus (IM, 27, 47) et in missis lectis cum solemnitate celebrandis. IM, 10, 31, 49. Protonotarii de numero et supranumerarii urceum cum pelvi adhibent etiam in missa solemni non pontificali. IM, 10 et 31.

Protonotarii ad honores et praelati domestici Summi Pontificis uti urceo cum pelvi nequeunt cum illis non venit concessum. IM, 70, 78.

Dignitates et canonici privilegio isto minime ornantur et consuetudo contraria eliminanda est utpote iuri communi contraria.

Canon et candela necnon urceus cum pelvi solent concedi a Sancta Sede praelatis pontificali ritu celebrantibus et quidem per modum unius. Quae quidem privilegia etiam praelatis maioribus ordinum religiosorum aliquando conceduntur quoties solemni modo sacrum litant. Vide p. 84 de personis.

Solet Summus Ecclesiae Antistes solemniter manus lavare, et urceus cum pelvi a Principe pontificio solio assistente portatur cum perpulchro velo humerali. Caeremoniale ritum papalem ad ceteros episcopos locorum ordinarios transmisit, qui quidem solemnis nimis ritus lustrationis manuum explanatur in CE, II, 8, n. 11.

Materia et forma. Urceus cum pelvi confici debet, si fieri possit, ex argento, vel saltem ex solido metallo albi coloris vel argentato. Urceus cum pelvi inauratus SRE cardinalibus reservatur.

Forma urcei et pelvis a iure non venit explanata, sed convenit ut urceus sit vas nobili forma confectum et praealtum, et ut pelvis sit formae ovalis commoditatis gratia.

(90) Vasa seu potius pelves pro manuum lotione apud latinos *aquaemanilia* vel *aquaemanales* seu *aquaemanus* vocabantur; serius erant *gemelliones*, nunc agitur de *urceo* seu *gutturnio* cum pelvi.

Ministeria huiusmodi fabricari debent ab artificibus in artibus sacris peritis ut digna efficiantur Sacrificio Altaris et pontifice cui inserviunt (91).

Per plurima saecula in Ecclesia in usu erant, loco urcei cum pelvi, *gemelliones*, seu pelves duae maiores et aequales, rotundae formae, cum orificio pro aqua in pelvi superiori, propterea pelves illae *fontes* vocabantur; aderatque *phiala una cum aqua rosacea et bene odoranti*, prout docet Paris, ad fontes huiusmodi implendos. De gemellionibus loquitur CE *si celebrans esset SRE cardinalis*... magistratus *duas argenteas lances seu fontes ministret si commodum erit*, CE, I, 11, n. 12, eorumque usus praecipitur a sancto Carolo, *Pelves aquariae seu bacilia, quae fontes appellant*, AEM, II, col. 1569; sunt tamen obsoletae (92).

CAPUT VIII

De cruce archiepiscopali

Archiepiscopus quando ambulat vel equitat per suam civitatem... crucem ante se deferri facit. CE, I, 4, n. 1.

(91) Perpulchra nunc remanent gutturnia et pelves argenteae saeculi XVII vel XVIII, quo tempore in usu erant in domibus et ad mensas nobiliorum virorum; utinam ad ecclesias nostras transferrentur loco rerum horribilium nulliusque valoris quae venumdantur, deplorantibus sacrarum rerum cultoribus. In Brasilia et Portugallia vasa argentea nobilia frequenter ab antiquitatum mercatoribus venumdantur laicis qui usum pro illis non habent, sed ea emunt curiositatis vel honestatis gratia.

(92) Ad rem Gay : " Comme l'aiguière, le bassin est le vase des ablutions par excellence. Il est très fréquemment cité, d'abord en raison de la diversité de ses emplois, puis parce que souvent il remplace l'aiguière pour une raison pratique plus singulière que commode, adoptée dans le service de la table aussi bien que dans les rites de l'église. Nous voulons parler des *gémellions* ou bassins jumeaux, de même grandeur et de même forme, n'ayant entre eux d'autre différence que le petit goulot de fuite dont un seul des deux était muni pour verser l'eau dans l'autre. On les retrouve sans cesse dans les inventaires royaux et princiers et aussi dans le mobilier des églises. Pendant plus de trois siècles leur forme est restée la même, leur décoration seule a varié ". Glossaire archéologique, I, p. 93, *Bacin* (sic). Summus Pontifex huiusmodi utebatur geminis pelvibus pro manuum lotione et illis utitur Patriarcha Lisbonensis quoties sacrum solemni ritu celebrat; sed etiam episcopi per orbem tales adhibebant pelves loco gutturnii; sic in usu erant in Anglia, Gallia, aliisque locis uti testantur antiqui inventarii. Vide Pugin, *Glossary of Ecclesiastical Ornament and Costume, v. Bason*, p. 39; RF, 6, p. 141 : *Aiguières et Bassins liturgiques*; Béthune, *Les Bassins liturgiques* apud *Revue de l'Art chrétien*, V, 1886, p. 318. Sed ipsi Ordines Romani de gemellionibus pro manuum lotione loquuntur. Vide *Pontificale MS Durandi*, Martène I, p. 221. Tamen qui illos non viderunt quid sint ignorant, et inter illos adnumerandus est cl. Catalanus, ait enim, citans Paridem, " quanquam vero ex hac nostra paragrapho CE, I, 12, n. 19 una pelvis, unusque urceus satis sint... Crassus nihilominus *vasa duo aequalia sive bacilia quae fontes appellantur pro manuum celebrantis lotione* inter alia apponenda ibidem recenset. Paridis de Grassis, *De Caeremoniis cardinalium*, fl. 28 v; Catalanus I, p. 271, ed. Parisiensis.

¶ — Sacrum pallium insigne princeps est archiepiscoporum, sed cum pallium et crux hastata sint correlativa, propterea haec archiepiscopis conceditur (93).

Materia et forma. Crux archiepiscopalis est crux communis cum virga seu hasta verticali cui imago Crucifixi apposita est, et cum hasta longa qua manibus defertur. Solet esse ex metallo deargentato et ornato vel etiam ex argento solido et artificioso modo ornato, expedit proinde ut a christiano artifice conficiatur. Altitudo crucis esse poterit 260 centimetrorum (94).

PRAELATI QUI PRIVILEGIO CRUCIS HASTATAE FRUUNTUR

1 — Imprimis nativo iure crux defertur ante Summum Pontificem ubicumque degat (95).

2 — Cardinales a latere Pontificis legati cum ab Urbe recedunt usquedum revertentur. CA, I, tit. 8, § 18; ed. Catalani I, p. 320; NC, n. 39. Vide EPR, III, notam 52, p. 146 (96).

(93) Dicimus crucem et pallium esse correlativa quia ante eius receptionem non licet archiepiscopum delata cruce incedere; praeterea quando usus sacri pallii prohibetur, veluti in missa coram cardinali, nec crux portatur : crux supponit confirmationem pallii, propterea cum episcopus Dublinensis crucem ante se deferre iussit, sanctus Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, ad eum scripsit " Mando tibi ne hoc amplius facias, quia non pertinet nisi ad archiepiscopum a Romano Pontifice pallio confirmatum crucem ante se deferre ". *Sanctus Anselmus, lib. III, ep. 72; lib. IV, ep. 27.* Apud Thomassin, II, p. 122. Benedictus XIV idem docebat, et e quinque episcopis quibus privilegium sacri pallii dedit, quatuor etiam usum crucis hastatae concessit. EPR, I, nota 160, p. 371. Tamen pallium conceditur pluribus episcopis sine cruce, et ius liturgicum archiepiscopis crucem concedit sine restrictionibus, dum pallium dat certis per annum diebus.

(94) Nonnulli archiepiscopi vel ecclesiae metropolitanae pulcherrimas cruces possidere gaudent, quas in argumentum fidei et amoris erga tam singulare privilegium fabricari fecerunt. Specialem mentionem meretur crux Summi Pontificis ex solido argento inaurato, quam Marchio de Bute, obsequii et amoris causa, Pio IX dedit, adhibendam die 8 decembris anno 1869 in solemni aperitione Concilii Oecumenici Vaticani. APC, 1908, p. 78.

(95) Privilegium crucis hastatae inter antiquiores usus Papae adnumerandum est et quidem modo privativo. Serius crux a Romano Pontifice solemni modo dabatur cardinalibus a latere legatis eo quod ad personam eius gerendum deputabantur. Non secus ac pallium papale, etiam crux decursu temporis dabatur archiepiscopis qui in suis regionibus erant quasi legati nati Papae; demum crux hastata, singulare certe privilegium, ad omnes metropolitas extensa est. Quo tamen non obstante, etiam nunc crux hastata privilegium papale est, licet ad archiepiscopos extensum.

(96) Saeculo XI haud incepto, usus crucis hastatae a legatis Papae iam erat receptus, nam ea usus est cardinalis legatus Humbertus in Concilio Constantinopolitano anni 1050. Constat anno 911 Anastasium III crucem dedisse episcopo Papiensi, qui eam postea perdidit. Saeculo XI solebant Papae hoc privilegium dare archiepiscopis, et tempore sancti Anselmi († 1109) ad eos pertinebat uti proprium per communicationem privilegiorum, potius quam generali concessione apostolica.

3 — Archiepiscopi metropolitani in tota provincia quisque sua. CIC, 274, 6° (97-98).

4 — Episcopi residentiales qui ex speciali gratia tali amplissimo fruuntur privilegio (99).

5 — Patriarchae in toto territorio sui patriarchatus vel primates in locis in quibus sunt primates delata cruce incedere possunt, dummodo talis concessio fuerit in singulis casibus expresse in litteris apostolicis data, secus non (100-101).

REGULAE QUOAD USUM CRUCIS

1 — Praelati qui privilegio crucis hastatae fruuntur eam sibi praeferri faciunt inde a domo sua si ad ecclesiam ambulant; si vero curru portantur, inde a ianua ecclesiae in qua functio facienda est, et in fine agunt modo contrario (102).

(97) Crux primatialis partem magni momenti habuit in vita sancti Thomae Becket, qui, elata semper cruce, per totam Angliam ibat. In nimis celebro conventu de *Northampton*, coram Rege Henrico II, voluit ipse crucem ferre, et cum capellanus id male ferret ait *Iustius est me ipsam deferre sub cuius protectione maneo.* Et delata cruce in conventum introivit die 13 octobris 1164, ab eoque, cum cruce in manu, recedit praeclarus Fidei Confessor et Ecclesiae Decus. Hefele-Leclercq, V, 2e, p. 922 ss.

(98) Archiepiscopus Westmonasteriensis crucem ante se ferre potest in Anglia et Cambria ad instar antiqui primatis vetustae et sacrae Ecclesiae Cantuariensis ex speciali concessione sancti Pii X litteris *Si qua est*, AAS, 1911, p. 553. Vide EPR, I, notam 168, p. 373.

(99) Privilegium crucis hastatae, singulare nimis, raro conceditur. Eo fruuntur quinque episcopi Europae ex concessione Benedicti XIV, videlicet, Papiensis, Herbipolensis, Varniensis, Quinque Ecclesiarum *Pecs* et Eistettensis in Germania. EPR, I, nota 160, p. 371. Gregorius XVI episcopo Ecclesiae Algeriensis seu Iuliae Caesareae privilegium crucis concessit anno 1844 (Acta, vol. III, p. 315), tamen paulo post, anno 1866, ecclesia haec ad dignitatem metropolitanam evecta est.

(100) Innocentius III, qui in Concilio Lateranensi IV, anno 1215, declaravit crucem hastatam privilegium esse Ecclesiae Romanae, nihilominus in canone V permisit seu potius recognovit uti validam consuetudinem quatuor maiorum patriarcharum procedendi erecta cruce etiam extra territorium unicuique proprium, cum exceptione Curiae Romanae vel si praesens adesset legatus Apostolicus. Baronius pro anno 1191, n. 26; Thomassin II, p. 123. Obsolevit tamen privilegium nimis amplum, quod in Corpore Iuris locum obtinuit. Hefele-Leclercq, vol. V, 2e, p. 1334.

(101) In iure vigenti tituli *patriarchae* vel *primatis* dantur honoris tantum causa, nequeunt proinde praelati isti crucem ante se deferre extra propriam provinciam nisi in singulis casibus agatur de speciali concessione pontificia. Sic Patriarcha Lisbonensis crucem ante se deferre facit in toto territorio Regni Portugalliae, quia gaudet praecedentia et usu sacri pallii in toto hoc territorio, et qui potest maius potest minus. Litterae Clementis XI, *Sacrosancti Apostolatus*, diei 26 septembris 1720.

(102) Sanctus Carolus ad unguem observabat regulam Caeremonialis et *quando ambulabat vel equitabat per suam civitatem vel Dioecesim* seu Provinciam *crucem ante se deferre* faciebat. CE, I, 4, n. 1. Sed etiam in publicis conventibus vel coram magistratibus cardinalis ibat delata cruce, et id fieri debere ab aliis metropolitis docebat, propterea verba haec in nostro Caeremoniali, sub influxu sancti Pontificis, nunc leguntur, tempora tamen mutantur.

2 — Non solent amplius archiepiscopi elata cruce procedere nisi in functionibus liturgicis vel para-liturgicis quae solemniter fiunt si sint cappa pontificali vestiti vel sacris vestibus induti, non vero cum privatim vel cum palliolo humerali functionibus sacris intersunt in primo loco chori vel in aliquo genuflexorio; nec ad missas lectas, nam crux archiepiscopalis solemnitatem ritus supponit et quodammodo exigit (103).

3 — Crux defertur cum imagine Crucifixi ad antistitem versa. CE, I, 15, n. 2.

4 — Inter praelatum et crucem suam nemo incedat si sit in vestibus praelatitiis. CE, ibidem. Si vero praelatus sit sacris vestibus paratus, et aderit canonicorum capitulum vel alii praelati cum sacris vestibus, isti locum sumunt inter pontificem et crucem, nam unum cum eo corpus efficiunt. CE, I, 15, n. 18; II, 8, n. 27; D. 1712, 7; et in processionibus si mansionarii sint parati corpus unum efformant cum canonicis, propterea crux eos praecedit. D. 1712, 9.

5 — *Crux non defertur coram praelato superioris gradus* videlicet:

a) a metropolita coram cardinali cuiuscumque ordinis CE, I, 4, n. 2 et 7 (104); vel coram altero metropolita amplioribus iuribus gaudente veluti Archiepiscopo Westmonasteriensi; vel coram patriarcha seu primate qui fruitur privilegio, ex speciali concessione, crucis hastatae;

b) ab episcopo privilegio crucis insignito coram suo metropolita vel nuntio seu delegato Apostolico.

6 — Urbanitatis gratia metropolita cardinalitia dignitate fulgens *crucem sibi praeferri non permittet* coram alio quocumque cardinali, et, si celebret, crucem habebit ad benedictionem in missa dandam tantummodo. CE, I, 5, n. 4 (105). Item à cruce praeferenda abstinebit metropolita coram praelato Gubernatore CE, III, 2, n. 2, et pari

(103) Id semper fuit sic, et in Concilio Lateranensi IV iussit Innocentius III ut legatus *utens insigniis Apostolicae dignitatis* crucem delatam haberet, *Canone V*. Insignia Apostolicae dignitatis imprimis erant vestes rubei coloris, prout docet Hostiensis in cap. *Antiqua*, de Privilegiis; Catalanus in Conc. Oecum., III, p. 255.

(104) Primitus archiepiscopi crucem deponebant solummodo coram cardinali a latere legato, sed Gregorio XI visum est id fieri debere coram quocumque cardinali nam "nobiscum indefessis laboribus universalia ecclesiastica onera sortiuntur". Moroni, 18, p. 260. Thomassin II, p. 123. EPR, III, nota 52, p. 146.

(105) Benedictio semper datur a cardinali seniori praesenti, et si senior sit metropolita, ipse invitabit seniorem cardinalem ex praesentibus ad benedictionem dandam, seu, metropolita cardinalitia dignitate ornatus benedictionem non impertitur coram altero cardinali, nisi ipse sit celebrans et in hoc casu habebit crucem. CE, I, 4, n. 4; NC, n. 37.

ratione ex urbanitate coram nuntio vel delegato apostolico nisi, si celebret, ad benedictionem dandam (106).

7 — Coram episcopo dioecesis suffraganeae metropolita crucem ante se ferre debet. D. 1459.

8 — Metropolita procedere potest et debet delata cruce in tota sua provincia, etiam in ecclesiis et monasteriis exemptis regularium uti pluries declaravit SRC. DD. 312; 1342, 1; 1550; 2153.

9 — Quando metropolita ambulat crux ante eum fertur; si benedictionem solemnem impertiri debeat crucifer coram suo antistite se sistit; si praedicat locum sumit prope eum; si vero metropolita se sistit ad thronum seu ad faldistorium vel ad altare, vel concionibus interest, crucifer cum sua cruce locum sumit versus cornu evangelii, vel eam ad parietem dimittit, D. 1145, 3, seu potius in sua basi, quae cooperiri potest sericis coloris diei, reponit.

10 — Metropolita, ob cultum latriae cruci debitum, nudato capite et allata illi cruce, benedictionem solemnem impertitur. CE, I, 25, n. 4; II : 1, n. 19; 2, n. 11; 8, n. 81 (107-108).

11 — Crux fertur a crucifero, qui, si fieri possit, erit in sacro subdiaconatus ordine constitutus, et in functionibus solemnibus sacras huius ordinis vestes, dempto manipulo, induit. CE, I, 15, n. 8; II, 8, n. 27 (109).

12 — Crucifer, si clerus sit sacris vestibus paratus, procedit medius inter acolythos cum cereis ardentibus.

(106) Iussit Benedictus XIV ut episcopi quibus privilegium crucis concessit ab eius usu abstinerent non solum coram proprio metropolita et quovis patri cardinali sed etiam si praesens aderat Apostolicus in loco nuntius, et edixit privilegium dare eadem prorsus lege ac ipsis archiepiscopis. Ex quo concludi licet etiam archiepiscopos a cruce hastata abstinere debere coram nuntio vel delegato Apostolico. Certe id in decretis SRC non legitur, sed multa sunt quae in responsionibus SRC non leguntur. Praeterea crux *vel* datur praelato maiori praesenti *vel* nemini datur, et nuntius seu delegatus Apostolicus gaudet praecedentia super metropolita. Vide EPR, I, notam 160, p. 371.

(107) Crux coram pontifice portatur ob mysticas rationes, etenim si benedictio episcopalis fructus ferre debet, id certe debetur mysterio crucis. Observandum tamen est huiusmodi ritum praesentationis crucis ad benedictionem reliquiam esse usus forte melioris, nam in pluribus locis ad benedictionem dandam crucifer crucem in manu sinistra praelati ponebat, et hic ritus hodie observatur in Ecclesia Anglicana. Vide Francis Ecles, *Episcopal Ornaments and Ceremonial*, Alcuin Club XXV, p. 35.

(108) Solebant archiepiscopi ecclesias suas prima vice ingredi et in throno sedere cum cruce in manu, prout etiam nunc fit a Summo Pontifice vel ab eius legatis a latere in aperitione Portae Sanctae Basilicarum Urbis; laudandus certe usus!

(109) Antiquissimum est Caeremonialis monitum ut crux papalis detur subdiacono Apostolico, legitur enim in ordine Romano X, *Mabillon*, p. 98, et hodieusque in solemnioribus functionibus crux portatur ab uno ex auditoribus Rotae, quia sunt subdiaconi Apostolici.

13 — Crucifer metropolitae utitur toga talari lanea cum zona serica cum duobus flocculis in extremitatibus et desuper crocea, non secus ac caudatarii patrum cardinalium, quae omnia violacei erunt coloris. Superpelliceum tamen induit si metropolita sit sacris vestibus indutus. D. 1145, 2. (110).

CAPUT IX

De septimo cereo

¶ — Celebrante episcopo, candelabra septem super altari ponantur. CE, I, 12, n. 12.

Septimus cereus cum suo candelabro eiusdem sit dimensionis ac cetera altaris candelabra, vel si ista non sint inter se aequalia, sit aliis altior et ponatur in medio retro post crucem; vel si crux cum imagine Crucifixi suspendatur vel ponatur pone altare, septimus cereus ponitur in linea cum aliis sex, nec sufficit parvam candelam in summitate crucis vel coram ea locare (111).

Iure ad septimum cereum super altari gaudent :

1 — Summus Pontifex ubique : *Si Papa celebrat super altare candelabra* [cerei] *septem ardent*. CA, lib. III, sect. V (112-113).

(110) *De Ritu SSmae Crucis Romano Pontifici praeferendae* scripsit apostolicus sacrista (1574-1595) Ausgustinus Molari Fivizzanus, Romae ex typ. Vaticana, 1592 in 4, qui, humilitate ductus, titulum episcopalem officio suo annexum, constanter rejecit, Hurter ed. 3, III, col. 360; Andreas Saussagius de hoc sacro ritu ante archiepiscopum egit anno 1628 (vide Bibliographiam), necnon Pompejus Sarnelli († 1724) *Della Croce che precede gli arcivescovi*, Lettere ecclesiastiche, Venetiis 1718, IX, p. 84; Giorgi, *De liturgia R. P.*, I, c. v, p. 45 : demum optime quidem Thomassin, *Anc. et Nouv. Discipline*, II, p. 121-8, et ultimo Moroni et bene, 18, p. 260.

(111) Locatio septem candelabrorum super altari supponit spatium liberum cum unico gradu (vel etiam sine eo), nam si in medio altari aderit tabernaculum vel imago titularis vel thronus, quaeque res in altari maiori ecclesiae cathedralis non supponuntur appositae, difficile vel impossibile erit candelabrum cum cereo super eo locare.

(112) Scripsit Innocentius III c. 1194 "... in missa solemni Papae praeferuntur duo lumina cum incenso" (l. II, c. 8, MPL, 206, col. 804) et "... in cornibus altaris duo sunt constituta candelabra, quae, mediante cruce, faculas ferunt accensas"; et infra "inter duo candelabra in altari crux collocatur media". I, II, c. 21, *ib.*, col. 811. Sed quaeritur quandonam facta est mutatio, nam in ordine Romano Card. Cencii postea Honorii III (c. 1198), legitur "notandum quod septem faculae debent esse in missa super altari... deinde Dominus Papa incipit missam solemnem". Mabillon, ordo XII, p. 168. Et cardinalis Gaietani (Stefaneschi † 1341) ait : "nota quod semper quando Papa celebrat solemniter debent poni super altari faculae septem". Mabillon, ordo XIV, cap. 69, p. 327. Petrus Amelius (c. 1342) : "Summus Pontifex cum septem

2 — SRE cardinales a latere legati (114).

3 — Episcopi residentiales in omnibus ecclesiis etiam exemptis sui territorii (115).

Praelati maiores, etiam privilegia locorum ordinariorum habentes, nequeunt celebrare cum septimo cereo, sunt enim :

1 — SRE presbyteri cardinales in ecclesia titulari quisque sua, NC, n. 61, necnon (116) cardinales omnes intra vel extra Urbem. " Septimum candelabrum in altari non apponetur, quocumque in magna etiam dignitate constituto ". Caer. Benedicti XIV pro Basilica Assisiensi, p. 17.

2 — Nuntius apostolicus in territorio suae missionis, vel metropolita intra suam provinciam sed extra propriam dioecesim. D. 4355, III, 6 a.

3 — Episcopi extranei qui loco episcopi ordinarii vices eius gerentes ad thronum celebrant, D. 4355, III, 6 b; nec episcopi administratores ad tempus dati, D. 2274, 6; sed nec administratores permanenter

faculis, cruce et incenso, incipit missam ". Mabillon, ordo XV, cap. X, p. 453. Sed etiam ordines romani VI et X, saeculi XII, de septem luminibus loquuntur.

Unde usque ad Innocentium III duo ardebant cerei super altari, Papa celebrante, qui quidem numerus quasi repente ad mysticum septem elevatus est, et CE illos ad omnes per orbem episcopos pastorales seu residentiales extendit. Questio haec non parvi momenti erit fusius, ab alia fortasse manu, explananda. Lectores remittimus ad Edmund Bishop *Six candles on the altar*, Liturgica historica, Oxford 1918, p. 301-313

(113) Si inspicias folia illuminata manuscriptorum videbis fere semper usque ad saeculum XV per universam Europam usum duorum cereorum ad altare iuxta monitum Innocentii III, et hodieusque in Ecclesia Anglicana duo adhibentur cerei in cornibus altaris. Inter tot MS verba nostra confirmantia vide Missel d'Autun (XV[e] s.), Leroquais, *Les Sacramentaires Manuscrits*, pl. XCV; Missel de Souvigny (XV[e] s.), *ibidem*, pl. XCVII; Heures de Philippe le Bon (XV[e] s.), Leroquais, *Les Livres d'Heures Manuscrits*, pl. XXXIV; Etienne Chevalier, *Livre d'Heures*, Add. Ms. 16997, fl. 145, Brit.Mus. Septem candelabra super altari nunquam depinguntur, tamen in quodam psalterio saeculi XIII septem habentur cerei sed modo mystico in caelo. Leroquais, *Les Psautiers Manuscrits*, pl. XLVI.

(114) *Norme Ceremoniali* de usu septimi cerei a cardinali a latere legato tacent, tacent decreta. Tamen, sicuti fere semper vidimus, viget usus dandi cardinali a latere legato omnia honoris vel iurisdictionis insignia, et non sine causa, cum ipsi personam Supremi Antistitis gerunt.

(115) In hodierna legislatione liturgica septimus cereus unicum est episcopi ordinarii insigne, quod aliis praelatis maioribus qui de iure gaudent privilegiis locorum ordinariorum veluti patribus cardinalibus non conceditur, et haec est communis doctorum sententia. EL, 1920, p. 294. Id tamen non fuit semper sic et Paris de Grassis septimum cereum omnibus cardinalibus concedebat, ait enim " ... celebrante episcopo maxime cardinali ... septem luminaria aequalia, tamquam septem planetales stellae, apponantur ... et non plures quam septem nec pauciora quam sex ". *De caeremoniis cardinalium*, l. I, c. 26, f. 26 v. Certe si de septem cereis loquitur lex, non sunt apponendi duodecim vel plures, sicut non nunquam videre est.

(116) Propter verba Paridis superius citata docebat suo tempore Catalanus cardinales presbyteros septimum adhibere cereum in suis titulis. CE, I, p. 254, ed. Parisiensis.

constituti si sedes episcopalis non vacet (117) nec vicarii apostolici qui de speciali facultate celebrant ad thronum, nam administratoribus apostolicis aequiparantur.

¶ — Praelatis ex ordine sacerdotali, inter quos adnumerantur praelati et abbates nullius et protonotarii participantes vel non, vetitus est usus septimi cerei. Dec. Alexandri VII, n. 1131, 1; DD. 348; 1725, 2; 1745; IM sancti Pii X, n. 6.

QUANDO ADHIBENDUS

Septimus cereus conceditur exclusivo modo intra missarum solemnia quae pontificali ritu ad thronum celebrantur, CE, I, 12, n. 12, et etiam ad missas lectas quae vestes pontificales postulant, veluti ad ordines maiores conferendos. Non adhibetur ad vesperas sive ad alias quascumque functiones liturgicas, D. 235, 8; sed nec ad ritus qui missam pontificalem immediate praecedunt, veluti ad benedictionem candelarum, si eo die episcopus celebret, nec ad functiones de requie. CE, II, 11, n. 1.

Septimus cereus, cum sit iurisdictionis signum, adhibetur a loci ordinario celebrante ad faldistorium coram suo metropolita vel praelato superioris gradus (118).

CAPUT X

De instrumento pacis

In missis planis adhiberi solet instrumentum pacis. CE, I, 24, n. 12

In missa lecta publice celebrata coram episcopo dioecesano, vel ab eo seu ab alio celebranda coram praelatis dioecesano maioribus, vel etiam magistratibus et fidelibus in missa solemni, pax datur per osculatorium, quod proinde pars est ministerii pontificalis.

Osculatorium fabricatur ex metallo deargentato vel melius ex solido argento. In parte superiori signum pacis, veluti *Agnus Dei* sculpitur. Subtus additur pes ad instrumentum firmandum et retro manubrium quo possit a ministro teneri.

(117) Verum est iuxta canonem 315 administratorem permanenter constitutum gaudere honoribus dioecesani, sed intellige sede vacante, nam si alius adest episcopus, et quidem titularis sedis, alteri omnia honorifica privilegia concedere in praxi aequivaleret destitutioni titularis, sed in singulis casibus privilegia ex litteris deputationis desumuntur (can. 314), nam duo in sede una lites generant.

(118) Ita docet Martinucci MM. III, p. 112. Sed si coram cardinali episcopus cetera iurisdictionis signa deponit et mantelletum induit, nec septimum cereum habere deberet. EPR, I, notam 172, p. 374.

Osculatorium originem in Anglia habuisse videtur. " Les instruments de paix sont de plus en plus nombreux et plus riches au xve siècle; ils deviennent, surtout en Italie, des objets d'art remarquables... ". RF, 6, p. 133-7, *Paix liturgique*. Pugin, *Glossary*, p. 192.

CAPUT XI

Res ministratoriae

¶ — Ministerium pontificale instrui debet lancibus et velis ne res episcopo praesentandae manibus teneantur. CE passim.

Lances adhibentur 1) ad sandalia cum caligis praesentanda, CE, II, 8, n. 7; 2) pro manutergio ad manuum lotionem, *ibid.*, n. 11; 3) pro cruce pectorali; 4) pro pectorali; 5) pro chirothecis; 6) pro sacro pallio; 7) ad spinulas eiusdem; 8) ad anulum qui tamen melius ponitur in capsula ad hoc confecta. CE, I, 12, n. 15.

Praeterea lances frequenter adhibentur cum elementis benedicendis vel cum rebus episcopo praesentandis.

Lances sint diversarum dimensionum ita ut una intra aliam conservari possit; sint potius formae rotundae sine pedibus.

Conficiuntur ex argento vel metallo deargentato, vel in solemnitatibus, si celebrans sit cardinalis, erunt inauratae.

Laudabiliter stemmata episcopi super ipsis sculpantur. Sex ad maximum lances adhibentur in solemnioribus functionibus, sed generatim quatuor sufficiunt.

¶ — Lances ex recepto more Romano non adhibentur ad vestes praelatitias, veluti biretum, pileolum, vel galerum sustinendum, sed nec pro cappa vel palliolo quae manibus portantur a familiaribus, nec adhibentur pro sacris vestibus veluti manipulo vel stola.

Vela ministratoria inserviunt ministris de mitra, CE, I, XI, n. 6, et de baculo, necnon magistratui qui manuum lotionem cardinalibus dat (CE, I, 11, n. 12) prout fit a Principe pontificio solio assistente cum ad Papam ad hoc officium accedit.

Vela ministratoria ponuntur circum spatulam extensa et infra genua ducuntur. Sint oblonga et latitudinis circiter triginta centimetrorum. Conficiuntur e panno serico (CE, I, 11, n. 6) albi coloris cum vittis ad collum et ad pectus, et cum fimbriis in extremitatibus. Tamen color sacrarum vestium non videtur prohibitus, excluso semper colore nigro pro velo mitrae quae est alba. Cf. RF, 8, p. 19-23, *Voiles des mains*.

LIBER II — DE REBUS

PARS III — DE ECCLESIIS MAIORIBUS

PARS TERTIA

DE ECCLESIIS MAIORIBUS

Ecclesiae maiores hic intelleguntur illae quae a Summo Pontifice creantur et specialibus, ab Eo vel a iure, liturgicis ornantur privilegiis, sunt enim :

1 — Basilicae patriarchales.

2 — Pontificia sanctuaria.

3 — Basilicae minores.

4 — Ecclesiae titulares SRE cardinalium presbyterorum et diaconiae cardinalitiae.

5 — Ecclesiae cathedrales.

6 — Ecclesiae abbatiales.

¶ — De ecclesiis collegialibus, quibus capitulum collegiale annexum est, hic non agitur, nam, licet capitulorum erectio iuxta canonem 392 Sanctae Sedi reservetur, liturgicis privilegiis iure communi non fruuntur; sed nec de ecclesiis abbatialibus monialium, licet earum erectio a Sancta Sede fiat. Quæ de ecclesiis cathedralibus exponuntur, congrua congruis referendo, ad abbatiales sunt transferenda.

CAPUT I

De basilicis patriarchalibus Almae Urbis

Basilicae patriarchales (1) Almae Urbis sunt quatuor, videlicet :

1 — Lateranensis SSmi Salvatoris (2), Ecclesia Cathedralis Summi Pontificis omniumque ecclesiarum Urbis et Orbis mater et caput (3). Armellini I, p. 121-133.

(1) Nomen basilicae patriarchalis idem sonat ac papalis seu apostolicae, et omnes, tum in Urbe tum extra eam, excepta basilica sancti Marci quae patriarchalis tantum est, ad Dominum Apostolicum pertinent pleno iure, a Tractatu Lateranensi et a conventione cum Regno Italiae confirmato. Patriarchales dicuntur eo quod Pontifex Summus est totius Occidentis Patriarcha. Exinde sequitur perperam basilicae Urbis patriarchis orientalibus distribui a nonnullis auctoribus, eo quod patriarchae huiusmodi nequeunt in illis throno pontificio uti nec ad altare maius celebrare, nec licebat patriarchis cum Romam veniebant crucem ante se ferri, et multo minus basilicam assumere uti propriam. *Vide notam 100*, p. 218. Quo tamen non obstante, basilicae maiores Urbis symbolicae vocabantur Patriarcharum orientalium ex eo quod annexum habebant patriarchinum ad eorum usum quoties ad Urbem visitationis vel oecumenici concilii interveniendi causa veniebant, sic basilica Liberiana erat patriarchae Antiochiae, Vaticana patriarchae Constantinopolitani et Ostiensis patriarchae Alexandriae. Cum postea patriarcha Hierosolymitanus ad Urbem ibat, ei data est basilica sancti Laurentii *al Campo Verano*, quae ita nomen basilicae patriarchalis assumpsit " Ce sont des choses non historiques mais historiées " ut verbis utamur cl. Petri Batiffol apud Chevalier, *N. D. de Lorette*, p. 497.

(2) Basilica Lateranensis " sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum, ita mater et quidem apex et vertex est omnium ecclesiarum per orbem " ait Petrus Damianus, propterea a Papa Sivestro Salvatori Nostro dicata est anno 324. Sanctus Hilarius († 468) tria aedificavit oratoria in baptisterio Lateranensi, sanctae Cruci, videlicet, et utrique Ioanni, Praecursori et Evangelistae, origo forsan nominis Ioannis basilicae Salvatoris dati, RF, *Le Latran*, p. 27. Deinde Sergius III († 911) anno 904 basilicam " ab imis " instauravit. De eo scripsit RF : " Il avait plus de droit qu'aucun autre pontife de laisser ses cendres dans l'Eglise dont il venait de restaurer les murs ". *Le Latran*, p. 93-95. Basilica proinde tum a sancto Silvestro, tum a maximo suo benefactore, Sergio III, SSmo Salvatori dicata est, propterea Ioannes Diaconus Ecclesiae Lateranensis scripsit " Basilica quae Salvatoris vocabulo consecrata est " ed. Mabillon II, p. 566, VII. Sanctus Bernardus non intellegebat quomodo basilica haec sancti Ioannis vocaretur et in Urbe praedicans ait " Electio proculdubio singularis est, in ista Urbe Ioannem vindicare Primatum Ecclesiae, quam Caeli duo lumina morte clarissima consecrarunt : Crucifigitur Petrus, gladiatur Paulus, et dignitas remanet Praecursori ". *Sermo de sancto Ioanne Baptista.* Vide *Piazza, Gerarchia cardinalizia*, p. 329.

Recurrente XVI iubilaeo consecrationis Basilicae (324-1924), Pius XI eam voluit basilicam Salvatoris optimo sane consilio nuncupari, prout in BrevRom, MisRom et MartRom die 9 novembris legitur. Certe Constantinus Basilicam Salvatoris in Laterano palatio aedificavit et ecclesiam sancti Ioannis in baptisterio in quo sacris aquis renatus est. Corrigendi sunt proinde auctores qui, nomine Salvatoris omisso, de basilica sancti Ioannis Baptista vel utriusque Ioannis loquuntur. Vide litteras *Inter alia* Pii XI, AAS, 1924, p. 233. RF, *Le Latran au moyen âge*, Paris 1877, in-8° avec atlas in-4°.

(3) Basilicam Lateranensem primum obtinere locum pluries declaraverunt Domini Apostolici. Sic fecit Gregorius XI solemnibus litteris *Super universa* Avenione

2 — Vaticana Sancti Petri super limina apostolica aedificata (4). Armellini II, p. 858-913.

3 — Liberiana Divinae Maternitatis B. V. Mariae in Exquiliis (5). Armellini I, p. 281-294.

4 — Ostiensis Sancti Pauli Doctoris Gentium (6). Armellini II, p. 1151-62.

subscriptis die 23 ianuarii 1372; Sixtus IV litteris *Quamvis de cunctis* diei 19 iunii 1475 dixit " ... eam omnium aliarum ecclesiarum speculum atque caput et principium obtinere ". Rem confirmavit sanctus Pius V litteris *Infirma aevi* diei 21 decembris 1569, et nostro tempore Pius XI s. m., nacta occasione XVI iubilaei consecrationis sacrosanctae Basilicae, litteris *Omnium Urbis et orbis*, AAS, 1924, p. 450. Propterea Ioannes diaconus Ecclesiae Lateranensis scribens ait " ... Ecclesia Lateranensis... super omnes ecclesias totius Orbis terrarum obtinet dominationem atque principatum ". Ed. Mabillon, II, p. 561. Sed quatuor basilicae patriarchales Urbis unum constituunt corpus cuius caput est basilica Lateranensis, iuxta doctrinam cardinalis de Luca pluries traditam. Miscellaneae, *Disc. I*, n. 26; Many, *De locis sacris*, p. 120. Basilicae Ostiensis et Vaticana eodem die in officio commemorantur veluti unum quid. Vide notam 107.

(4) De vetusta Basilica Vaticana scripsit Armellini, hac de re facile princeps : " La storia della Cristianità a cifre monumentali era scritta in quell' insigne monumento, che in modo grandioso rappresentava il concetto dell' universalità della chiesa... Dopo undici secoli di una storia così gloriosa, Niccolo V concepì il pensiero di rinnovare la basilica; Paolo II s' accinse all' opera; Giulio II la incominciò e fù proseguita da Leone X, Clemente VII, Paolo III, Giulio III, Marcello II, Paolo IV, fino agli altri successori (tandem Urbanus VIII novam basilicam sacravit). Imponente, chi lo nega, è la cupola Vaticana, splendida la basilica attuale, forse l' arte vi avrà guadagnato, non però la storia, che vide irreparabilmente perire, sotto il piccone degli artisti paganeggianti del secolo XVI, i tesori d' arte e di religione che tutte le generazioni cristiane per undici secoli avevano ivi senza interruzione accumulato ". *Le Chiese di Roma*, ed. 2ª, Roma 1891, p. 728.

(5) Basilica Liberiana a Papa Liberio, romano († 366), fundata, et ab alio romano sancto Sixto III († 440), teste Libro pontificali, exstructa est et consecrata circa annum 435, post definitionem concilii Ephesini veluti perenne in Urbe monumentum maximi tituli Virginis, Divinae videlicet Maternitatis. Novum altare cum suo ciborio dedit Benedictus XIV, qui suis manibus illud unxit die 30 septembris 1750. Intentio erat Pontificis basilicam denuo consecrare, sed, probato ex litteris Gregorii IX ecclesiam a sancto Sixto III rite fuisse consecratam, a nova consecratione abstinuit, sed iussit ut cruces consecrationis apponerentur, deerant enim, una cum lapide commemorativo consecrationis ecclesiae a Sixto III et arae maximae ab ipso perfectae, ad perpetuam memoriam. Allocutionem Benedicti XIV ante altaris consecrationem factam invenies in suo bullario, Opera, 17, p. 434.

Praeter testimonium Gregorii IX, legitur in codicibus martyrologii hieronymiani *Non. Aug. Romae. Dedicatio basilicae sanctae Mariae*, nec scitur cur de ea silent tum calendarium primi missalis Romani typis impressi Mediolani 1474, tum calendarium basilicae Vaticanae a Card. Thomasio edito anno 1688, *Opera*, IV, p. 11, cum iam saeculo XIV in Urbe festum hoc celebrabatur. Quod quidem festum sanctus Pius V ad totam Ecclesiam Latinam extendit, sed Benedictus XIV rationes dans resolutionis Pii V, principalem omisit, seu quia una est et unica e quatuor maioribus basilicis Urbis cuius consecratio Urbi et Orbi non celebrabatur. Benedictus XIV, *De festis D. N. Iesu Christi et B. M. Virginis*, *Opera*, IX, p. 271. Sed etiam extra Urbem festum dedicationis Basilicae B. M. V. ad nives celebrabatur saeculis XIII et XIV. Leroquais, *Les Missels Manuscrits*, III, tables, p. 357.

(6) Vetus basilica Ostiensis duro incendio destructa est die 15 iulii 1823, quando ex hac vita migrabat Pius VII, unus e suis carissimis monachis. Iterum aedificatam

Quatuor Basilicae patriarchales Almae Urbis decem ornantur specialibus privilegiis, videlicet :

1 — Summo Pontifici immediate subiiciuntur cum omnimoda exclusione iurisdictionis Gubernii Italiae, vi articuli 13 Tractatus Lateranensis, et quidem cum annexis aedibus, quae in pacificam possessionem Sanctae Sedis transierunt.

2 — Earum consecratio Summo Pontifici reservatur, eiusque dies anniversarius in tota Ecclesia Latina celebratur (7 et 7 A).

3 — Earum ara maxima Summo Pontifici reservatur, et in Basilica Sanctae Mariae etiam altare ad praesepium. " Continens enim est traditio, quod supra Basilicarum Urbis, quae Patriarchales et Papales

cura Romanorum Pontificum, tandem Pius IX, die 10 decembris 1854 " biduo postquam Mariam sine labe conceptam fide credendam edixit, eam solemni ritu consecravit ". Cardinales sex, inter quos Manning, uti coadiutores inservierunt, et archiepiscopi quatuor infulati reliquias portaverunt, in altari conversionis sancti Pauli sepeliendas, nam Gregorius XVI die 4 octobris 1840 altare papale tunc absolutum consecraverat.

(7) 1 — Benedictus XIII die 28 aprilis anni 1726 basilicam SSmi Salvatoris iterum Deo solemni ritu dicavit, cuius tamen dies anniversarius reponitur die 9 novembris prout semper factum est, nam ecclesiam Salvatoris beatus Silvester publice consecravit hac ipsa die anno 324, antea enim non fiebant dedicationes solemnes. *MartRom scholiis instructum, AA. SS. Dec.*, p. 506; MisRom, ed. 1ª impressa, Mediolani 1474, *H. B. So*, p. XXIII; calendarium Bas. Vat. Card. Tomasi, p. 15.

2 — Novam basilicam sancti Petri die 18 novembris 1626, quo die eius memoria celebratur, solemniter consecravit Urbanus VIII. EPR, II, notas : 37, p. 153; 109, p. 164.

3 — Eodem die celebratur dies anniversarius dedicationis basilicae sancti Pauli a Pio IX consecratae die 10 decembris 1854 ut in nota supra habetur. EPR, II, nota 27, p. 152. Oportuit ut consecratio basilicarum Apostolorum eodem celebraretur die, sicut eorum natales uno die commemorantur, propterea ita fieri debere statuit Pius IX, iuxta vetustum usum romanum, nam in prima editione impressa MisRom, Mediolani 1474, ed. *H. B. So*, p. XXIII et in calendario basilicae Vaticanae a card. Tomasio edito, *Opera*, IV, p. 15, die 18 novembris legitur " Dedicatio Basilicarum SS. AA. Petri et Pauli ".

4 — De consecratione basilicae sanctae Mariae Maioris egimus in nota 105 supra.

(7A) De festo Dedicationis Archibasilicarum SS. AA. Petri et Pauli, deque eorum sacris spoliis agit, effuso calamo, Benedictus XIV. Defendit auctor thesim conservationis ss. Corporum ad Catacumbas tempore persecutionum et serius ad eorum basilicas, teste Hieronymo : " (Petrus) sepultus Romae in Vaticano iuxta viam Triumphalem, totius orbis veneratione celebratur; (Paulus) Romae pro Christo capite truncatus, sepultusque est Via Ostiensi ". *De scriptoribus ecclesiasticis*, c. 1 et c. 16. In hoc studio polito nimis, Benedictus XIV, plus, si id dicere licet, eruditionis suae amplitudinem denotat quam in aliis suis scriptis. Benedictus XIV, *De festis Apostolorum*, opera inedita, edita a F. Heiner, Herder, 1904, cap. VI, p. 107-28 : complementum est operis sui *De festis D. N. Iesu Christi et B. V. Mariae.*

nuncupantur, altare maius solus Pontifex Romanus solemnia egerit ". Pius XI *Omnium Urbis et Orbis.* AAS, 1924, p. 450 (8).

4 — In eis pontificius thronus erigitur (9).

5 — Ornantur porta sancta quae tempore sacri iubilaei aperitur (10).

6 — Sunt capellae papales, eo quod in ipsis certis per annum diebus habentur (11 ad 13).

(8) Summi Pontifices argumentum magnum de reservatione altaris basilicarum patriarchalium semper fecerunt; sic Innocentius X iussit ut sine apostolico indulto nullus ad altare confessionis sancti Petri celebret. Moroni, 44, p. 274. Benedictus XIV, qui suis sumptibus altare sanctae Mariae Maioris aedificavit, praecepit ut nullus praeter Romanum Pontificem in eo sacrum litaret sine speciali mandato, quod quidem dedit cardinali De Gentilibus ut die 30 septembris 1750 missam dedicationis celebraret expleta ab eo altaris consecratione. *Opera*, 17, p. 228. Postea basilicam Assisiensem ad patriarchalem dignitatem evehens semel et iterum sibi, suisque successoribus reservavit altare maius inferioris et superioris ecclesiae ex parte throni *Caer. Bas. Ass.*, p. XI, et quo privilegia basilicae sancti Petri codificavit altare maius sibi iterum reservavit. *Ad honorandam* §§ 4 et 16. Idem Pontifex de speciali gratia permisit ut in die commemorationis sancti Pauli, episcopus solio pontificio assistens sacrum ad altare papale basilicae Ostiensis celebret. Moroni, 8, p. 260. Iisdem fere verbis usus est sanctus Pius X cum basilicam de Portiuncula ad dignitatem basilicae patriarchalis evexit. Origo reservationis huiusmodi, prout in BrevRom, die 9 novembris legitur, ab altari ligneo sancti Petri, a Papa Silvestro I in Lateranensi Basilica posito, requirenda est. Ioannes, Ecclesiae Lateranensis Diaconus, scripsit circa saeculum X " ad hoc sacrosanctum altare... nullus ad sacrificandum audet accedere praeter Domnum Apostolicum et septem cardinales episcopos eiusdem ecclesiae hebdomadarios ". Mabillon, *Museum Italicum*, II, p. 566. De ecclesia sancti Petri scripsit anno 1382 anonymus benedictinus in *Memoriale ecclesiarum Romæ* : " Primo est ibi altare maius in capite ecclesiæ, in quo nullus audet celebrare nisi Summus Pontifex ". March, *Liber Pontificalis ex codice Dertusensi completus*, Barcinone, 1925, p. 228.

(9) Pontificius thronus pars est essentialis basilicae Apostolicae, propterea Benedictus XIV iussit ut in basilica Assisiensi aedificaretur. Idem, fere duobus elapsis saeculis, fieri iussit sanctus Pius X in basilica de Portiuncula. In nova basilica Ostiensi nobilis pontificius thronus videre est. Miraberis vero, invisitans basilicam Vaticanam, altare papale in media ecclesia videns sine tamen throno pontificali. In antiqua basilica Vaticana non erat sic et pontificius thronus aderat. Armellini, p. 729. Exoptare licet ut aliquando ad locum suum revertatur thronus, nam altare papale sine throno pontificio haud intellegitur.

(10) Pro iubilaeo anni 1500, ab Alexandro VI indicto, praecepit Pontifex, iuxta votum Burchardi sui caeremoniarum magistri, ut portae aureae in quatuor basilicis patriarchalibus aperirentur; de basilica sancti Pauli tamen, ait Burchardus, " neque abbas neque monachi ullo modo sciebant quae esset porta aurea in dicta ecclesia " quod quidem absurdum nimis fuisse censuit. *Liber notarum*, ed. *Celani*, II, p. 190. Usus exinde aperiendi portas quatuor basilicarum saeculo XIV iam erat receptus, sed nihil mirum, nam ritus huiusmodi habetur in ecclesiae dedicatione et in processione Dominicae Palmarum, et ritus contrarius in expulsione poenitentium feria quarta in capite ieiunii; orationes et versiculos composuit Burchardus, prout testatur ipse : " certam orationem composueram ", p. 188. De cruce hastata a pontifice in manu ferenda tacet Burchardus, de cereo Papae tantum loquens p. 191. Lectores remittimus ad eruditum opus H. Thurston s. j., *The Roman Jubilee*, London 1925, chapter II, *The Holy or Golden Door.*

(11) Capella papalis vocatur functio solemnis, Papa celebrante vel assistente seu cui assistere supponitur et cui intervenire debet sacrum cardinalium Conlegium cum tota praelatura. Locus in quo functiones hae celebrantur vocatur capella Papalis

7 — Reguntur a cardinali archipresbytero, qui in basilica Vaticana est etiam loci ordinarius; basilica sancti Pauli vero est nullius dioecesis cum abbate qui eam nomine Sanctae Sedis regit.

8 — Gaudent titulo " Sacrosanctae " (14).

9 — Tres priores basilicae ornantur capitulo praelatorum qui privilegiis protonotariorum supra numerum fruuntur. Vide lib. I *De protonotariis supra numerum*.

10 — Amplo honorantur conopeo ex auro et serico villoso rubri coloris, *de velours rouge lamé d'or*, cum annexis tintinnabulis cum clavibus et tiara pontificali in superiori parte incisis.

Basilica Vaticana singularibus ornatur privilegiis a Benedicto XIV codificatis in litteris **Ad honorandam** cum 69 paragraphis, diei 27 martii 1752. Citare expedit privilegia maiora, videlicet : in ea 1) consecratio et coronatio Pontificis modo electi peragitur, § 16; 2) consecratio imperatoris expeditur, § 18; 3) beatificationes et canonizationes peraguntur, § 20; Opera, 17, p. 361-389; 4) Sacra pallia benedicuntur et conservantur, Benedictus XIV *Rerum ecclesiasticarum*, 12-8-1748; 5) proprium habet breviarium cum vetusto psalterio Romano a quo canonici basilicae nunquam recesserunt (15).

et in primis sic vocatur et est nobilissima capella Sixtina in Vaticano. Cum in basilicis patriarchalibus capellae papales celebrantur, eo ipso illae ad dignitates duas insimul electae fuerunt.

(12) Antiquitus mulieribus non licebat capellis Papalibus in Sixtina interesse; nonnulli Papae id permittere voluere, sed Paris de Grassis innovationem permittere non est passus, tandem Pius VII capellas Papales devoto sexui patefecit.

(13) Cancelleri et Novaes docent capellas papales in Palatio Apostolico Avenione incepisse sub beato Urbano V († 1371). Moroni, 8, p. 122. Maiora incrementa capellae receperunt sub Sixto IV († 1484) qui capellam Sixtinam in aevum ampliavit et decoravit. Sed Sixtus V voluit capellas seu potius stationes iterum in basilicis Urbis celebrare, eorumque elenchum redegit. Moroni, 8, p. 142. Summis Pontificibus tamen tempus non suppetit ad stationes celebrandas, et usu invaluit ut etiam diebus solemnioribus capellae papales in Sixtina celebrentur. Moroni explanata opera de capellis papalibus egit in suo *Dizzionario* (8, p. 114-320; 9, p. 1-168), separatim edita : Le capelle pontificie, cardinalizie e prelatizie, volume unico in Venezia 1841, 408 p., in-8°, de quo exstat editio ad usum Galliae adaptata *Histoire des chapelles papales* par Gaetano Moroni, traduit par A. Manavit, Paris 1846, 500 p., in-8.

(14) Titulus *sacrosancta* prius Ecclesiae Lateranensi datus est, deinde ad alias basilicas maiores extensus. De eo testatur Ioannes Diaconus Lateranensis. Mabillon, *Museum Italicum*, II, p. 560.

(15) Basilicae sancti Petri sacrum semper fuit id quod a maioribus accepit tueri et conservare, et quando sanctus Pius V permisit ut illi quorum breviarium vel missale in usum per bis centos annos foret, illa retinere possent, basilica Vaticana psalterium iuxta vetus usum romanum retinuit ipsa sola. Hac de re Antonius Martivetti, clericus beneficiatus basilicae Apostolicae eruditam suo tempori edidit dissertationem *De psalterio romano*, Romae 1745, x+116 p., in-8°. Novissimum breviarium basilicae suis sumptibus edidit Pius XI s. m., et cardinalis Merry del Val, sacrosanctae Basilicae archipresbyter, Officium Maioris Hebdomadae edidit et ecclesiae sibi carissimae decoro dono dedit.

¶ — Basilica sancti Laurentii *al Verano* patriarchalis vocari solet, tamen nequit cum quatuor maioribus Urbis basilicis comparationem sustinere ex eo quod portam sanctam non habet nec aliis ornatur maiorum basilicarum privilegiis (16 ad 18).

(16) Inter quas basilicas Urbis poni debet basilica sancti Laurentii in via Tiburtina, cum maioribus vel cum minoribus? Docent auctores illam datam fuisse Patriarchae Hierosolymitano et esse eo ipso maiorem. Sed quando? Secundum quosdam id factum est post concilium Chalcedonense (oecumenicum IV, anno 451) vel secundum alios post concilium Constantinopolitanum II (oecumenicum V, anno 553); Moroni dicit basilicam fuisse a sancto Silvestro consecratam anno 330 et statim ad dignitatem patriarchalem evectam, vol. 12, p. 62; Armellini de concessione tituli patriarchalis tacet; Piazza eam basilicam patriarchalem vocat cum annexa *Abbatia cardinalitia*, non secus ac vetus Basilica Ostiensis : Non conveniunt auctores nec quoad saeculum. Armellini II, p. 1075-1086.

Cum duae erant basilicae iuxta positae, una erat minor, altera vero vocabatur maior; id forsan explicat nomen basilicae maioris a nonnullis datum. Certe nequit in eadem linea poni ac quatuor basilicae Apostolicae ex eo quod non solum litterae pontificiae hac de re desunt, vel sunt ignotae, cum desunt plurimae notae quae in illis habentur, utpote porta sancta, cardinalis archipresbyter et subiectio Sanctae Sedi, nam de ecclesia hac tacent conventiones cum Gubernio Italiae. Insuper dies dedicationis basilicae nec in calendario romano ponitur. Certum tamen est saeculo XI et prius basilicam sancti Laurentii specialem locum inter ecclesias Urbis iam obtinuisse, et Ioannes, diaconus ecclesiae Lateranensis, XXVIII cardinales presbyteros in quatuor divisit partes, septem pro unaquaque ecclesia, videlicet : Sanctae Mariae Maioris, sancti Petri, sancti Pauli et sancti Laurentii, licet duae ultimae sint extra muros. Erant ecclesiae archipresbyterales. Mabillon, *Museum Italicum*, II, p. 574, § XVI.

Verum est altare maius basilicae sancti Laurentii a nonnullis uti altare papale haberi eo quod basilica haec patriarchalis vocatur, non tamen legimus litteras apostolicas talis insignis concessionis sicuti habentur pro quatuor basilicis maioribus Urbis et pro duabus sancti Francisci. Quando Leo X anno 1521 altare Scalae Sanctae aram papalem declaravit, id motu proprio fecit, Moroni, 62, p. 67, nam tam singulare privilegium omnibus notum sit oportet. Concludere licet cum voto cuiusdam illustris consultoris SRC et caeremoniarii apostolici : " Quatuor tantum primariae ecclesiae Romae basilicae maiores dicuntur seu patriarchales ecclesiae ". *Suffragium ad decretum 2744* diei 27 augusti 1836, IV, p. 358. Nomina consultorum desunt in fere omnibus responsionibus eo quod SRC suffragia facit sua, dolendum tamen silentium. De basilica sancti Laurentii scripsit Antonius Muñoz *La Basilica di san Lorenzo fuori le mura*, Roma (Palombi Ed.) 1944, in-4°. Magna ex parte destructum est tempore Europaei belli templum hoc e celebrioribus Urbis basilicis. Vide etiam DACL, 8, 2, col. 1931.

(17) Mirum est auctorem tanti ponderis veluti Bartholomaeum Piazza *Gerarchia cardinalizia*, Roma 1703, p. 346, basilicas patriarchales Urbis in duos divisisse ordines : tres maiores quas *sacrosanctas* vocat (Lateranensem, Vaticanam et Liberianam) et duas quibus nomen sacrosanctae et dignitatem maioris denegat, quas abbatias cardinalitias et ecclesias patriarchales vocat (sancti Pauli videlicet et sancti Laurentii) " per lo più erano questi abbati assunti al cardinalato ". Sed quando scripsit ipse iam per plurima saecula basilica sancti Pauli erat altioris gradus, sacrosancta videlicet cum porta aurea, eiusque consecratio celebrabatur per modum unius cum basilica Vaticana, et quidem in tota Ecclesia latina. Vide notam 7.

(18) Amplissima exstat bibliographia de basilicis et ecclesiis Urbis. Moroni de ipsis diffuse agit sub propriis titulis; sed opus classicum edidit Armellini, *Le chiese di Roma*, ed. 3ª, cum illustrationibus cura Carlo Cecchelli, 2 tomi in-4°, Roma 1942, cui annexavit bibliographiam absolutam, monumentalis quidem labor. Lectoribus commendamus parvum opus Tani, *Le chiese stazionali di Roma*, edizioni Celanza, Torino 1922, in-16° et collectionem fasciculorum *Le chiese di Roma illustrate*, Danesi editore, Roma.

CAPUT II

De Basilicis patriarchalibus extra Urbem

Basilicae patriarchales extra Urbem duae adnumerantur, videlicet sancti Francisci Assisii et sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula, quae iisdem fruuntur privilegiis ac basilicae patriarchales Urbis, demptis porta sancta et capitulo patriarchali.

1 — **Ecclesia sancti Francisci Assisii** ad dignitatem basilicae patriarchalis et capellae papalis evecta est a Benedicto XIV litteris sub plumbo *Fidelis Dominus* diei 25 martii 1754 " ....Ecclesiam Nostram sancti Francisci de Apostolicae potestatis plenitudine in Basilicam Patriarchalem et capellam papalem erigimus..., aeque ac pariformiter nuncupari et haberi volumus ac aliae basilicae patriarchales intra Almam Urbem... necnon capellae papales in Pontificiis aedibus constitutae...", § 5 (19).

Praecepit insuper Benedictus XIV ut Pontificius thronus in ecclesia superiori et in ecclesia inferiori aedificaretur et ut utrumque altare maius ex parte quae thronum pontificium respicit Summo Pontifici reservaretur (§ 6) et ut sacrae functiones in eadem basilica persolvendae in proprio caeremoniali referrentur (20).

Cum in basilica adsit thronus pontificius, etiam SRE cardinalis legatus ad faldistorium solemnia missarum celebrat.

Non secus ac basilicae patriarchales Urbis, basilica sancti Francisci fruitur titulo *Sacrosanctae*, et magno ornatur conopeo ex auro et serico villoso rubri coloris cum tintinnabulis et tiara, in capite processionum adhibendo.

Dies anniversarius consecrationis basilicae ab universo Ordine Seraphico celebratur die 25 maii.

(19) Basilica sancti Francisci ab incunabulis sub altissima protectione Romanorum Pontificum vixit. Sic Gregorius IX, duos abhinc annos ab obitu Seraphici Patriarchae, eum sanctorum catalogo Assisii adscripsit et primarium lapidem basilicae suis manibus posuit, eamque exemptam esse edixit; deinde Innocentius IV anno 1253 eam consecravit; tandem Benedictus XIV eam patriarchalem declaravit sub iurisdictione cardinalis legati et omnium ecclesiarum ordinis sancti Francisci caput et mater.

Elevatio ecclesiarum sancti Francisci et sanctae Mariae Angelorum ad tam excelsam dignitatem responsiones fuerunt duorum pontificum e maioribus, Benedicti XIV videlicet et sancti Pii X, somnio Innocentii III, et ipse Ecclesiae luminare, qui Patriarcham Franciscum labefactantem ecclesiam Lateranensem instaurandam caelesti lumine vidit. RF, *Le Latran*, p. 184.

(20) " Caeremoniale pro basilica Assisiensi Benedicti XIV Pontificis Maximi iussu editum, in Patriarchalem et Capellam Papalem erecta, Romae 1754 ". XXXII+76 p., in-8°. Opus sat rarum de quo nova editio hodierno iuri adaptata postulatur.

Basilica a iurisdictione episcopi Assisiensis excluditur, et cardinalis legatus a Summo Pontifice eligitur ad basilicam nomine et auctoritate Papae regendam. Benedictus XIV, opera, 17, 2, p. 181-190.

Tandem vi art. 27 conventionis inter Sanctam Sedem et Regnum Italiae basilica Assisiensis cum suis annexis de pleno iure in proprietatem Sanctae Sedis transiit.

2 — **Ecclesia sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula,** non secus ac basilica Assisiensis, ad excelsam dignitatem basilicae patriarchalis et capellae papalis evecta est a sancto Pio X litteris *Omnipotens ac misericors Dominus* datis die solemni Paschae Resurrectionis Domini anni 1909. " Eamque... aeque ac pariformiter nuncupari et haberi volumus ac aliae basilicae patriarchales intra almam Urbem " (21).

Basilica patriarchalis de Portiuncula iisdem fruitur privilegiis ac basilica patriarchalis Assisiensis cum cardinali legato qui " iurisdictionem pontificiam, ut ipsam Summi Pontificis Personam inibi repraesentans, exercet ". Caer. Bas. Ass. n. 227.

Basilica proprio regitur caeremoniali a Benedicto XV approbato die 21 novembris 1917 litteris *Decessor Noster* motu proprio datis (22).

Dies anniversarius consecrationis basilicae ab universo ordine seraphico celebratur die 2 augusti cum officio de Beata Maria Virgine, non secus ac basilicae Sanctae Mariae Maioris.

CAPUT III

De pontificiis Sanctuariis

Sanctuaria pontificia sunt basilicae maiores quae ad hanc dignitatem a Summo Pontifice evehuntur, et a locorum ordinariorum iurisdictione eximuntur; gaudent privilegio praecedentiae et umbraculi cum tintin-

(21) " Nec paulum honoris eidem Sanctuario ex eo accesit, quod plures Romani Pontifices... ad Templum sanctae Mariae Angelorum peregrinationem susceperint et in continenti Coenobio morati sint,... eamque caput et Matrem Ordinis Minorum iure esse appellandam decernimus, quemadmodum Assisiensis Basilica a... Benedicto XIV simili titulo est aucta ". Sanctus Pius X, litterae *Omnipotens ac misericors*.

(22) " Caeremoniale Patriarchalis Basilicae et Capellae Papalis sanctae Mariae Angelorum de Portiuncula a Summo Pontifice Benedicto XV approbatum. Romae 1926 ". XXXI+179 p., in-8°. Praemittuntur litterae apostolicae de privilegiis nobilis Basilicae tractantes. Generatim sequitur Caeremoniale Basilicae Assisiensis cum necessariis modificationibus. In caeremoniali praeparando laboraverunt Paschalis Brugnani OFM, tunc SRC consultor acceptissimus et Gregorius Ciarelli OFM.

nabulis, aliisque, praesertim spiritualibus, a Sancta Sede concessis. Duo exstant sanctuaria pontificia, videlicet Lauretanum et Patavinum.

1 — **Ecclesia Lauretana** est insignis basilica maior et pontificium sanctuarium sub pleno et directo Apostolicae Sedis dominio, vi articuli 27 conventionis inter Sanctam Sedem et Regnum Italicum, suppressa a Pio XI ecclesia cathedrali Lauretana, litteris *Lauretanae Basilicae*, diei 15 mensis septembris anni 1934. AAS, 34, p. 578. Nuntius Apostolicus in Italia nunc fungitur munere Apostolici Commissarii eiusdem basilicae cum suis annexis (23).

Basilica ornatur capitulo collegiali inde a Leone X cum specialibus insignibus et privilegiis (24).

Solent Summi Pontifices peregrinationis causa Lauretanam basilicam invisitare sicuti fecerunt Gregorius XIV, et Pius IX septies tempore sui pontificatus, ut recentiores tantum memorentur. Chevalier, *N. D. de Lorette*, p. 450.

2 — **Ecclesia sancti Antonii Patavini** a Pio XI vocatur *Pontificia et insignis Basilica*, estque proinde basilica maior et pontificium sanctuarium, quae cum suis annexis " a iurisdictione ordinarii Patavini in omnibus exempta, iurisdictioni Nostrae directo subiiciuntur ". Pontifex vero iurisdictionem per pontificium delegatum exercet. Pius XI, litteris *Iam annus elapsus*, in festo sancti Antonii Patavini anno 1933. AAS, 33, p. 325-8.

Antoniana basilica cum suis annexis, vi paragraphi 27 conventionis cum Regno Italiae, Sanctae Sedi devoluta est cum pleno iure proprietatis, id enim necessarium erat ut sanctuarium pontificium esse posset et basilica maior renunciari.

(23) Domus Lauretana licet sit sanctuarium pontificium titulo basilicae patriarchalis non fruitur cum nunquam hunc titulum fuisse concessum legitur, tamen Paulus IV litteris *Divina disponente clementia* declaravit basilicam Lauretanam primum locum tenere intra ecclesias per Orbem (extra Urbem) Deiparae dicatas. De ea scripsit Ulyssis Chevalier : " Il n'y a pas, que je sache, dans la chrétienté, de coin de terre qui, au point de vue de la juridiction ecclésiastique et civile, ait été sujet à d'aussi perpétuelles vicissitudes ". *N. D. de Lorette*, p. 474. De antiqua Sacra Congregatione de Loretto, a sancto Pio X Congregationi Concilii annexa, vide APC, 02, p. 527. Ad quaestionem historicam quod attinet, lectores remittimus ad opera recentiora duo quae oppositas defendunt theses, videlicet Ulysse Chevalier, *N. D. de Lorette*, Paris 1906, et Gaston Gorel, *La Sainte Maison de Lorette*, Paris 1936, qui tamen argumentis Chevalier directe nec respondet nec ea citat.

(24) Canonici basilicae utuntur cappa violacea cum pellibus armellineis in hieme; tempore vernali vel autumnali adhibent cappam cum caputio ex serico *cremisi* ex determinatione Benedicti XIII, et tempore aestivo super rochetum adhibent superpelliceum : usus qui rationi optime quadrare videtur. Insuper canonici gaudent privilegio a Pio VII concesso die 15 iulii 1801, specialis crucis pectoralis cum imagine B. M. V. incisa, quae tamen " Forma et magnitudine a crucibus episcopalibus differat et sit absque sacrarum reliquiarum custodia ". Bul. Pii VII, pars I, p. 152 et 495; APC, 02, p. 528.

CAPUT IV

De Ecclesiis per orbem specialibus privilegiis ornatis

Nonnullae ecclesiae insignes extra Urbem singularibus ornantur privilegiis, sunt enim :

1 — *Basilica Sancti Sepulchri D. N. Iesu Christi* in Monte Calvario, prope locum ubi crucifixus est Iesus, primum locum inter basilicas maiores et pontificia sanctuaria obtinere deberet; sed forsan ex eo quod in ea capellae religionum dissidentium exstant, pars catholica in basilicam maiorem erigi nequit. Nunc quaestio de nova et perampla basilica aedificanda iterum agitatur sub benefico halitu Delegati Apostolici D. Gustavi Testa. Exoptare licet ut nova basilica quam primum aedificetur cum vetus basilica temporum iniuria periclitetur. Ita enim aliquando repetetur, elapsis saeculis, consecratio huius basilicae quae, a Constantino incoepta, die festo exaltationis Sanctae Crucis anno 335 tam solemni modo a Patriarcha Maximo II Christo divino sartori dedicata est. Consule *Il Santo Sepolcro di Gerusalemme — splendori — miserie — speranze, nella ricorrenza dell' ottavo centenario della consacrazione della Basilica crociata, 15 luglio 1149-1949, a cura della Custodia di Terra Santa*. Opus in-4°, perpulchris illustrationibus ornatum.

2 — *Basilicam sancti Marci* evangelistae in nobilissima Venetiarum civitate Pius VII, litteris *Ecclesias* diei 24 septembris 1821; " ad patriarchalis ecclesiae gradum ac dignitatem de Apostolicae potestatis plenitudine " extulit, adiecto titulo basilicae, et " in ea patriarchalem sedem et cathedram " erexit. Bul. Pii VII, pars II, 2186 § 4. Vide notas 35 et 36 libri I, p. 52-53.

3 — Ecclesiam Metropolitanam *Ulyssiponensem* Clemens XI, litteris *In supremo apostolatus* diei 7 novembris 1716, " nomine, titulo et praerogativis patriarchalis ecclesiae " motu proprio instituit et in ea sedem Patriarchae posuit prout in capite sequenti exponitur.

4 — In sacrario *Basilicae de Aquileia* legitur inscriptio : " Benedictus XIV P. M., suppressa patriarchali dignitate, Sanctae Sedi hoc Templum immediate subiecit, in basilicam erexit et munificentissime restauravit A. D. M. DCC. LIII ". Vide litteras Benedicti XIV *Iniuncta nobis*, § 15, diei 6 iulii 1751, opera, 15, p. 306 et alias diei 19 ianuarii 1753, citatas in *La Basilica di Aquileia*, Bologne 1933, in-4° : G. Vale, *Storia della Basilica dopo il secolo IX*, p. 47-105.

5 — In votis omnium est ut tandem aliquando in Alma Urbe aedificetur basilica in honorem *sancti Michaelis Archangeli*, Ecclesiae Dei defensoris maximi, ad locum tenendum vetustae et disiectae basilicae " Sancti Angeli " in Via Salaria, cuius Dedicationis festum in universali Ecclesia quotannis celebratur sub ritu duplicis primae classis die 29 septembris. In eo enim, ut verbis utar Martyrologii Hieronymiani, angelica praecellit natura. Vide *MartRom scholiis instructum*, AA SS, mense decembris, p. 423; Armellini II, p. 1060.

6 — Amplissima Ecclesia Metropolitana *sancti Iacobi* Archidioecesis de Compostella, in qua corpus Apostoli a saeculis asservatur, specialibus gratiis et privilegiis ornatur cum indulgentia iubilari; etenim anno 1954 et quoties festum Apostoli Iacobi incidit in Dominicam, in ea sanctum iubilaeum celebratur, cuius Porta Sancta solemni ritu aperitur et clauditur. Enimvero Portam Sanctam Maiorum Urbis Basilicarum Compostellae habuisse genesim scimus.

¶ — 1. Ceterae per Orbem ecclesiae, licet perinsignia sanctuaria sint fidelium veneratione, titulo tantummodo basilicae minoris ornantur ut in titulo sequenti habetur.

2. Exoptare licet ut non tantum concessio tituli *Basilicae Minoris* Sanctae Sedi reservetur sed etiam concessio tituli *Sanctuarii Minoris*, qui solet praesertim a religiosis ordinibus suis ecclesiis dari.

CAPUT V

De Basilicis minoribus

Art. I. — De basilicis minoribus Almae Urbis

Praeter quatuor maiores et patriarchales basilicas Urbis, plurimae aliae ecclesiae Basilicae titulo honestantur. Templa haec in duos dividuntur ordines; primo veniunt illa quae veneranda Urbis traditione sic vocantur et habentur, deinde quae currente saeculo ad hanc dignitatem pontificia concessione evecta fuerunt. De istis nulla datur difficultas, sufficit enim litteras apostolicas percurrere : octo adnumerantur, quae iuxta ordinem chronologicum dantur. De illis tamen non conveniunt auctores. Iuxta Moroni, quem Battandier aliique auctores sequuntur APC, 1900, p. 562, sunt novem cum sancto Laurentio *al Verano*. Moroni, 8, p. 263. Tani sexdecim ecclesiis titulum hoc

concedit (25); in *Diario Romano* anni 1926, prae manibus, viginti octo ecclesiae basilicae titulo distinguuntur. De principalibus tamen omnes sunt concordes prout infra habetur.

A — Vetustae Basilicae minores Urbis

1 — Sancti Laurentii in Via Tiburtina, quae etiam *minor patriarchalis vocatur* seu patriarchae Hierosolymitani. Armellini II, p. 1075-86. Vide notas 116-117.

2 — Sessoriana seu Heleniana Sanctae Crucis in Hierusalem, in ea enim sacrae passionis Christi reliquiae asservantur. Est etiam titulus cardinalitius. Armellini II, p. 981-989.

3 — [SS. AA. Petri et Pauli et] Sancti Sebastiani ad Catacumbas in via Appia, in qua posita fuerunt sacra apostolorum corpora tempore persecutionis Marci Aurelii. Armellini II, p. 1112-28.

Hae tres basilicae, ad instar maiorum basilicarum Urbis, visitationi obnoxiae sunt peregrinorum ad sacri iubilaei indulgentiam consequendam et quotannis ad indulgentiam plenariam obtinendam (26).

4 — Sanctae Mariae trans Tiberim ad sanctum Calixtum, quae est prima aedes romana Deiparae dicata primusque titulus cardinalitius Urbis, et romanis civibus carissima. Armellini II, p. 783-796.

5 — Sancti Laurentii in Damaso, quam Papa Damasus exstruxit. Est etiam titulus cardinalitius. Pulchra legitur inscriptio dicata ab

(25) Iuxta Tani, *Le chiese di Roma*, septem ecclesiae stationales basilicae titulo ornantur : 1 — sancti Clementis; 2 — sanctae Ceciliae; 3 — sancti Marci; 4 — sanctorum Cosmae et Damiani; 5 — sancti Chrysogoni; 6 — sanctae Praxedis; 7 — sancti Pancratii. Sed plurimae aliae ab aliis auctoribus basilicae declarantur, veluti sanctorum Ioannis et Pauli, Quatuor Coronatorum, sanctae Sabinae, aliaeque. Criteria diversa sequuntur : alii ecclesias cum altari versus populum basilicas vocant, dum alii sequuntur antiquam notionem basilicae, seu aulae imperialis cum columnis, quae sic optime definitur : " Basilica : a kingly hall : oblong structure with columns, having an ambulatory of lower height, receiving light from above and possesing a projecting addition designed to serve a particular purpose ". Gietmann in *Catholic Encyclopedia*, II, p. 326. Aulae hae in insuperabili saeculo IV in ecclesiis conversae fuerunt, altari in parte principali apposito. Sed hic designatio *basilicae* sumitur in sensu iuridico et non architectonico.

(26) Ad lucrandum indulgentiam iubilaei anni 1500 Alexander VI statuit visitationem quatuor maiorum basilicarum Urbis. Burchardus, liber notarum, vol. II, p. 179. Id etiam probat saeculis XV et XVI ecclesiam sancti Pauli fuisse basilicam maiorem patriarchalem non secus ac aliae tres, et basilicam sancti Laurentii non fuisse eiusdem sed inferioris gradus. Tamen usus visitandi septem Urbis basilicas etiam quotannis iam exstabat saeculo XVI et prius, nam Ignatius de Loyola cum suis sociis eas invisitavit uno die, die 22 aprilis 1541, prout in peregrinorum more erat, idque approbavit Sixtus V in bulla *Egregia populi Romani pietas* diei 13 februarii 1586. Plenariam indulgentiam concessit Pius IX breve diei 26 ianuarii 1866. Vide Moroni, 64, p. 299, *Sette chiese di Roma*; Preces et Pia Opera, ed. 1938, p. 577.

illo cultore martyrum "Haec (ego) Damasus tibi Christe Deus nova tecta dicavi". Armellini I, p. 457-463.

6 — Sanctae Mariae in Cosmedin, id est, bene ornata, est enim pulcherrima gemma Urbis. Armellini II, p. 735-743.

7 — Duodecim Apostolorum, quae prius erat SS. AA. Philippi et Iacobi, et ubi eorum reliquiae asservantur. Est etiam titulus cardinalitius. Armellini I, p. 309-312.

8 — Sancti Petri ad vincula, ubi catenae apostoli conservantur. Est etiam titulus cardinalitius. Armellini I, p. 260-263.

9 — Sanctae Mariae *del Popolo* in *Piazza del Popolo*. Est etiam titulus cardinalitius. Armellini I, p. 387-391.

Et omnes, demptis Sancto Sebastiano et Sancta Maria *del Popolo*, sunt ecclesiae stationales.

B — Ecclesiae Urbis hoc saeculo ad basilicae gradum evectae

1 — Sancti Laurentii in Lucina (nobili matrona romana saeculi IV), vetustum quidem templum Urbis, iterum instauratum et litteris sancti Pii X diei 27 novembris 1908 ad hanc dignitatem evectum. AAS, 1909, p. 229; acta Pii X, vol. V, p. 330. Est 2us titulus cardinalitius et inde a saeculo V ecclesia stationalis. Armellini I, p. 353-8.

2 — Sanctae Mariae Angelorum (vetus titulus sancti Cyriaci) ad Thermas Diocletiani, litteris Benedicti XV diei 20 iulii 1920. AAS, 1920, p. 435. Est etiam titulus cardinalitius. Armellini II, p. 1016; Huelsen, *Le chiese di Roma nel medio evo*, Firenze, Olschki 1927, p. 245, n. 31.

3 — Sacratissimi Cordis Iesu ad Castrum Pretorium, a sancto Ioanne Bosco aedificata, litteris Benedicti XV diei 11 februarii 1921. AAS, 1921, p. 192, APC, 1922, p. 655. Sed prima ecclesia in Urbe Cordi Iesu dicata sita est *via Lante in Gianicolo* et consecrata die 7 iulii 1843. Armellini II, p. 803.

4 — SS. Ambrosii et Caroli *san Carlo al Corso*, litteris Pii XI diei 21 decembris 1929, qui in ea sacrum primo Deo litavit. AAS, 1930, p. 387. APC, 1931, p. 910. Armellini I, p. 410.

5 — Sancti Antonii Patavini in via Merulana, litteris Pii XI diei 21 augusti 1931. AAS, 1932, p. 224. Collegium internationale OFM sancti Francisci adiacet templo.

6 — Sancti Andreae *delle Fratte*, ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, in *via S. Andrea delle Fratte*, litteris Pii XII, G. R., diei 25 aprilis 1942, AAS, 1942, p. 275. In ea Dei servus Alphonsus

de Ratisbona visionem Virginis Mariae habuit, et baptizatus est. Armellini I, p. 365.

7 — Sancti Eugenii Papae I, in Valle Iuliae, parte acceptissima Urbis, quam aureum iubilaeum sui sacerdotii celebrans, Pius XII, G. R., datis litteris die 23 maii 1951, ad dignitatem Basilicae Minoris evexit; et aram maximam in festo sancti Eugenii Papae I anni 1951 solemni ritu sacravit, adstante Sacro Conlegio cum frequentissimo populo (et auctore huius libri). AAS, 1951, p. 461.

8 — Sanctae Teresiae a Iesu, *Corso d' Italia*, litteris Pii XII, G. R., diei 29 octobris 1951. AAS, 1952, p. 613.

ART. II. — DE BASILICIS MINORIBUS EXTRA URBEM

Titulus basilicae minoris, clero et populo acceptissimus, quo Summus Pontifex ecclesiam honorandam quodammodo facit suam, tempore Benedicti XIV, excipe forsan Ecclesiam de Aquileia, *vide* p. 237, n. 4., non concedebatur et saeculo elapso admodum raro dabatur, sed saeculo nostro conceditur, quasi sine interruptione, praesertim maioribus sanctuariis cum omnes tam nobilem titulum obtinere cupiunt pro ecclesia quisque sua.

1 — Prima ecclesia titulo basilicae minoris ornata, ni fallimur, sita est in civitate Tolentina in Italia et sancto Nicolao († 1305) dicata, qui saeculo XVIII erat carissimus populo, sed nunc fere ignotus, mutantur enim tempora etiam quoad sanctorum devotiones. Litteras concessionis dedit Pius VI g. m. die 27 iulii 1783, qui in Tolentina civitate voluit pactum cum Napoleone firmare. Bull. Pii VI, pars 2^{a}, p. 1298 (27).

2 — Pius VII s. m., "ad perennandam et itineris in Galliam Nostri et diuturnae Nostrae in hac urbe commorationis... et memoriam ecclesiae in qua pontificali ritu hostiam placationis obtulimus", datis litteris Parisiis *In supremo militantis* 27 februarii 1805, ecclesiae metropolitanae honores basilicae minoris "cum conopeo et tintinnabulo" concessit. Bull. Pii VII, pars I, p. 663 (28).

(27) Verum est Pium VI basilicae sancti Nicolai dedisse privilegia "quibus aliae basilicae minores fruuntur"; forsan in mentem habebat minores basilicas Urbis. Benedictus XIV titulum basilicae ecclesiae de Aquileia dedit, omisso verbo *minoris*. Per totum bullarium saeculi XVIII alias ecclesias hoc titulo ornatas non invenimus et Pius VII gratiam concedens ecclesiae metropolitanae Parisinae dixit facere velle id quod Pius VI pro ecclesia sancti Nicolai fecit; concessio tituli basilicae minoris erat res nova in iure et quaenam essent basilicae minores Urbis non conveniebant tunc tempore auctores sicut nec hodie, cum esset potius quaestio traditionis. Creatio basilicae sancti Nicolai a Pio VI portas aperuit ecclesiis per orbem extra Urbem.

(28) Idem Pius VII die 17 augusti 1804 ecclesiae cathedrali dioecesis Recinatensis titulum basilicae concessit eo quod basilica de Loretto in eadem civitate eodem titulo aucta erat, id male ferentes canonici cathedralis. Bull. Pii VII, pars I, p. 620. Pius IX,

In DDC, II, col. 244-245 habes relationem basilicarum Galliae; in RevEcBras, 1952, p. 889 relationem basilicarum Brasiliae, sunt enim sexdecim. Catalogus basilicarum aliarum nationum utilis esset, sed cum earum numerus multiplicatur ita ut plurimae ecclesiae hoc titulo ornatae extra propriam dioecesim haud cognoscuntur, difficile et extra ordinem nostrum esset absolutam earum per nationes relationem dare.

ART. III. — DE MINORUM BASILICARUM IURIBUS ET PRIVILEGIIS

1 — Inprimis ecclesiae titulo basilicae minoris auctae ipso titulo honorantur et a ceteris eiusdem gradus ecclesiis distinguuntur; agitur enim de honorifico privilegio et singulari distinctione a Christi Vicario concessa, qua ecclesia honoranda veluti sub sua Apostolica protectione ponitur.

2 — Propterea basilicae minores praecedunt ceteras ecclesias *eiusdem gradus* : sic ecclesia paroecialis hoc titulo ornata in processionibus ceteras ecclesias paroeciales, ecclesia cathedrali excepta, praecedit, et si basilica sit ecclesia collegialis, ceteras collegiales ecclesias praecedit. D. 2575.

3 — Basilicae gaudent usu magni conopei in forma umbraculi rotundi et portatilis. Conopeum conficitur ex sericis fasciis, alternantibus pontificalibus coloribus rubro et flavo, cum hasta in medio, ita ut partes possint in processionibus explicari; omne ornatum aureum vel argenteum, utpote basilicarum maiorum privilegium, excluditur (29).

Conopeum adhibetur in capite processionum, sed si ecclesia cathedralis praesens aderit et basilicae titulo non ornetur, conopeum basilicae in processionibus, obsequii causa, non ibit. Extra processiones conopeum clausum reponitur in scrinio, a parte dextera seu evangelii presbyterii.

4 — Basilicae adhibent etiam tintinnabulum in capite hastae, quod una cum conopeo in processionibus portatur et unum quid cum eo constituit.

5 — Si basilica sit ecclesia cathedralis vel collegialis clero saeculari concredita, canonici rite utuntur cappa praelatitia lanea violacei coloris

die 13 martii 1874 cathedrali suffraganeae Urbis, Albanensi videlicet, titulum " perinsignis basilicae minoris " elargitus est. Sanctus Pius X basilicam sancti Stephani Protomartyris Hierosolymis ad hanc dignitatem evexit litteris *Divino sane* diei 10 iunii 1904. ASS, 37, p. 630.

(29) Conopeum insigne est reale et supremae auctoritatis, et colores ruber et flavus pontificii sunt, eosque ab antiquo Romano Senatu in spolium recepit Apostolicus, eorumque concessio ecclesiam electam sub Pontificis vexillo quodammodo ponit. Expedit conopeum et tintinnabula Romae emi ut fabricentur iuxta receptum morem romanum sine tiara et sine clavibus, quae basilicis maioribus reservantur. Parva imago titularis basilicae apponi potest in capite sustentaculi tintinnabuli. Vide Colruyt, *L'Art d'Eglise*, 1950, fasc. primus.

cum pellibus armellineis ad instar canonicorum maiorum basilicarum Urbis (30).

Si vero basilica sit ecclesia abbatialis, abbas ad fruendum usu cappae magnae indultum a SRC impetrare debet. Vide notam 78 de cappa.

6 — Ad introitum basilicae apponuntur stemmata regnantis Pontificis.

7 — In loco conspicuo narthecis basilicae apponatur lapis cum tituli concessione sub stemmatibus pontificis qui gratiam concessit ad tam gratae rei memoriam.

8 — In stemmatibus et sigillo ecclesiae conopeum insculpitur cum nomine basilicae; tintinnabula tamen non apponuntur, sunt enim inferioris gradus relate ad conopeum, sed nec tiara cum clavibus quae basilicis maioribus tantum conceduntur (31).

9 — Basilicae minores laudabiliter impetrabunt filiationem uni e maioribus basilicis Urbis, praesertim Lateranensi, ad spiritualibus fruendum privilegiis ipsis annexis. Benedictus XIV *Assiduae sollicitudinis* diei 6 maii 1751. Pius IX litteris *Inter omnia* diei 26 augusti 1852 filiationem Basilicae de Loretto permisit (32).

ART. IV. — REQUISITA AD TITULUM BASILICAE MINORIS OBTINENDUM

Sacra Rituum Congregatio, ad titulum basilicae minoris de liberalitate Summi Pontificis concedendum, haec requirit :

1 — Templum antiquitate, amplitudine, magnificentia sit clarum. Antiquitas relative aestimatur, praesertim si alia requisita adsint.

(30) In brevibus concessionum privilegia basilicarum non mentionantur, sed legitur tantum : " Privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, indultis, quibus aliae huiusmodi basilicae uti solent ", vel in recentioribus legitur : " quibus fruuntur basilicae minores Urbis ". Privilegia a iure non declarantur, tamen SRC in D. 2744, diei 27 augusti 1836, sequens votum consultoris, quod in tomo IV, p. 357-360 legitur, privilegia quae hic retulimus elargita est. Conopeum cum campanula concessit Pius VII ecclesiae metropolitanae Parisiensi, et basilicae ecclesiae collegiatae sancti Iacobi in dioecesi Calatayeronensi. D. 2575; quod quidem pro omnibus basilicis confirmavit SRC, addita tamen cappa violacea cum pellibus armellineis, quae propria est canonicorum maiorum basilicarum Urbis.

(31) Docet F. D'Ambrosio *(vide notam 32)* super documenta quae a rectore basilicae minoris exarantur posse stemmata pontificia imprimi. Id esset absonum : pontificia stemmata ad ianuam admittuntur ex rationabili consuetudine et permissione saltem praesumpta Papae, qui quodammodo basilicam suam esse declaravit, nam ut bene ait idem auctor " omnibus regiis domibus convenit, in sua externa fronte, regis stemmata exhibere " : sed in foliis et documentis rectoris ecclesiae id non licet.

(32) De basilicis minoribus in iure agunt Molien A., *Basilique*, DDC, II, col. 242-249 *La basilique au sens moderne*; Many, *De Locis Sacris*, Parisiis 1904, p. 119-123 *De basilicis*; F. D'Ambrosio OM Conv., *De basilicarum minorum historia et iuribus* (de historia tamen nihil dicit) *Ius pontificium*, VI, Romae 1926, p. 17-22; Battandier in APC, 1900, p. 550-565; C. Cecchelli, *Basilica* in Enciclopedia Católica.

Amplitudo et magnificentia templi pensandae sunt, ut basilica revera esse possit et vocari.

2 — Clerus numero sufficiens ecclesiae addictus sit oportet, ut sacrae functiones, praesertim sollemniores, eo splendore ac frequentia peragi possint, prout decet.

3 — Ad hoc quam maxime confert ut templum sacra supellectili et numero et pretiositate ditatum sit, ut, maximo cum decore, liturgia celebretur.

4 — Quae quidem vix obtineri possunt, nisi ecclesia tuto in omnibus provisa sit quoad cultus expensas. In petitione autem reditus ex quocumque fonte habiti indicandi sunt.

5 — Cum maius decus habeatur si ecclesia corpus alicuius sancti possideat, ad cuius sepulchrum veneraturi accedere possint fideles, hoc indicetur, et etiam si aliae reliquiae insignes habeantur, vel imagines seu simulacra quae celebritatem quamdam ecclesiae praebeant.

6 — Oportet insuper ecclesia sit consecrata.

7 — Petitio ab ordinario loci facienda aut saltem commendanda est, etiamsi ecclesia sit exempta, propterea episcopus docere debet quot et quales in sua dioecesi basilicae exstent, an proposita ecclesia aliis quovis titulo praestet. Ad hunc finem, Sacrae Rituum Congregationi mittantur opuscula, libri, illustrationes photographicae, quae ecclesiae internam externamque formam, structuram, ornatuum magnificentiam et splendorem describant.

8 — Praeterea necesse est ut capitulum ecclesiae cathedralis vel capitulum sive rectores maiorum ecclesiarum vicinarum nihil e contrario habeant.

CAPUT VI

De diaconiis Cardinalitiis

ART. I. — DE LITURGICIS PRIVILEGIIS CARDINALIUM IN SUIS DIACONIIS

Licet iuxta vigentem legem cardinales omnes "saltem in ordine presbyteratus constituti sint" can. 232, § 1, tamen Ordo cardinalium

diaconorum immutatus non est et cardinales huius Ordinis diaconi esse censentur (33). Proinde in sua quisque diaconia :

Possunt thronum erigere ad instar cardinalium Ordinis presbyterorum, nequeunt tamen functiones sacras peragere ritu pontificali, sed tantum missae, vesperis aliisque functionibus solemnibus intervenire cum cappa praelatitia rubea vel violacea iuxta tempus illis permittitur. NC, n. 61. Cardinali assistunt clerici duo seu diaconi assistentes tantum. In fine functionum benedictionem solemnem impertiuntur dicentes *Sit nomen Domini benedictum* etc. cum triplici signo crucis (34) et indulgentias consuetas impertiuntur.

ART. II. — CATALOGUS DIACONIARUM URBIS

Hadrianus I (772-95) numerum diaconorum dioecesis Romanae statuit XVIII, et quando saeculo XII Ioannes diaconus Lateranensis

(33) In hodierna legislatione cardinales omnes sacerdotali charactere ornati sint (CIC, 232, § 1) : etenim non amplius licet ordines minores vel maiores conferre clericis qui ad sacerdotium ascendere non intendunt CIC, 973, § 1. Tamen Concilium Tridentinum id non praecipit et etiam elapso saeculo non erat sic : ut ceteros praetermittam, Cardinalis Consalvi, a secretis status Pii VII, diaconatum ingressus est quum ad sacrum Conlegium electus est; Cardinalis Antonelli, a secretis status Pii IX charactere diaconali fulgebat tantum : et sic de multis : ad ecclesiam praesertim in temporalibus regendam sacerdotium non erat necessarium. Insuper ordo receptus concordabat cum gradu in Sacro Conlegio, sic si cardinalis diaconus ad sacerdotium admitteretur, fas ei erat ad titulum optare in consistorio. Sed Sixtus IV anno 1473 nonnullis cardinalibus sacerdotibus quos promovit dedit diaconias et non titulos. Abusus vero irrepserunt et non raro ad cardinalatum promovebantur clerici nec in minoribus ordinibus constituti cum onere recipiendi diaconatum vel presbyteratum, quod nunquam recipiebant. Vide Morinus, de sac. Ecc. Ordinationibus, ed. Antuerpiana, p. 222.

(34) Saeculo XVII plurimum scripserunt auctores de liceitate vel non benedictionis solemnis, et triplicis quidem, a cardinalibus ex ordine diaconali impertiendae, quousque SRC id fieri posse et debere decrevit die 15 septembris 1668, quam responsionem confirmavit Clemens XI die 20 eiusdem mensis. D. 1373. Ed. Gardellini D. 2304. Dubitationis ratio ex absentia sacerdotii oriebatur, episcopus enim dicit *Ut quaecumque benedixerint benedicantur* sacerdotibus, non vero diaconis; sed contra diaconi diversas dant benedictiones liturgicas, et sacramenta maxima, Baptismum scl. et Eucharistiam, administrant ritu sacerdotali. Tamen ratio principalis concessionis ex eo sumpta est quod cardinales diaconi in suis diaconiis revera officiis divinis praesunt et iurisdictionem exercent.

Quando editio typica Ritualis Romani anni 1925 praeparabatur, quaestio iterum venit discussa, an scilicet licebat diaconis in administratione Eucharistiae fideles absolvere ad verba *Indulgentiam, absolutionem* et eos in fine ritus benedicere, et SRC affirmative quaestionem solvit propter declarationem Clementis XI. Certe Papa determinare potest quaenam benedictiones dari possunt a ministris et sacerdotibus, et etiam his plurimae denegantur et episcopis vel facultatem habentibus conceduntur.

De benedictione diaconali scripserunt : Card. Franciscus Maria Brancatius (Brancacci), Dissertationes, Romae 1672 (Hurter, ed. 3, IV, p. 307 et 351, alius tamen a Laurentio Brancatio); Piazza, Gerarchia Cardinalizia, p. 710-716; Moroni, 19, p. 288 et 291; 75, p. 234.

scripsit librum de ecclesia sua dixit "XVIII diaconi qui totidem ecclesias habent infra muros civitatis... et omnes sunt canonici patriarchalis Basilicae Lateranensis". Ex his, sex erant diaconi palatini seu Basilicae et duodecim erant regionarii. Ed. Mabillon, II, p. 567, art. VIII. Et Panvinius scribens anno 1567 ait, p. 142 "Diaconias semper XVIII fuisse legi, et nunquam, vel novis additis vel antiquis sublatis, mutatas usque ad Leonis X pontificatum", qui primus diaconias Sti. Honuphrii *nel Gianicolo* et Sti. Caesarei in Palatio erexit die 6 iulii 1517. Tandem Sixtus V anno 1587 quum numerum cardinalium LXX esse debere statuit, XIV ex ordine diaconorum voluit (35).

In *Annuario Pontificio* traduntur, servato alphabetico ordine, nomina XIV ecclesiarum Urbis titulo diaconiae cardinalitiae decoratarum, cum duabus supra numerum; quas hic damus, sed iuxta antiquum ordinem praecedentiae seu antiquitatis diaconiae.

1 — Stae Mariae in Domnica (lege in Dominicum seu Domus Dei) *della Navicella, al Celio*, quae saltem inde a Leone III (795-816) reservatur priori diaconorum qui in vicino palatio habitat. Armellini I, p. 611 (36).

2 — Stae Mariae (in Schola graeca) in Cosmedin *presso il Circo Massimo*. Armellini II, p. 735-743.

3 — Stae Mariae in Porticu (stae Gallae) *in Campitelli, Piazza omonima*. Armellini II, p. 772 et 1296.

4 — Stae Mariae in Via Lata *al Corso*, ad quam Sixtus V transtulit stationem Sti. Cyriaci, vide titulum cardinalitium n. 2. Armellini I, p. 574-581.

5 — Stae Agathae *dei Goti, Via Mazzarino*. Armellini I, p. 252; sed vide II, p. 1228.

(35) Ex octodecim ecclesiis quae a Ioanne Diacono Lateranensi citantur uti diaconiae, quatuor fuerunt a Sixto V destructae vel suppressae anno 1587, sunt enim:
1 — Stae Luciae in Septem Soliis seu Viis prope monasterium sti Gregorii. Armellini I, p. 630.
2 — SS. Sergii et Bacchi in Vaticano. Armellini II, p. 923.
3 — Sti Theodori. Armellini I, p. 649.
4 — Stae Luciae in Capite Suburrae. Armellini I, p. 273.

(36) Prior diaconorum, qui in palatio ecclesiae sanctae Mariae in Domnica habitabat, erat principalis clericus Urbis, cui munus incumbebat proclamandi et incoronandi electum pontificem, erat enim SRE archidiaconus. Observari etiam expedit quod si cardinales presbyteri nomen e suo titulo sumebant, cardinales diaconi, cum essent administratores regionum in rebus temporalibus, nomen regionis assumebant et non ecclesiae, id tardius factum est. Scitu dignum est quod si in Urbe tres exstant cardinales archipresbyteri, nullus exstitit archidiaconus, nam cum voluissent illi etiam iurisdictionem exercere, Gregorius VII titulum abolevit. Vide Morinus, *De sac. Ecc. ordinationibus*, ed. Antuerpiana, p. 223.

6 — SS. Cosmae et Damiani *al Foro Romano*, antiquae ecclesiae stationalis horum martyrum medicorum qui male habentibus inserviunt. Armellini I, p. 196.

7 — Stae Mariae in Aquiro *a Piazza Capranica*. Armellini I, p. 281; II, p. 1195.

8 — Sti Georgii *in Velabro nel Palatino*. Armellini II, p. 776 et 1302.

9 — Sti Hadriani *nel Foro Romano*, a SSmo Dno Nostro Pio XII ad ecclesiam Sti. Pauli in Arenula *alla Regola, Via omonima*, quo permansit Apostolus "cum custodiente se milite" translata die 25 ianuarii 1946, litteris sub plumbo *Sancti Hadriani*, AAS, 1947, p. 54. Armellini I, p. 202 et 485; II, p. 1406.

10 — Sti Eustachii ad Pantheon. Armellini I, p. 525-530.

11 — Sti Nicolai in Carcere Tulliano, *presso Piazza Montanara*. Armellini II, p. 765-771.

12 — SS. Viti, Modesti et Crescentiae, *Via Carlo Alberto nel Esquilino*. Armellini II, p. 1002 et 1473.

13 — Sti Angeli *in Pescheria presso il Portico di Ottavia* "uno dei primi esempi romani di basilichetta triabsidata". Armellini II, p. 689.

14 — Stae Mariae Novae, inde ab anno 1664 ad sanctam Mariam *della Scala, Via della Scala in Trastevere*, translata. Vide titulum presbyteralem n. 53. Armellini II, p. 800; 1375.

15 — Sti Apollinaris, episcopi Ravennatensis et martyris, *Piazza omonima*. Ecclesiam a se reaedificatam suis manibus consecravit Benedictus XIV die 21 aprilis 1748. Ab anno 1517 ad 1587 erat ecclesia titularis et etiamnunc solet dari in titulum novis cardinalibus presbyteris. Pius XI, litteris sub plumbo *Recenti conventione*, diei 26 maii 1929, AAS, 1929, p. 308, diaconiam, quae inde a Bonifacio VIII erat apud ecclesiam Stae Mariae ad Martyres ad Pantheon Agrippae, ad vicinam ecclesiam Sti Apollinaris, quae est etiam Lipsanotheca Vicariatus Urbis, transtulit. Armellini I, p. 589; II, 1374, agit de S. M. ad Martyres; Armellini I, p. 421; II, p. 1256 de Sto Apollinario agit.

16 — Sti Caesarei in Palatio sive *in Turri* prope Stum Sixtum, a Clemente VIII erecta anno 1600. Armellini II, p. 729 et 1274; sed vide I, p. 636 et II, p. 1276.

CAPUT VII

De SRE Cardinalium ecclesiis titularibus

ART. I. — DE LITURGICIS PRIVILEGIIS CARDINALIUM IN SUIS TITULIS

SRE Cardinalibus ex ordine presbyterali dat Summus Pontifex, in consistorio secreto quo anulum tradit, ecclesiam Urbis in titulum, quam deinde auspicato die cardinalis solemni modo assumit in suam.

Cardinalis titularis praeses et antistes est ecclesiae suae et in ea pluribus gaudet iuribus et privilegiis nec desunt onera (37-38), etenim ecclesia cardinalis est veluti sua ecclesia cathedralis, cum iure communi cardinales Romae commorari supponuntur, et in Urbe quisque ecclesiam sibi propriam habere convenit et decet.

Cardinales presbyteri in suis titulis, postquam eorumdem canonicam possessionem ceperint, omnia possunt quae locorum ordinarii in suis ecclesiis (facere possunt)... CIC, 240, § 2. Unde licet cardinalibus presbyteris, etiamsi charactere episcopali non sint insigniti, in suo cuique titulo :

1 — Pontificalia peragere ad thronum servato ritu episcopi dioecesani, non excluso baculo (CIC, 240, § 3; NC, n. 50) et salutatione per genuflexionem.

¶ — 1. Quoad missam observa : missa solemnis celebratur ritu ordinarii ad thronum : adsunt presbyteri cum casula ad instar capituli, sed septimus cereus non apponitur et absolutio post homiliam omittitur.

2. De throno cardinalium in suis titulis vel diaconiis vide caput XI, de sedibus, p. 210.

(37) Cardinales quam plurimi qui in Urbe domicilium habebant prope ecclesiam suam morabantur et de spiritualibus curam habebant. Sic de venerabili viro Iosepho Maria Thomasio, Theatino, qui " tanto virtutum suarum lumine per universalem Ecclesiam splendere coepit, ut sanctum cardinalem Borromaeum revixisse videretur ", legitur quod " in sui tituli ecclesia (SS. Martini et Silvestri) non modo matutinis et vespertinis horis in choro festis quibuscumque diebus cum suis familiaribus clericis aderat, sed etiam rudibus catechizandis pueris dabat operam ". Bulla beatificationis, Bull. Pii VII, pars I, p. 477.

(38) Summi Pontifices iteratis vicibus cardinales titulares rogarunt ut " erga ipsas ecclesias (titulares), si reparatione indigeant vel alia subventione, de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant et liberales " Cons. Sixti V *Religiosa sanctorum* anni 1587. Sufficit enim historiam ecclesiarum titularium percurrere ad videndum quot, decursu saeculorum ad nostra usque tempora, fuerunt a suis titularibus reparatae seu instauratae et ornatae : ecentissime cardinalis Spellman frontem ecclesiae SS. Ioannis et Pauli reinstruxit. Vide Piazza, p. 348 : *Degli obblighi de' cardinali ne' loro titoli e diaconie.* Vide notam 47.

2 — Functiones Romani Pontificalis peragere ad normam iuris prout pro unaquaque functione in *Expositione Pontificalis Romani* legitur, seu illis tantum exclusis quae episcopalem gradum requirunt si cardinalis eo non gaudet, veluti ordinationes maiores.

3 — Cappa praelatitia induti, missae, vesperis, aliisque solemnibus functionibus assistere (39).

4 — Indulgentias concedere ter centorum dierum in fine functionum, nunquam vero plenariam.

¶ — Si cardinalis ad sedem suburbicariam promoveatur, potest, de speciali permissu Papae et ad eius nutum, proprium titulum in commendam retinere, quo in casu in illo iisdem gaudet iuribus liturgicis ac ante promotionem seu non secus ac cardinalis titularis.

Antistites Armeni Ritus ad sacrum conlegium electi quoad vestes et ritus sequentes servabunt normas :

1 — In suis vestibus praelatitiis retinent formam et modum praelatorum Armenorum sed colores cardinalium Romani Ritus : proinde loco rochetti, mantelleti et pallioli humeralis, utuntur toga talari, vulgo *Verargon*, rubei coloris lanea vel serica, vel violacei coloris lanea, iuxta tempus, quam etiam adhibebunt in actibus civilibus loco ferraioli romani, et utuntur cappa serica vulgo *Pilon* sed caudata, quoties cappa adhibetur.

2 — In capella Papali vel in suo titulo si antistes ipse vel Summus Pontifex celebret, utentur Ritu Romano et vestibus praelatitiis solito more non secus ac cardinales Ritus Romani. Dec. S. C. Caer. diei 30 novembris 1880. Acta Leonis XIII, vol. 2, p. 166. Decretum pro praelatis Armeni Ritus datum, normas tradit a cardinalibus aliorum rituum orientalium servandas.

¶ — De privilegiis liturgicis cardinalium archipresbyterorum Maiorum Basilicarum, consule ius consuetudinarium et privilegia Basilicarum, cauto quod archipresbyter Basilicae Vaticanae est etiam loci ordinarius et ei, uti tali, speciales debentur honores et iura liturgica.

(39) In libro " Norme ceremoniali per gli Emmi. Signori Cardinali " n. 61 legis *in genere non sogliono fare assistenza in piviale, ma solo in cappa.* Idem docet doctissimus Martinucci : " Cardinalis presbyter (missae solemni assistens) nunquam habitus sacros induet sed cappam rubeam vel violaceam iuxta tempora " MM, 4, p. 517. Agitur de antiqua Urbis traditione qua Summo Pontifici tantum licebat sacris vestibus induto ad thronum assistere.

ART. II. — CATALOGUS TITULORUM URBIS

Ioannes, diaconus Ecclesiae Lateranensis, saeculo XI scribens, XXVIII cardinales presbyteros enumerat, VII pro unoquoque archipresbyteratu Urbis, videlicet 1) Sanctae Mariae Maioris, 2) sancti Petri, 3) sancti Pauli, et 4) sancti Laurentii; vide notam 16, p. 233 (40); et licet duae ultimae ecclesiae sint extra muros, cardinales erant " in ecclesiis intra muros Urbis ", seu XXVIII presbyteri morabantur in ecclesiis cardinalibus seu principalioribus, lege paroecialibus civitatis, deinde iuxta explicationem cardinalis Bellarmini, titulares et non tituli " cardinales " devenere. Hi tituli adhuc exstant et omnes venerandae sunt ecclesiae stationales (41). Ecclesiae titulares nonnullae basilicae titulo honestantur; vide caput V. p. 238; aliae sunt ecclesiae collegiales, paroeciales aliae, plurimae ordinibus regularibus traduntur.

In *Annuario Pontificio*, tituli vel diaconiae leguntur iuxta ordinem alphabeticum ad lites devitandas, sed nec semper fuit sic et auctores qui de titulis agunt ordinem sequuntur dignitatis sive antiquitatis tituli, nam sunt alii aliis digniores. XXVIII tituli antiqui dantur iuxta veterem ordinem Libri Ioannis, quem auctores sequi solent, et recentiores servato ordine temporis creationis; nihilominus titulus sanctae Mariae Transtiberim est 1mus titulus presbyterorum et sancti Laurentii in Lucina 2us, licet a nonnullis 1mus titulus huic ecclesiae detur.

1 — SS. Apostolorum, vetus titulus ss. Philippi et Iacobi, *Piazza dei Santi Apostoli*. Armellini I, p. 309.

2 — Sti Cyriaci ad Thermas Diocletiani, a Sixto IV ad titulum ss. Quirici et Iulittae, *in Via Tor de' Conti*, ab eo restauratum, translatus anno 1475 una cum statione. Vide titulum n. 40. Armellini I, p. 218; II, p. 1016.

(40) Titulorum vel diaconiarum historia non erit hic scribenda, tamen tituli iam exstabant veluti vetus Urbis institutio quando Ioannes Diaconus Lateranensis scripsit : sic in concilio Romano habito anno 499 sub Papa Symmacho (498-514), in quo abusus in electione Papae cohibere voluit, iam erant XXV tituli " Papae Marcelli " nuncupati, quique omnes, una cum episcopis convocatis, decreta synodalia subscripserunt cum fere iisdem nominibus a Ioanne datis, licet essent XXV et non XXVIII; tituli plurimi cum ecclesia apostolica intimo nexu coniunguntur.

(41) In historia Urbis ecclesiae stationales intimum nexum habent cum ecclesiis cardinalium. Tempore sancti Gregorii erant loci processionum et precum seu stationum : XLIII ecclesiae stationales citantur, et omnes vel erant basilicae maiores vel tituli seu diaconiae. De ecclesiis stationalibus scripsit imprimis Armellini, sed consulendi sunt auctores qui, data opera, de illis agunt : Piazza, Bartholomaeus, *Eortologio ovvero le sacre Stazioni Romane*, Roma 1702, et inter recentiores Hartmann Grisar S. I., *Das Missale im Lichte Römischer Stadtgeschichte*, Freiburg Herder, 1925, 120 p., in-8°; Tani, A. D., *Le chiese di Roma : Chiese stazionali*, Torino 1922; Lugano, *La Visita alle sacre stazioni romane*, Libreria Vaticana, ed. 3a, 1952.

3 — Sti Eusebii, *Piazza Vittorio Emanuele all' Esquilino* : " In dominicum Eusebii ". Vide titulum 52. Armellini II, 996.

4 — Titulus Pudentis, id est, stae Pudentianae *in Via Urbana* " strettamente collegato con la tradizione apostolica " : parva sed pulchra gemma Urbis. Armellini I, p. 240.

5 — Titulus Vestinae, id est, sti Vitalis *in Via Nazionale*, a Clemente VIII suppressus anno 1592, tandem a Leone XIII instauratus die 16 decembris 1880. Tamen basilica sti Vitalis Ravennae, quô mortuus est, templum princeps est martyris. Armellini I, p. 233.

6 — SS. MM. Marcellini et Petri *in Via Merulana*, a Benedicto XIV, eius titulari, reformatus. Armellini I, p. 276.

7 — Sti Clementis, *Piazza omonima* " Le origini di questo titulo ecclesiastico si perdono con quelle della predicazione evangelica in Roma nel secolo apostolico ". Armellini I, p. 164-176.

8 — Stae Mariae Transtiberim, *Piazza omonima*. Primus titulus cardinalitius Urbis. Vide basilicas minores Urbis n. A, 4. Armellini II, p. 783-796.

9 — Sti Chrysogoni carissimi Graecorum martyris, *Piazza d' Italia in Trastevere*. Armellini II, p. 847.

10 — Stae Ceciliae, virginis et martyris, *Piazza omonima in Trastevere*. Sanctuarium gloriosi saeculi IV Urbi acceptissimum. Armellini II, p. 825.

11 — Stae Anastasiae, *Piazza omonima nel Palatino* " Antiquissimo titolo cardinalizio, del quale s' ignora l' origine ". " Era la chiesa ufficiale della Corte ". Armellini I, p. 651.

12 — Sti Laurentii in Damaso, *Piazza della Cancellaria*. Papae Damaso carissimus. Armellini I, p. 457.

13 — Sti Marci in Via Lata, *Corso Umberto I* " Antichissimo e insigne titolo " quô initium habebat processio litaniarum maiorum. Armellini I, p. 559.

14 — Titulus Equitii Presbyteri seu ss. Martini (et Silvestri) in Montibus, *in Via delle Sette Sale*. Sto Martino episcopo Turonensi dicatus et a Sergio II etiam sto Martino Papae I et martyri, corpore huius ibi reposito. Propterea festa duorum sanctorum eiusdem nominis celebrantur diebus 11 et 12 novembris. Armellini I, p. 267.

15 — Stae Sabinae in capite ieiunii *nell' Aventino.* Armellini II, p. 709.

16 — Stae Priscae *in via omonima nell' Aventino.* Armellini II, p. 705.

17 — Stae Balbinae *in Via omonima Sull' estremo Aventino.* Armellini II, p. 724.

18 — SS. Nerei et Achillei *in Via Appia antica.* Armellini II, p. 726.

19 — Sti Sixti *in Via della Ferratella Appia Antica.* Armellini I, p. 633.

20 — Sti Marcelli *in Via Lata Corso Umberto I.* Armellini I, p. 315.

21 — Stae Susannae *nel Quirinale Via XX Settembre.* Armellini I, p. 329.

22 — Stae Praxedis *sull' Esquilino.* Titulus sancti Caroli Borromaei qui ecclesiam sibi carissimam in multis ampliavit. Armellini I, p. 296-303.

23 — Titulus Eudoxiae seu sti Petri ad vincula, *Piazza omonima.* Armellini I, p. 260.

24 — Sti Laurentii in domo Lucinae, *in Via Flaminia, Piazza in Lucina.* Secundus cardinalitius titulus. Armellini I, p. 355.

25 — Stae Crucis in Ierusalem a Constantino Magno fundata in Palatio Sessoriano et perinsignis basilica. Armellini II, p. 981-989.

26 — Sti Stephani Rotondae *in Caelio Monte.* " La più antica chiesa rotonda fra le mura ". Armellini II, p. 749.

27 — SS. Ioannis et Pauli *sul Celio.* Acceptissimus et antiquissimus titulus Urbis. Armellini I, p. 617-626.

28 — SS. Quattuor Coronatorum *sul Celio.* " Insigne monumento cristiano ". Armellini I, p. 605.

¶ *Leo X, qui uno die, 6 iulii anni 1517, triginta unum cardinales creavit, duodecim titulos erexit elapsis sæculis, e quibus novem nunc exstant; sunt enim :*

29 — Stae Mariae in Ara Caeli seu *in Capitolio.* Armellini I, p. 662-671.

30 — Sti Ioannis ante Portam Latinam " luogo in cui subí la prova dell' olio bollente ". " Venerando monumento della venuta di s. Giovanni a Roma ". Armellini I, p. 635.

31 — Sti Bartholomaei in Insula trans Tiberim. Armellini II, p. 760.

32 — Sti Thomae *in Parione,* a Pio XI ad sanctam Mariam in Vallicella *Chiesa nuova* translatus, litteris sub plumbo *Quum s. Thomae,* diei 18 decembris 1937, AAS, 1938, p. 191. Armellini I, p. 470 et 476.

33 — Sti Silvestri in Capite (sancti Ioannis Baptistae) *presso la Posta.* Pretiosa ecclesia Urbis traditionibus, sanctorumque reliquiis praestantissima. Armellini I, p. 362.

34 — Sti Laurentii in Panis Perna, *in Via omonima.* Armellini I, p. 249.

35 — Sti Pancratii *in Via Vitellia.* Armellini II, p. 1181.

36 — Stae Agnetis *in Agone,* anno 1654 ab Innocentio X ad ecclesiam sanctae Agnetis *in Via Nomentana* extra muros translatus. Armellini I, p. 469; II, p. 1063.

37 — Sti Callisti *in Trastevere,* Callistus III titulum restauravit vel instituit anno 1458. Armellini II, p. 796.

¶ *Tituli tres ab eodem Leone X creati, videlicet : sti Apollinaris, sti Matthaei in via Merulana et sti Cæsarei in Palatio suppressi fuerunt a sto Pio V, Pio VI et Sixto V. Panvinius, ed. 1609, p. 202, sed vide diaconias n. 15 et 16.*

38 — Stae Mariae *in Via Largo Chigi* a Iulio III anno 1551 (vel 1553) erectus. Armellini I, p. 337.

39 — Stae Mariae supra Minervam, *Piazza della Minerva,* a Paulo IV erectus die 24 martii 1557. Armellini I, p. 592-599.

40 — Stae Mariae Angelorum ad Thermas Diocletiani, loco veteris tituli sti Cyriaci, a Pio IV erecti anno 1564, instante Carolo Borromaeo. Vide basilicas minores Urbis n. B, 2, et titulum n. 2. Armellini II, p. 1018.

41 — Sti Hieronymi *degli Schiavoni presso la Via di Ripetta* a sto Pio V erectus die 8 februarii 1566. Armellini I, p. 399.

¶ *Octo tituli qui sequuntur a Sixto V creati fuerunt anno 1587 :*

42 — SSmae Trinitatis *in Monte Pincio.* Armellini I, p. 413.

43 — Stae Mariae *del Popolo ad Portam Flaminiam* Armellini I, p. 387.

44 — Stae Mariae *della Pace presso il Circo Agonale.* Armellini I, p. 452.

45 — Stae Mariae in Transpontina seu in Capite Porticus, *Borgo Nuovo*. Armellini II, p. 953.

46 — Sti Petri in Montorio *nel Gianicolo*. Armellini II, p. 809.

47 — Sti Augustini, loco veteris tituli *sancti Tryphonii* vetustae ecclesiae stationalis destructae c. anno 1750, *Piazza sant' Agostino*. Armellini I, p. 538.

48 — SS. Bonifatii et Alexii, *Via sta Sabina nel Aventino*. Armellini II, p. 715.

49 — Sti Honuphrii *nel Gianicolo*, in diaconiam creatus a Leone X et in titulum a Sixto V. Armellini II, p. 807.

50 — Sti Bernardi ad Thermas Diocletiani, *Via XX Settembre*, a Clemente X anno 1670 translatus ab ecclesia SSmi Salvatoris in Laura ob memoriam ven. Dei servi Ioannis Bona SOC huius tituli cardinalis. Armellini II, p. 1015.

¶ *Ultimi tres tituli supra numerum elapso sæculo creati fuerunt :*

51 — Stae Mariae de Victoria, *Via XX Settembre*, a Pio VII erectus anno 1801. Armellini I, p. 332.

52 — SS. Andreae et Gregorii *al Monte Celio* a Gregorio XVI creatus litteris *Romani Pontifices* die 11 iulii 1839 " cum in proximo coenaculo diu commorati simus ". Opera, II, p. 339. Iisdem litteris Papa titulum sti Eusebii suppressit " in perpetuum "; tamen Pius IX, die 25 iunii 1877, illum iterum creavit. Armellini I, p. 627.

53 — Stae Mariae Novae seu stae Franciscae Romanae in Foro Romano, a Leone XIII erectus anno 1887. Armellini I, p. 193.

Armellini refertur ad classicum opus *Le Chiese di Roma*, ed. 3ª, Roma 1942, tomi 2, in-4°. Vide notam 118.

CAPUT VIII

De Episcopis Cardinalibus

Cum patres cardinales relationem intimam habeant cum Ecclesia Romana, factum est ut episcopi dioecesani ecclesiarum suffraganearum Urbis de iure in sacro conlegio annectarentur, ita ut sedes huiusmodi

sint episcopales et una simul cardinalitiae (42). Quare episcopi *collaterales* Papae nuncupantur. Eorum numerus per plura saecula ad septem firmatus est, sed cum Eugenius III ecclesias Ostiensem et Veliternam in perpetuum univit, sex tantum nominantur episcopi cardinales, quorum vices gerentes vocari solent *episcopi suffraganei* (43).

Episcopi suburbicarii, prout docet Morinus (de sac. ord. 3, ex 16, c. 3, n. XIX) inde a beato Urbano II († 1099) praeeminentiam habent super ceteros episcopos totius Orbis, sunt enim collaterales Papae.

Ostia, cum sit sedes primaria septem suburbicariarum, saltem inde a Benedicto XIII datur cardinali decano sacri Conlegii, qui, inde a motu proprio *Edita nobis* sancti Pii X, diei 5 maii 1914, a canone 236, § 4 confirmato, sua ecclesia retenta, sedem Ostiensem accumulat; ipse enim, teste divo Augustino *ep. 165*, privilegio maximo fruitur ordinandi et consecrandi electum pontificem.

Episcopi cardinales in sua quisque dioecesi iisdem fruuntur liturgicis iuribus et privilegiis ac ceteri episcopi dioecesani, suaeque dioecesis solito more solemniter possessionem capiunt. CIC, 240, § 1 (44).

In *Annuario Pontificio* sedes suburbicariae dantur iuxta ordinem alphabeticum cum Ostia in capite. Auctores vero sequuntur ordinem sequentem :

1 — Ostiensis, quae primum semper obtinet locum.

2 — Veliterna, anno 1150 Ecclesiae Ostiensi a beato Eugenio III unita, et motu proprio sancti Pii X, diei 5 maii 1914, ab ea separata. AAS, 1915, p. 219.

(42) Sedes cardinalitiae sunt sedes suburbicariae et quando Summus Pontifex antistitem cum sede residentiali cardinalem creat, minime intendit sedem cardinalitiam creare, prout in more loquendi est : sedes manet episcopalis cum titulari qui est *etiam* cardinalis : ecclesia Lisbonensis, ex. gr., est sedes Patriarchalis, cuius titularis, ex concessione Clementis XII, diei 27 decembris 1737, ius habet ad locum in Sacro Conlegio.

(43) Sanctus Pius X, sua constitutione *Apostolicae RR. PP. sollicitudinis* diei 15 aprilis 1910, iussit ut unicuique cardinali suburbicario episcopus coadiutor daretur cum speciali titulo suffraganei non secus ac pro dioecesi Ostiensi et Veliterna fieri consueverat, et iura necnon obligationes suffraganei explanavit : insuper reditus dioecesium erant aequaliter distribuendi. Tamen id in praxi fieri non potuit et Benedictus XV iterum determinavit ut unusquisque episcopus suam dioecesim regeret, facta ei facultate impetrandi, si necesse fuerit, episcopum suffraganeum sicut nunc fecerunt cardinales episcopi Praenestinus et Albanensis. AAS, 1910, p. 277; 1915, p. 5 et 219; Fontes III, n. 686; 700; 703.

(44) De episcopis cardinalibus suburbicariis optime agit Andreas Andreucci S. I. in sua *Hierarchia ecclesiastica*, I, p. 165-218, ubi plura invenies scitu digna.

3 — Portuensis, et sanctae Rufinae a Callisto II anno 1138 illi annexae (45).

4 — Sabinensis (et Mandelensis) cuius Titularis est etiam abbas perpetuus Fargensis.

5 — Praenestina.

6 — Tusculana seu Frascati.

7 — Albanensis in cuius territorio Arca Gandulphi Summi Pontificis invenitur.

Hunc ordinem tradunt: Piazza, h. l., Andreucci, p. 168, n. 5, aliique; Ioannes diaconus Lateranensis vero ponit ecclesiam Praenestinam ultimo loco et Albanensem post ecclesiam sanctae Rufinae. Tamen sicut de aliis ordinibus cardinalium, inter sedes suburbicarias, dempta prima, ordo hierarchicus proprie non datur, nihilominus aliae aliis praeferuntur, nequeunt tamen cardinales episcopi, cum sedes aliae vacant, illas optare, id enim prohibuit sanctus Pius X, CIC, 236, § 4; Fontes III, n. 686 (46).

Bibliographiam habes in nota 47.

CAPUT IX

De ecclesiis cathedralibus

Teste veneranda traditione, in unaquaque dioecesi una est sedes, unum altare, unusque episcopus, et tum sedes tum ecclesia eius cum suo altari decreto apostolico eriguntur, et episcopi Apostolicis pariter

(45) Exinde probatur Ioannem diaconum Lateranensem certe ante annum 1138 suum scripsisse librum, nam loquitur de ecclesiis sanctae Rufinae et Portuensis uti distinctae et disiunctae.

(46) In libro Cristofori *Cronotassi dei cardinali*, Romae 1888, admirationem provocat magnus numerus mutationum diaconiarum, titulorum vel ipsarum ecclesiarum suffraganearum a cardinalibus per optionem in consistorio. Prout legimus apud Morinum, *De sac. Ecc. ordinationibus*, ed. Antuerpiensis, p. 222, abusus plurimi hac de re irrepserunt. Sanctus Pius X optionem sedium prohibuit Fontes III, n. 700, sed titulorum vel diaconiarum mutatio per optionem a iure permittitur, licet rarius fiet, de praevio tamen consensu Papae. CIC, 236.

(47) Ampla exstat bibliographia de sedibus, titulis et diaconiis cardinalitiis, tamen hic citari convenit praeter opus Armellini : Panvinius, *De episcopalibus, titulis et diaconiis SRE cardinalium liber*, Venetiis 1567 et Parisiis 1609; Bartholomaei Piazza, *Gerarchia cardinalizia*, Romae 1703, XVI+920 p., in-4° maiore; *Cronotassi dei cardinali* iuxta sedes, titulos et diaconias a saeculo V ad annum 1888 edidit Franciscus Cristofori, Romae 1888, 508 p., in folio, complendum a L. Huetter, *Per le cronotassi cardinalizie nei titoli presbiterali e nelle diaconie*, Roma 1931; Moroni, 75, p. 204-252 *Titoli cardinalizi;* Duchesne, *Les titres presbytéraux et les diaconies* apud *Mélanges d'archéologie et d'histoire* pro anno 1887; ius vigens cum notis historicis tradit Belardo Marius,

litteris eliguntur. CE, in quod lectores introducere conamur, ad hoc principaliter compositum est ut scl. quomodo ecclesiae cathedrales ornari debeant, ut ritus praesertim solemniores dioecesis ibi accurate et expedite fieri possint, declaretur, priusquam ritus ipsi explanentur.

Ecclesia cathedralis exinde ceteras ecclesias dioecesis superemineat oportet non tantum mole architectonica (48), sed etiam amplitudine supellectilis, splendore operum artis, cantus dulcedine, sacrorum rituum perfectione, at super omnia vita spirituali et liturgica, ut in omnibus glorificetur totius cultus objectus novissimus qui est Christus Dominus (49-49A).

De iuribus SRE cardinalium in titulis, Romae 1939, 82 p., in-8°, tamen opus novum hac de re, *Gerarchia cardinalizia* videlicet, ad usum cardinalium modo electorum et cultorum Urbis acceptissimum foret, veniat tandem! De diaconiis speciali modo scripserunt : Moroni, 19, p. 274-291 *Diaconie cardinalizie;* G. Biasiatti, *Le diaconie cardinalizie e la diaconia di san Viti e Modesti*, Roma 1911.

(48) Non est hic inquirendum quomodo ecclesiae cathedrales construi debent, lectores consulent libros ad hoc compositos, tamen necesse est, quicumque sit modus seu ut aiunt stylus vel methodus constructionis, ut ecclesia cathedralis sit *functionalis*, seu ut sacri ritus, solemnes vel simplices, ordinarii vel extraordinarii, ordinatim celebrari possint : ad hoc necesse est ut locus sufficiens adsit circumcirca altare et presbyterium et ut processiones haberi possint intra ecclesiam. Ex parte fidelium exigitur ut altare ab omnibus videri possit et sit, quantum fieri potest, prope ipsos.

Prae oculis habeant architecti et ecclesiarum rectores regulas duas fundamentales ab Augusto Welby Pugin datas, videlicet :

1 — There should be no features about a building which are not necessary for convenience, construction, or propriety.

2 — All ornament should consist of enrichment of the essential construction of the building. *True Principles of Pointed or Christian Architecture*, London 1841, p. 1, quae quidem verba sic latine reddi possunt :

1 — Nihil in ecclesiae mole apponatur, quod non sit necessarium seu utile vel a bono communi non exigatur.

2 — Partes vel res ornamentationis gratia appositae ad partes essentiales aedificii extollendas prosint oportet.

(49) Si tota vita dioecesis in suo pastore adunatur, ut verbis utamur martyris Cypriani MPL, 4, col. 406, id fieri debet praesertim in ecclesia cathedrali, punctum cardinale, quo tota vita dioecesis movetur. Necesse est exinde ut ecclesia cathedralis sit sedes viva totius vitae dioecesis : ibi audiri debent episcopus et principaliores praedicatores nationis, ut bonus odor Christi ab ea emaneat, prout fiebat, tempore Augustini et Ioannis Chrysostomi, in ecclesia cathedrali Hipponensi et in patriarchali Constantinopolitana.

(49A) Invitandi sunt exinde fideles, praesertim diebus solemnioribus, ut ecclesiam cathedralem invisitent, privatim vel cum suis confraternitatibus, tertiis ordinibus vel similibus. Lectores remittimus ad auctores spirituales qui hac de re scripserunt : Cardinalis Mercier, *N'oubliez pas votre Eglise St-Rombaut. Œuvres pastorales*, III, 1913, p. 493; Sertillanges, *La cathédrale — sa mission — son esthétique — son décor — sa vie*, Paris 1922; Subercaseaux, *Archiepiscopus La Serena; La Iglesia Catedral*, RevLitArg, I, 1933-4, p. 279, et praesertim Dom Berlière, *La dévotion à l'église cathédrale*, *Semaines liturgiques*, III, 1924, p. 111. Cardinalis Vaughan, *Westmonasteriensis Archiepiscopus III*, suam ecclesiam metropolitanam aedificans voluit eam vivam cathedralem *a live cathedral*, et historia testatur ecclesiam illam revera esse vivam, spiritum et sensum Christi in haeretica Anglia continue per semi-saeculum spargens (1903-1953).

Palatium episcopale. Cum ecclesia cathedralis imprimis sit ecclesia episcopi, ex antiquissima et recepta traditione, prope ipsam aderit palatium seu habitatio episcopi ut commode possit quam frequentissime divinis interesse officiis ad mentem CE, et missam etiam lectam saltem semel in hebdomade ibi celebrare (50).

Canonicorum capitulum, quod etiam senatus episcopi est, unum est ex principalioribus privilegiis ecclesiarum cathedralium, nam cultus Deo quotidie debetur cum horis canonicis et solemni missarum celebratione, et, cum episcopus nequeat solus functiones huiusmodi exsequi, indiget auxilio cleri, quod principaliter obtinetur per installationem capituli cathedralis. Propterea enim CE existentiam capituli uti omnino necessariam supponit, a prima ad ultimam paginam.

Canonica seu domus canonicorum et cleri cathedralis prope ipsam ad omnium utilitatem construi debet.

Seminarium clericorum stricte loquendo et iuxta meliorem traditionem pars est ecclesiae cathedralis, et diebus solemnioribus sacris ritibus intervenire debet ad mentem Ecclesiae. CIC, 1367, n. 3 (51).

PRIVILEGIA LITURGICA ECCLESIARUM CATHEDRALIUM

1 — Ecclesia cathedralis est ecclesia princeps dioecesis, etiamsi exstent aliae cum titulis specialibus, veluti collegialis insignis, basilica minor vel sanctuarium celebre. Proinde episcopus praecipere potest ut, praesertim tempore specialium functionum ecclesiae suae veluti

(50) "Episcopus non longe ab ecclesia hospitiolum habeat", legitur in canone 15 cuiusdam concilii Carthaginiensis tempore sancti Augustini habiti (agitur de hospitiolo et non de palatio) apud Frances, *De ecclesiis cathedralibus*, caput 29, *de palatiis episcoporum*, p. 330. SRC, die 8 iunii 1593 declaravit "Episcopus ut plurimum penes suam cathedralem residere tenetur". Vide Fontes, n. 2457. Facile esset argumentum reassumere et legem tota traditione probare. Si faciliora nunc sunt media locomotionis, experientiâ tamen docemur episcopos qui prope suam ecclesiam vivunt illas frequentius invisere et divinis officiis interesse; sic emus. card. Spellman, qui domum habet suae cathedrali annexam, singulis per annum diebus dominicis missae solemni assistit. E contra facile esset etiam exempla multiplicare episcoporum qui vix unquam ad suam cathedralem accedunt quia longe ab ea habitant. Tamen fateri debemus residentiam episcopi contiguam vel vicinam ecclesiae potius supponi quam urgeri a CE, I, cap. II, n. 6, quia in Italia usus erat receptus.

(51) Optimum esset prope ecclesiam cathedralem scholam puerorum habere in musicae genus erudiendorum, qui sacris etiam ritibus inserviant, ad instar minoris seminarii, sicuti factum est, magno cum fructu, in ecclesia Metropolitana Westmonasteriensi. Id enim fieri praecepit Pius XI "Scholae puerorum, non modo apud maiora templa cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur" *Divini cultus*, DocPon, p. 64. Idque recentissime factum voluit Pius Pp. XII, *g. r.* in litteris Exmi Dni Montini ad card. Pizzardo, die 23 novembris 1953 datis, quinquagesimo recurrente anni cyclo a litteris sancti Pii X de musica sacra instauranda.

processionum, in aliis ecclesiis nihil celebretur, nam functiones aliarum ecclesiarum non debent functiones ecclesiae cathedralis intercludere. Insuper ceterae ecclesiae dioecesis debent exemplum ab ecclesia matre sumere et sequi. Fideles de obligatione interveniendi sacris ritibus in sua cathedrali sedulo sunt a parochis instruendi.

2 — **Ara maxima** ecclesiae cathedralis (non secus ac ecclesia ipsa) ara principalis est dioecesis, in qua solemniores functiones veluti missa pontificalis episcopi et ordinationes habentur : expedit proinde ut eam speciali amore et honoribus fideles prosequantur; praecipit enim lex ut per singulos annos dies anniversarius dedicationis Ecclesiae et altaris ab universo clero dioecesis celebretur (52).

¶ — De ornatu altaris agitur in capite sequenti, p. 263.

3 — **Sedes episcopi.** Post altare, privilegium princeps ecclesiae matricis dioecesis est cathedra episcopi : episcopus enim sedens praedicare debet et docere, ac populum suum regere, et iure communi thronum fixum in sua ecclesia tantum habere debet, quod quidem privilegium nulli alteri habitualiter datur.

¶ — 1. De modo et loco construendi thronum consule caput XI, p. 270.

2. De usu throni consule librum III, p. 319.

4 — **Presbyterium.** Thronus supponit seu secumfert chorum seu locum segregatum circa et prope altare cum sedibus ad usum praelatorum, capituli et cleri, quod presbyterium vocatur, quod quidem debet, iuxta monitum CE, I, 13, n. 13 cancellis ab accessu populi segregari, nam iuxta antiquam legem liturgicam "Laici non ingrediantur chorum". *Frances*, p. 54, n. 195 (vide notam 57); Barbosa, *De canonicis et praelatis*, c. 34, n. 22 (53).

(52) In ecclesiis cathedralibus unum altare exstat, illud nimirum quod una cum ecclesia consecratur : ab introeuntibus in ecclesia altare istud seu maius videri debet. Certe altaria minora sunt necessaria, sed construi debent uti capellae sanctis dicatae et in navibus lateralibus positae, et non quasi pars essentialis aedificii, et hic iterum laudandi sunt constructores ecclesiae metropolitanae Westmonasteriensis in qua altaria lateralia non exstant sed sacella cum altari in parte anteriori et cum spatio pro fidelibus qui missis ibi legendis intersunt.

(53) Ad quid praecipere ut clerus tempore sacrarum functionum specialibus vestibus tum choralibus cum sacris sit indutus, si fidelibus, communibus vestibus indutis, accessus in presbyterio praebeatur? Cur tam aperta distinctio inter clericos et laicos si in ecclesiis populus ad altare admittatur? In initio sacerdotii mei, cum unam e celebrioribus ecclesiis metropolitanis Europae invisitarem, tempore missae pontificalis ordinarii loci vidi intra presbyterium admirabilem confusionem cleri cum vestibus sacris vel choralibus, et etiam in nigris, una cum laicis utriusque sexus insimul assistentibus! Sed id frequenter, praesertim in nonnullis Europae nationibus,

¶ — De sedibus et cancellis agitur in capite XV, p. 285 ss.

5 — **Baptisterium** pars est ecclesiae cathedralis et quidem nativo iure ipsi proprium : decet enim iuxta vetustum Ecclesiae usum ut praesertim adulti in ecclesia cathedrali sacris aquis renascantur. CIC, 744; 772.

6 — **Consignatorium.** Cum episcopus sit principalis minister sacramenti confirmationis, quod est veluti baptismi complementum, expedit ut in ecclesiis cathedralibus amplum habeatur sacellum huic sacramento destinatum, et si ecclesiae cathedralis festum titulare non sit de beata Maria Virgine, consignatorium Dei Genitrici, insigni Spiritus Sancti templo, dedicari potest.

6 A — **Scrinium pro Sacris Oleis** conservandis laudabiliter in consignatorio construi potest.

7 — **Sacellum SSmi Sacramenti.** Iuxta monitum CE Sacramentum Corporis DNIC non apud altare maius in quo functiones solemnes fiunt conservetur, sed " in alio sacello vel loco ornatissimo cum omni decentia et reverentia ". CE, I, c. 12, n. 8, quod quidem Codex pianus confirmavit 1268, § 3. D. 3335, I.

Non agitur de seligendo unum ex altaribus lateralibus quae nimis multiplicantur, sed de aedificando, si non exstat, sacello cum altari, mensa communionis et sedilibus pro fidelibus; quodque sacellum debet cancellis claudi ita ut violationis periculum, praesertim nocturnis horis, devitetur (54).

8 — **Ambones** construi expedit ab utroque latere presbyterii ecclesiarum cathedralium ad sacras lectiones cantandas in missis solemnibus, ad martyrologium solemniter legendum in vigilia Nativitatis Domini vel ad festa mobilia in Epiphania Domini publicanda

videre est. Omnes certe volumus divortio fideles inter et altare finem imponere, sed id fieri potest legibus liturgicis minime spretis, quae praecedentiam cleri tempore sacrorum rituum exigunt et recte quidem. Vide caput XVI *de laicorum loco in ecclesiis*, p. 291.

(54) Sacella duo, videlicet de Corpore Domini et de Sancta eius Genitrice utrimque construi possunt a lateribus presbyterii, sed quasi oratoria ampla cum scamnis pro fidelibus qui ita possint facile et prope altare neque nimis numerosi missam dialogare, spiritualia exercitia audire vel catechizari vel etiam SSmum Sacramentum solemniter expositum feriis quintis per annum per aliquot horas adorare, vel etiam melius orare : nam si ecclesiae magnae pro frequentissimo populo sunt necessariae, sacella duo minora in illis, pluribus de causis, non sunt minus necessaria.

CE, II, c. 15, n. 3, seu ad Passionem Domini in Hebdomade Maiori cantandam CE, II, c. 21, n. 15; demum ad verbum Dei praedicandum, ita ut cum episcopus in throno a latere evangelii sedet, sermocinator ad ambonem a latere epistolae loquatur. Ambones inserviunt etiam ad decreta gravioris momenti vel monita Sanctae Sedis vel episcopi publicanda et ad cetera necessaria fidelibus communicanda. " Habenda est in ecclesiis insignioribus ac praesertim cathedralibus, ratio ambonum... unus altior de quo evangelium pronuntietur ". AEM, I, col. 1459 (55).

9 — **Secretarium,** capella est seu aula ecclesiae cathedrali annexa in qua ante missam pontificalem episcopus, saltem diebus solemnioribus, sacras induit vestes ad cantum horae tertiae et, missa finita, eas deponit, nam id " antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum est " et nunc valde necessarium, cum in eo omnia expedite fiunt et pontifex iam paratus ecclesiam ingreditur. CE, II, c. 8, n. 2. Secretarium construitur in forma capellae, cum altari in parte anteriori, et aderit sedes cameralis super unico gradu ad usum episcopi et subsellia seu scamna pro canonicis et clero, necnon abacus unus. Ad altare sufficiunt candelabra quatuor tempore functionum apponenda.

10 — **Signa seu campanae** ecclesiae cathedralis principales sunt campanae civitatis, et quantum fieri possit sint etiam maiores.

Ceterae ecclesiae civitatis ad signa tangenda regulas sequi debent ecclesiae cathedralis praesertim quoad tempus percutiendi *Angelus Domini* et in vigilia Paschali.

11 — **Crypta** construi debet in ecclesiis cathedralibus variis de causis sed praesertim quia ibi fabricandae sunt sepulturae pro episcopis dioecesis, qui de iure in ea sunt sepeliendi, nisi alibi sepeliri elegerint. CIC, 1205, § 2; 1223, § 1.

Cetera omnia veluti organa, sacrarium, aliaque huiusmodi, privilegia ecclesiarum cathedralium non sunt, nec de illis erit hic agendum :

(55) De ambonibus pluries loquitur CE veluti re in ecclesia recepta lib. I, cap. XII, n. 18; lib. II, cap. VIII, n. 40 et 45; nam in Duomo Mediolanensi, sicuti in basilica sancti Marci et in pluribus ecclesiis Italiae quo tempore CE scriptum est, exstabant erantque in usu, et card. Borromaeus illos optimo sane consilio conservare et intendere voluit. Corrigendi sunt proinde auctores qui docent vel ambones res esse archaeologicas vel, quod est peius, epistolae et evangelium cantari deberi in plano. " Sarebbe tanto bello tornare all' uso antico e (saltem in ecclesiis maioribus) cantare sobra i rispettivi amboni l' epistola e il vangelo " scripsit emus. card. Celsus Costantini. *Fede ed Arte*, II, p. 240.

lectores remittimus ad auctores qui de ecclesiis aedificandis et ornandis agunt (56).

Bibliographiam habes in fine operis et in nota 57.

CAPUT X

De ornatu ecclesiae cathedralis

CE, I, cap. XII

¶ — CE, explanatis in primis XI capitulis quae ad episcopum vel ad clerum cathedralis pertinent, de ornatu eius data opera agit.

Art. I. — Ornamentatio ecclesiae

Qualitas festi. Iubet CE ut solemnitas ornamentationis ecclesiae, altaris et sacrarum vestium cum dignitate festi vel specialis solemnitatis, veluti festi ecclesiae illius vel nationis, concordet, et si celebret legatus vel unus e SRE cardinalibus omnia solemniori modo decet fieri.

(56) Sat frequenter in operibus nostris ecclesiam metropolitanam Westmonasteriensem in exemplum dedimus, nec aliter facere possumus nos, qui principaliores ecclesias Europae et utriusque Americae invisitavimus, nam in ea omnia apte disposita fuerunt a fundatoribus cum vero spiritu Ecclesiae. Ut cetera omittamus, ibi invenies, prope ecclesiam, domum episcopi cum curia metropolitana; corpus mansionariorum capituli qui quotidie missam solemnem celebrant et canonicas horas recitant; quique in *the clergy house* vitam communem agunt; optimum habet chorum cantorum et puerorum scholam qui cantui et sacris ritibus dant operam; altare maius nobilissimo ciborio cooperitur et antependio vestitur; sacellum Sacramenti, revera capella est, ibique Sacramentum qua par est reverentia fidelibus adorandum exponitur; quotidie adsunt sacerdotes ad fidelium confessiones audiendas, et per cantus dulcedinem, sacrorum rituum solemnitatem et assiduam verbi Dei praedicationem, quamplurimi ad Ecclesiam Dei revertuntur et fideles in sua ecclesia cathedrali vitam liturgicam vivunt et sensu Christi imbuuntur : est enim hodiernus *motus liturgicus* non verbis sed actionibus, quod praesertim videre est quando intra missam solemnem omnes una voce maximum actum fidei exsequuntur : *Credo* in notis Gregorianis stantes decantant.

(57) Pauci auctores de ecclesiis cathedralibus ex professo agunt, tamen Michael Antonius Frances edidit *Tractatus de ecclesiis cathedralibus earumque privilegiis et praerogativis*, Venetiis 1698, 472 p., in folio, opus curiosum et suo tempore valde utile. Auctores qui de canonicorum capitulis agunt, necessario etiam de cathedralibus loquuntur. Ecclesiae cathedrales medio praesertim aevo secumferebant totam historiam civitatum et litteratura poetica vel romantica exstat hac de re. Sat cognitum est opus Huysmans, *La Cathédrale* qui lamentabatur quomodo in ecclesia Carnutensi (Chartres) cantus Gregorianus desiderabatur, *c'est monstrueux* scripsit ipse; aliter tamen nunc scriberet cum liturgissimo episcopo in vetusta sede. Lectu dignum est opus recentior *The Biography of a Cathedral* (Notre Dame) by Robert Gordon Anderson, New York 1944. " The Cathedral is a magnificent gesture : the noblest, perhaps, ever made by man ". Vide Hans Sedlmayr, *Die Entstehung der Kathedrale*, Atlantes Verlag, Zürich 1950, vel etiam Pierre du Colombier, *Les Chantiers des Cathédrales*, Paris chez Picard, 1953, in-4°, 32 planches hors-texte.

Ornamentatio ecclesiae a parte externa in narthece, vel ab intus, fieri expedit " ramis et frondibus virentibus... seu fasciis... vel pannis pulchris ex serico... ". Tamen ornamentatio ab intus cum fasciis vel pannis obsoleta est, si excipias quasdam basilicas antiquas; ornamentatio vero cum ramis et frondibus virentibus occasione specialis solemnitatis laudabiliter fit iuxta CE, praesertim ad ianuam et in porticu.

Stemmata Summi Pontificis et episcopi loci, sive reipublicae seu nationis vel civitatis, ad ianuam apponere diebus solemnioribus laudatur a CE, sicut etiam cardinalium seu Nuntii Apostolici, non secus ac supremi magistratus, si functioni intersint, servato ordine praecedentiae.

" **Imago sancti** vel sanctorum quorum dies festus agitur " consulto apponantur ad ianuam ecclesiae; ad altare tamen non praecipiuntur. Vide EPR, II, notam 31, p. 153.

Art. II. — Ornamentatio altaris

1 — **Antependium** est nobilis altaris vestis seu ornamentum et confici potest ex qualibet materia pretiosa vel ad eius instar, seu, prout docet lex, " pallia sint aurea, vel argentea, aut serica auro perpulchre contexta, coloris festivitati congruentis, eaque sectis quadratisque lignis munita, quae telaria vocant, ne rugosa aut sinuosa sed extensa et explicata decentius conspiciantur ".

Quod si altare sit in medio choro pallia ab utroque latere apponenda erunt, seu aderunt frontale et dorsale.

Necesse est ut saltem altare maius ecclesiarum cathedralium et altare ubi SSmum Sacramentum asservatur pallio vestiantur nec id nimis commendari potest (58). Praeterea color diei vel temporis et varietas vestium altaris secundum liturgicam solemnitatem omnium oculos ad altare " qui Christus est " et super quo Eucharisticum

(58) Lex CE de vestiendo altari antependiis ab aliis libris liturgicis confirmatur; sic iubet PR ut post consecrationem altaris " ministri illud vestiant tobaleis et ornamentis benedictis "; MR ait : altare... " pallio quoque ornetur coloris quoad fieri potest diei festo vel officio convenientis " Rub. Gen. XX; Memoriale Rituum idem praecipit in ecclesiis minoribus; in ritu canonizationis sanctorum praescriptum est ut a postulatoribus pallia nobilia altari papali dentur. Si antiquos patres consulamus, videbimus quomodo vestitionem et decorem domus Dei, altaris praesertim, zelabant alacriter. Sic Leo III (795-816) basilicae sancti Pauli dedit " velum rubrum quod pendet ante altare, habens in medio crucem " ait *Liber Pontificalis*, ruber enim est color Divi Principis. Exempla multiplicari facile possunt : Vide Callewaert, *L'Antependium, Sacris Erudiri*, p. 205 et Ch. Billaux, *Parements d'autel*, dans *Bulletin des métiers d'art*, 1909, IX, p. 2-12, quod tamen prae manibus non habuimus; sed praesertim *Die Altarbekleidung* apud Braun, *Der Altar II*, p. 9-132. Si verum est altaria pretiosa ab usu antependii excusari, confiteri debemus fere omnia altaria quae recentius uti pretiosa habentur, omnia vestitione lucrari et nihil perdere.

sacrificium offertur convocat, dum fideles instruit et delectat. Vide EPR, II, notam 90, p. 162.

Nec licet frontem altaris ornari pannibus reticulatis vel aliis " rebus decorativis " *(dentelles d'or)* quae a parte superiore altaris pendent, loco antependii. D. 4000, 2.

2 — " In superna linea mappae mundae tres (sternentur)... quae totam altaris planitiem *et latera* contegant ", quae lex iisdem fere verbis a rubricis MR, XX iteratur; est enim voluntas Ecclesiae, quum nihil melius quam album linum ad altaria cooperienda inservire potest. Mappae confici debent iuxta mensuram uniuscuiusque altaris et linum adamascatum laudabiliter adhiberi potest dummodo sit integrum linum (59).

3 — " **Crux praealta...** cum imagine sanctissimi Crucifixi ", super mensa altaris ponitur, quod rubricis MR, XX confirmatur, sitque " celebranti et populo visibilis " D. 2621, 7. Lex est nobilissima, nam ait Petrus Canisius, Ecclesiae Doctor : " Missae sacrificium... est... dominicae passionis repraesentatio atque simul oblatio ". Crux principalis est altaris ornamentatio nec locum suum cuivis rei vel sancto dare debet (60-61).

Crux, docet CE, eiusdem materiae et styli sit ac candelabra; non tamen agitur de stricto praecepto et imago Christi Domini et crux possunt esse ligneae, praesertim Feria Sexta in Parasceve et " Si ad altare adest magna statua SS. Crucifixi sufficiens est ". D. 1270, 2.

4 — **Candelabra cum cereis.** Praecipit CE ut in solemnitatibus " in planitie altaris (super mensa) adsint candelabra sex : argentea si haberi possint, sin minus ex aurichalco aut cupro aurato ". Supponit

(59) Usus Ravennae receptus cooperiendi etiam frontem altaris cum mappa loco antependii est potius usus rituum orientalium et rubricis nostris opponitur, corrigendum proinde *A Catholic Dictionary, v. Frontal.*

(60) Inter abusus elapso saeculo nostroque introductos in rebus liturgicis non ultimum tenet locum reductio crucis altaris ad locum secundarium, nam parva crux, vix visibilis adhibetur quasi rubricis satisfiat : crux locum suum dat sanctorum imaginibus, throno expositionis vel aliis quibuscumque ornamentis. Nonnunquam etiam in ecclesiis " modernis " quae " liturgicae " vocantur videre est crucem fere invisibilem, praesertim si altare sit ad orientem versus ne visio celebrantis et populi intercludetur, et sic in dies regredimur pro lubitu cuiusvis capitis.

(61) Tempore Benedicti XIV usus invaluit locandi in medio altari subtus tabulam maiorem sancti titularis, aliam minorem generatim SSmi Cordis Iesu loco crucifixi, qui ab alio parvo crucifixo substituebatur. Contra talem innovationem acriter egit Pontifex Summus in initio sui regni cum apostolica constitutione diei 16 iulii 1746 et concludit " Vobis (episcopis) praecipimus ut nullo modo patiamini rem Divinam fieri... nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat ut sacerdos celebrans ac populus Sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint; quod evenire nequit si exigua crux... fidelibus exhibeatur ". Opera 16, p. 111 et " ubi invaluit abusus ordinarius provideat iuris et facti remediis " D. 2621, 7.

CE in ecclesiis cathedralibus plures adesse candelabrorum qualitates iuxta solemnitatem apponendae, sic Feria Sexta Maiore " non sint argentea " sed nec in officiis poenitentialibus, quando esse possunt ex ferro adlaborato *(rought iron)*.

Iubet lex ut " ipsa candelabra non sint inter se aequalia sed per gradus ab utroque altaris latere surgentia, et altiora sint a lateribus crucis et crux ipsa supereemineat ".

" Celebrante episcopo candelabra septem super altari ponantur et crux ponitur ante altius candelabrum in medio cereorum ". Vide partem II, cap. IX, *De septimo cereo*, p. 221.

" Sex tantum candelabra super altari erunt " seu non licet cereorum numerum pro lubitu multiplicare sed potius expedit eorum pondus amplificare. " Dominicis diebus et festis quibus populi ab opere cessant seu duplicibus primae classis sex aderunt de more candelabra cum cereis ".

Aliis festis duplicibus (2ae classis inclusive) " et feriis Quadragesimae, Adventus, Quatuor temporum et vigiliarum sufficient in altari *quatuor candelae* in candelabris ", huiusmodi enim officia ferialia a CE nobilitantur.

In festis simplicibus et feriis per annum *duae candelae* sufficiunt.

Lex CE se refert ad missam conventualem et ad vesperas in ecclesiis cathedralibus vel collegialibus, tamen invaluit usus adhibendi candelabra sex cum cereis etiam in festis simplicibus et feriis per annum, quod certe iuxta mentem CE non est (62).

5 — **Super altari** CE permittit " dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiatur " ut *ratione ornatus* apponantur *inter* candelabra :

a) Capsulae quatuor argentatae vel inauratae cum sanctorum reliquiis quae suo tempore incensantur; vel

(62) Cum solent super altaribus apponi sex candelabra magni ponderis, quae difficile amoveri possunt, suis remanent locis ab initio ad finem anni, et cum non placet duos vel quatuor cereos accendere, ceteris extinctis, sex quotidie accenduntur. In aliis ecclesiis quando quatuor cereos accendere tantum licet, quatuor candelabra minora inter sex maiora cum cereis extinctis locantur, et si duo tantum cerei sint accendendi duo candelabra minora utrimque ponuntur, quae in Anglia vocari solent *low Mass candlesticks.* Sed nullibi praecipitur ut candelabra sex super altari permaneant ad illud ornandum, etenim rubricae librorum Romanae Liturgiae non *de accendendis cereis* super altari loquuntur sed *de ponendis candelabris cum cereis ;* sic CE " Celebrante episcopo candelabra septem super altari ponantur " I, 12, n. 12; pro missa lecta episcopi " in festis solemnibus decet in eo apponi quatuor candelabra cum candelis accensis " I, 29, n. 4; et MR XX " super altare collocentur candelabra duo cum candelis accensis ". Nullibi praecipitur ut super altari candelabra cum cereis extinctis ponentur et in novissimo *Ordine Maioris Hebdomadae* legitur " in Parasceve altare sit totaliter nudum sine candelabris ".

b) " Imagines argenteae seu ex alia materia, staturae competentis ", seu non plus quam sexaginta centimetrorum altitudinis. Quaestio est de imaginibus quae amoveri possunt, quaeque diebus solemnioribus super altari locantur. In nonnullis cathedralibus apponuntur quatuor Evangelistae; in Basilica sancti Petri, Papa celebrante, hinc inde duae apponuntur imagines, Principum videlicet Apostolorum.

c) " Sed et vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis seu serico contextis adhiberi poterunt ". Re perspecta vascula cum floribus tertio loco a CE citantur eo quod ad altare maius ecclesiarum cathedralium melius est ut flores non adhibeantur prout in capellis papalibus vel maioribus Urbis Basilicis observatur, sed extra altare, si adsit locus, poni possunt (63).

Flores ex serico vel quacumque alia materia facti, utpote sacris functionibus minime convenientes, in ecclesiis Urbis prohibentur et exstantes removendi sunt, nulla facta exceptione (64).

Ornamentationes huiusmodi sub litteris a, b, c, ponuntur ratione solemnitatis nec sunt habitualiter super altari servandae (65).

CE postquam de rebus super ipso altari ponendis egerit, docet altare, quod in loco conspicuo positum esse supponit, tot precibus et unctionibus Deo dicatum, ita ornari debere ut ab omnibus videri possit; ad hoc iubet ut :

a) sit ciborio seu baldachino coopertum;

(63) Excessus sunt vitandi ne videatur altare *in viridario positum* prout docebat Martinucci : permittuntur tamen vascula, id est receptacula parva cum floribus quatuor vel sex a CE, *h. l.* et a Memoriale Rituum, tit. VI, cap. II, § 6. Flores a Creatore facti sunt ad homines recreandos sed inserviunt etiam ad Deum honorandum. Contra flores super mensam altaris et in ecclesiis scripsit Webb, *The Liturgical Altar*, ed. 2ª, p. 95.

(64) " I fiori artificiali (di qualsiasi materia : stoffa, bronzo, ottone, ceremica, ecc.), sono interdetti. Essi debbono essere senz' altro rimossi dalle chiese ed oratori e dagli altari, ne possono per qualsiasi ragione ivi essere collocati. Ad ornamento delle chiese o degli altari si possono usare, sobriamente, piante e fiori freschi ". Decretum card. Marchetti Selvaggiani, *Apostolici Visitatoris Urbis* diei 22 iunii 1932. Apud *Il Monitore ecclesiastico*, 44, 1932, p. 199. Non tantum flores artificiales sed res omnes quae vanae imitationes rerum sunt, ab ecclesiis praesertim cathedralibus sunt arcendae.

(65) CE supponit res omnes in ecclesia poni quando sunt necessariae, sunt enim amovibiles et variantur : antependia, candelabra, crux altaris, sedes, tapeta, abaci, iuxta necessitates diversarum functionum et solemnitatis, proinde in ecclesiis cathedralibus aderit sacrista cum suis auxiliaribus. CE, I, cap. VI et cap. XII, n. 25. Sed in recentioribus ecclesiis res aliter fiunt, et architectus locum pro unaquaque re adnotat, itaque res omnes suis remanent locis ab initio anni ad finem usque; exinde clerus et fideles fatigantur eo quod nulla datur differentia inter missam Paschatis vel aliam defunctorum, nisi quia forsan in ista res festivae veluti aurea candelabra nigris velis cooperiuntur! Quantum a spiritu et littera Caeremonialis discessimus, cum moderni paedagogi et psychologi docent picturas, " maps " et alia huiusmodi in scholis debere frequenter mutari, nam varietas puerorum mentes delectat. Nec aliter fit cum adultis.

b) in pariete, retro post altare, pannus nobilior applicetur;

c) suppedaneum et gradus tapetibus cooperiantur;

d) lampadarii adsint coram altari.

6 — **Baldachinum seu ciborium.** CE duplicem admittit casum, nimirum

a) " in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formae quadratae, cooperiens altare et ipsius altaris scabellum (suppedaneum), coloris ceterorum paramentorum ", vel

b) altare " habeat aliquod ciborium ex lapide, aut ex marmore confectum... (quod diebus solemnioribus) floribus, frondibusque exornari poterit ". Agitur de vetusto Ecclesiae usu (66-67) inde a tempore Constantini a quo nec expedit nec licet recedere, praesertim in ecclesiis cathedralibus; altare enim " Christus est " seu locus sacer in quo Eucharisticum sacrificium offertur, et nulla exstat res quae melius regiam altaris dignitatem demonstret quam ciborium seu baldachinum; mens est exinde Ecclesiae Dei ut praesertim in cathedralibus non desit (68).

Si ciborium marmoreum vel metallicum non exstat, iubet CE ut ponatur baldachinum amovibile quod, si fieri potest, erit coloris diei sicuti in capella Sixtina apponi solet (69).

(66) Ad rem Grisar de ecclesiis Urbis saeculi V scribens " ... All' occhio dello spettatore l' altare riceve il suo carattere dominante dal tabernacolo a colonne ond' è sormontato, cioè dal baldacchino di pietra o di metallo, talvolta di argento, il quale poggia sopra quattro colonne... Il tétto del ciborio sopravanza in altezza la pergola ed a ragione indicando il centro morale della chiesa ". *Roma alla fine del Mondo Antico*, Roma 1908, in-4°, p. 348. Tamen antiqua ciboria fere omnia destructa sunt, sed conservatum est ciborium saeculi VI in ecclesia sancti Apollinaris in classe Ravennae.

(67) Ciborium, ait Braun, creatio est Ecclesiae " Wie die altchristliche Basilika, so ist auch das Altarciborium eine Schöpfung des Christentums ". *Der Altar II*, p. 271. Quae sic leguntur a Righetti, *Storia liturgica I*, p. 434 " Il ciborio é una creazione originale cristiana, per esprimere nel campo costruttivo la sovraeminente dignità e importanza liturgica dell' altare ".

(68) Constans enim est traditio apud principes et reges ut eorum throni umbraculo cooperiantur et altare in ecclesiis nostris thronus est Christi Domini, nec dubito quin Angeli Dei cum suis alis vivum umbraculum construxerint in monte Golgotha quando Dei Filius se Deo Patri in cruce obtulit. Argumentum nostrum confirmatur ex alacritate qua episcopi curant, et recte quidem, ut super eorum throno talis ornamentatio non desit.

(69) Quo tempore CE compositum est, ciboria vix aedificabantur (Bernini suum opus magnum super limina apostolica aedificavit anno 1633) et novus codex legum, anni 1600 factus, voluit quantum fieri poterat malum corrigere praecipiens ut ubi ciboria non haberentur baldachina apponerentur. " Il baldacchino comincia ad apparire verso la fine del secolo XV : un infelice succedaneo del ciborio ". Righetti, I, p. 438. Liceat hic specialem mentionem facere de ciboriis hoc saeculo erectis super aras maiores ecclesiarum metropolitanarum Westmonasteriensis et Neo-Eboracensis. Vide EPR, II, notam 38, p. 153.

Baldachinum potest etiam catenis a tecto suspendi (70).

7 — " Quod si altare parieti adhaereat (vel ab ea parum distat) applicari poterit ipsi parieti supra altare (retro post) pannus aliquis ceteris nobilior et speciosior, ubi intextae sint Domini Nostri Iesu Christi, aut gloriosae Virginis vel sanctorum imagines ". Agitur de *tapisseries* seu *arazzi*, quae ad mentem CE diebus solemnioribus appenduntur in parte verticali baldachini ad instar retabuli. Dolendum tamen quod huiusmodi res realis valoris et opera artis quae in laicorum domibus apponuntur in nostris ecclesiis haud videntur.

8 — " Gradus omnes altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui et ornati quam reliqua pars presbyterii, quae pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum seu suppedaneum, quod est proximum altari, sit tapete aliquo coopertum ".

Supponit CE, non solum totum presbyterium in solemnitatibus tapetibus cooperiri sed praesertim suppedaneum et gradus altaris; et si partes prope altare sint semper tapetibus coopertae, diebus festivis ornentur oportet tapete nobili.

9 — **Numerus graduum** altaris a CE non determinatur, sed sint numero impari, seu ad minus tres, et non plus quam quinque, suppedaneo incluso, nam multiplicatione graduum caeremoniae difficiles redduntur, cum gradibus intercludentur.

10 — **Suppedaneum** altaris, quod a CE scabellum nuncupatur, partem habet magni momenti in functionibus pontificalibus, veluti in ordinationibus quae super eo fiunt; necesse est exinde ut sit 130 centimetrorum in latitudine (50 *inches*) et eiusdem longitudinis ac altare. Suppedaneum intra gradus altaris includitur, seu sint tres vel quinque cum suppedaneo (71).

(70) De ciborio seu baldachino consule RF, *La messe*, II, p. 1-39; Braun, *Das Altarciborium und der Altarbaldachinum*, Der Altar II, p. 185-275; Molien apud DDC, II, col. 27-38, *Baldaquin*. Auctores recentiores fere omnes de ciboriis iterum aedificandis loquuntur. Cf. Dom L. Beauduin, *Plaidoyer pour le baldaquin*, QL, III, 1913, p. 167; *Le ciborium*, QL, I, 1911, p. 391; *L'Artisan liturgique* et *Liturgical Arts* passim. Sed aberrant a via artisti moderni nonnulli qui de ciborio tacent, voluntque illud silentio suo occidere.

(71) Praecepit sanctus Carolus ut suppedaneum altaris ex ligno conficeretur, eo quod, praesertim tempore hiemali, lapides sint frigidi etiamsi tapeto cooperientur quod nec semper fit. In Italia frequenter exinde videntur ligna suppedanea mobilia, ad dimidium gradum seu circiter decem centimetrorum altitudinis, quae super suppedaneo lapideo locantur et uti tertius gradus non computantur. Melius est ut suppedaneum construatur uti tertius gradus cum lapidibus per circuitum et cum ligneis serratis in medio prout legislavit sanctus Carolus " Gradus vero tertius, qui ex ipsa bradella (suppedaneo) existit, e sectilibus tabulis esse debet ". AEM, I, col. 1423 *(parquet à bâtons rompus ou à mosaïques)*.

11 — **Lampadarii.** Mens est CE, ut non solum ante altare in quo Corpus Domini reponitur, sed etiam ante altare maius vel ante altaria in quibus reliquiae insignes asservantur, lampadarii adsint cum lampadibus in numero impari, ita ut ante altare SSmi Sacramenti plures ardeant.

12 — **Funalia** id est cerei maioris ponderis super candelabra " sex vel ad summum septem apponi possunt in alto loco in frontispicio tribunae (ad introitum presbyterii) si locus esset ad id aptus " sicuti fieri solet in capella Sixtina. Quod si locus pro istis non habeatur, illorum loco :

13 — **Funalia duo** super magnis candelabris in plano ab utroque altaris latere laudabiliter apponi possunt iuxta vetustum usum, sed extra tempus paschale quando cereum magnae vigiliae solum apponitur.

14 — **Abacus,** iuxta monitum CE, res est maximi momenti in functionibus pontificalibus, ad instar appendicis altaris, in quo res omnes quae eucharistico sacrificio et episcopo inservire debent tempestive ponuntur. Abacus seu mensa poni debet " a latere epistolae in plano presbyterii (72). ... lineoque mantili mundo super strato (in planitie), usque ad terram circumcirca pendenti, contegetur ".

CE dimensiones mensae dat seu sit palmorum 8×4×5 altitudinis, quod legi potest 140×70 cent. et 90 cent. altitudinis (55×27½ ×35½ *inches*). Quaestio est de mensa ampla in missis pontificalibus ponenda, eaque finita amovenda (73).

Pro missis solemnibus non pontificalibus mensa erit brevior et demissior seu 110×60 cent. et 85 cent. altitudinis (43×23½ ×33½ *inches*).

Usus apponendi " vasa argentea ampla et magnifica ad ornatum ", CE, I, 12, n. 20, super gradibus duobus quae in parte posteriori abaci locantur *(dressoir)*, fere ubique obsolevit, non tamen prohibetur. AEM, II, col. 1569.

(72) Iuxta CE mensa haec unica adhibetur, tamen experientia docemur aliam mensam minorem a latere evangelii prope thronum esse valde utilem ad gremiale, missale, canonem et bugiam, chartam cum formula indulgentiarum locandum. Res istae difficile possunt iteratis vicibus ab una ad altera extremitate presbyterii transportari.

(73) Ex regula fere generali abacus maior in missis pontificalibus non adhibetur eo quod paucae sunt ecclesiae cathedrales quae illum habent, propterea functiones male exsequutioni demandantur, nam vix possibile est super parvam mensam convenienter et cum ordine ponere ea omnia quae missae solemni sunt necessariae, nec (exceptione facta pro mensa minore prope thronum) expedit difficultatem per mensarum minorum multiplicationem solvere.

15 — **Altaria minora** pariter (si fieri potest) pallis concoloribus in solemnitatibus maioribus ornentur. CE, I, 12, n. 16. Ad altaria minora " duo saltem adsint candelabra cum cereis ", id est non minus quam duo et ad maximum quatuor, sicuti in Duomo Mediolanensi fieri consuevit (74) aderitque crux; suppedaneum tapete cooperietur.

" Altare vel locus (sacellum) ubi repositum est SS. Sacramentum, prae ceteris sumptuosius ac nitidius exornandum est ", quae lex iisdem fere verbis a CIC repetitur (canon 1268, § 4) sitque, iuxta iterata SRC decreta, baldachino coopertum. DD. 1966; 2912.

CAPUT XI

De throno episcopali

CE, I, cap. XIII

Constanti Ecclesiae traditione (75) episcopo in sua ecclesia matrici sedes nobilis debetur, quae poni debet " conspicuo et eminentiori loco " (76).

Thronus fixus seu permanens privilegium est, et quidem principale, ecclesiae episcopi quae exinde *cathedralis* dicitur, quae quidem lex

(74) Usus adhibendi sex candelabra ad hoc usque venit ut etiam altaria minora illis decorentur, sed ad quid si sacerdos missam privatam celebrans duo tantum adhibet cereos? Id enim rationi quadrare minime potest. Cum cereis extinctis celebrare ornamentationis argumentum idem sonat ac altaria ornare cum vasculis pro floribus sed sine illis.

(75) Ad rem magister Carolus Borromeus " Si qua in Cathedrali ecclesia episcopalis cathedra loco depresso est, vel ita collocata, ut in populi conspectu non sit; id curet episcopus, ut quod et a Patribus (et a beatissimo Patrono nostro Ambrosio) institutum est et ab Urbano I Pont. Max. declaratum, illa ponatur conspicuo et eminentiori loco ut inde, velut e throno speculationis suae, ipse populum intueatur, rursusque ab eodem conspiciatur ". De situ throni deque numero graduum tamen tacet sanctus Carolus AEM, I, col. 265. Urbanus I (222-230) anno 226 legislavit " sedem episcopi esse elevandam et ornandam ", quae quidem verba a sancto Carolo et ab aliis auctoribus citantur, tamen fere nihil de episcopatu Urbani I scitur. Moroni, 10, p. 263.

(76) Docet Augustinus : " oportet ut in congregatione christianorum praepositi plebis eminentius sedeant " *Epistola CCXXXIV*. Et Ambrosius : " Quid aliud interpretatur episcopus nisi superinspector, maxime cum in solio in ecclesia editiore resideat et cunctos respiciat ". De dignitate sacerdotali, cap. VI, a sancto Carolo citatum, nota 75. Cathedram episcopalem enim teste card. Bona " ex Apostolica institutione habet Ecclesia " Rerum liturgicarum, I, c. 20, M. 7 et de ea facile esset librum data opera componere. Lectores remittimus ad auctores qui hac de re scripserunt et praesertim (usque ad saeculum IX) ad Dict. Ar. Ch. Lt, III, col. 19 ad 75 : Leclercq, *Chaire épiscopale* lectu dignum; col. 85-90 : Cabrol, *Chaires de saint Pierre*; RF, *La Messe*, III, p. 147-184.

generalis " nulli subiicitur exceptioni ", prout declaravit SRC decretis 1209, 2212 et 2712 (77).

Situs throni. Iubet CE ut thronus episcopi ponatur in media abside vel a cornu evangelii, quae pars dextera est ecclesiae, en lex :

1) Si altare " est in medio (choro) sub tribuna (vel sub cupula) pariete disiunctum, sedes episcopi e regione altaris parieti applicabitur, ita ut episcopus in ea sedens respiciat recta linea mediam altaris partem " seu, si altare sit ad populum versum, thronus ponitur in medio absidis et episcopus sedet ad clerum et populum versus.

2) " Si chorus sit in media ecclesia et altare adhaereat parieti, vel ab eo modico sit intervallo separatum, sedes episcopalis ponitur a latere evangelii " et prope altare et non ad introitum presbyterii.

Locus altaris maioris ecclesiae cathedralis, si magnum exstat ciborium seu cupula, est in media navi, ita ut cupula altare coronet veluti in basilica sancti Petri; sed etiamsi cupula non habeatur altare construi potest " sub tribuna ", id est, ad introitum presbyterii et in utroque casu thronus locatur in media abside ut in primo casu exponitur (78).

Si altare sit retro post chorum, ad absidem versum, etiamsi distet a pariete et ciborio nobili cooperiatur, thronus construitur a parte evangelii ut in ecclesiis metropolitanis Westmonasteriensi et Neo Eboracensi (79).

Gradus ad cathedram. Sive thronus sit in media abside sive a latere evangelii seu " utroque casu tribus gradibus ad eam (sedem) ascendatur ". CE taxative numerum graduum throni determinat dum de numero graduum altaris silet. Seu plusquam tres gradus non permittuntur, quod quidem confirmatum est a SRC decretis 569 et 2331, 7; cauto tamen quod si ad altare per unum vel duos tantum gradus ascenditur, tunc etiam ad thronum per unum vel duos gradus

(77) SRC, decreto 2712 diei 26 aprilis 1834, amovendum esse statuit thronum fixum in quadam ecclesia collegiali Italiae quia " lex nulli subiicitur exceptioni "; tamen docet BM, Benedictum XIII thronum fixum ecclesiis collegialibus Italiae permisisse, nescio qua fultus informatione. BM, II, p. 313.

(78) Altare aedificandum est quantum fieri potest prope introitum presbyterii, et non in extremitate navis ita ut haud a populo videri possit; principalis error, si ita loqui licet, erat longitudo navis cum altari in extremitate.

(79) Architecti thronum ab extremitate absidis ad latus evangelii transportarunt eo quod, si thronus ponatur in extremitate absidis, et altare, prout fieri debet, ciborio cooperietur, episcopus in throno sedens nec populum conspicit nec ab eo conspicitur, praesertim cum ad thronum per tres gradus ascenditur et nequit hic altius construi quam altare ipsum; difficultas haec tamen partim solvitur elevatione chori circa altare.

ascendi debet eo quod non licet altare in plano inferiori ponere relate ad thronum. D. 574 (80).

Suppedaneum est tertius gradus, et sufficiens sit ad recipiendum sedem et tria scabella assistentium cum assistentibus diaconis et presbytero, qui commode debent ad episcopum accedere ad ministrandum. Quodsi spatium sufficiens non aderit pro tribus gradibus, duo ponuntur gradus, ita ut secundus gradus sit suppedaneum in quo sedent et inserviunt diaconi et presbyter assistentes. Tertius ad latitudinem cathedrae subtusque eam locatur.

Cathedra. " Forma sedis erit praealta et sublimis, sive ex ligno, sive ex marmore aut alia materia fabricata, in modum cathedrae et throni immobilis ". Ex verbis CE concluditur : Cathedra construi potest ex quacumque materia solida ita ut detur tenor rei immobilis seu firmae et non simpliciter sedis cameralis. Tamen cathedrae frequentius construuntur e ligno cum cathedrae marmoreae sint frigidae. Throni basilicarum Urbis, imprimis basilicae Lateranensis, e marmore sunt et CE sedem vult " qualem in multis ecclesiis antiquioribus videmus ".

Iubet legislator ut sedes sit " praealta et sublimis ". Ad hoc consequendum sedes construi solet tredecim vel circiter centimetrorum (5 *inches*) altius quam sedes cameralis et ante sedem in suppedaneo ponitur parvum scabellum 15 cent. altitudinis (6 *inches*) et 50 cent. (20 *inches*) longitudinis et eiusdem latitudinis ac sedes ipsa, super quo episcopus pedes requiescit; vel sedes erit altitudinis sedis normalis cum parvo scabello subtus sed longius ante sedem ducto, ita ut episcopus possit pedes super illum ponere. D. 2231, 7.

In parte posteriori sedis ponitur postergale praealtum, seu altitudinis episcopi sedentis et infulati vel aliquantulum altius.

Utrimque poni solent accubita seu brachia, sed partes huiusmodi cappam pontificalem vel vestes sacras intercludunt quae ideo nequeunt nobili modo explicari, expedit exinde ut accubita sint depressa, seu non plus quam 20 centimetrorum altitudinis (8 *inches*), vel absint omnino, exemplo Bernini in Cathedra sancti Petri.

(80) Et hic mentem sancti Caroli in CE apparet, nam Paris de Grassis maxima sua auctoritate, quae in sacris caeremoniis erat quasi apostolica, seu confirmata voluntate Papae, declaravit : thronus episcopi cardinalis Bononiensis ipsiusque legati " habebit duos tantum gradus et non plures : nam regulariter soli sedi Papae, quod solium vocatur, apponuntur gradus tres, quae est Papae praerogativa ". De caeremoniis cardinalium, lib. I, cap. 33-34. Consulto scripsit Paris " quod solium vocatur ", nam magister ille caeremoniarum apostolicarum thronum ceterorum episcoporum *solium* vocare non permittebat.

Partes complementariae throni. Thronus essentialiter consistit in cathedra (praealta) super strato posita ad quam per gradus ascenditur, quae tamen ornamentatione completur prout sequitur.

1) Cathedra " tegi debet et ornari aliquo panno serico concolori cum aliis paramentis ". CE se refert ad usum romanum cooperiendi totam sedem, quae ex ligno fieri solet, cum serico panno *(housse)* qui facile mutari potest iuxta qualitatem festi. Si tamen cathedra sit artificiosa loco sericei coopertorii totius sedis poni solent pulvini duo maiores : unus super quo sedet episcopus, alter ad dorsum.

2) In parte posteriori throni ad latitudinem suppedanei, si sedes parieti adhaereat vel sit prope eam, sericum dorsuale appenditur altitudinis circiter duorum metrorum cum dimidio vel etiam plus seu ad altitudinem umbraculi si aderit (81).

3) " Super eam (sedem) umbraculum seu baldachinum eiusdem panni et coloris appendi poterit ". Baldachinum pars est complementaria quae " appendi poterit " et non de necessitate absoluta throni. Umbraculum locatur " dummodo et super altari aliud simile vel etiam sumptuosius appendatur ", seu si ad altare Domini nullum adest umbraculum vel ciborium, nec super sedem episcopi ponatur (82-83).

(81) Verba legis " nisi ubi super altari est ciborium marmoreum, quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest " CE, I, 13, n. 3 referuntur ad pannum similem vel sumptuosiorem retro post altare appendendum, qui non appenditur si adest ciborium, et sic intelleguntur : " baldachinum cum suo postergali ponitur ad thronum, dummodo altare coopertum sit suo serico baldachino cum dorsali vel tantum marmoreo ciborio sine dorsali ".

(82) CE docet non debere dari cathedrae episcopi maiora dignitatis argumenta quam altari, sed altare esse plus distinguendum. Sic : numerus graduum altaris non limitatur; limitatur vero numerus graduum throni; huic umbraculum dabitur dummodo etiam detur altari; retro post altare pannus *sumptuosior* appendendus est, nam panni aurei vel pretiosi apponuntur ad altare sed non ad thronum episcopi D. 2289, 5, quod laudabiliter etiam a SRE cardinalibus servabitur; si gradus altaris tapetibus non cooperiuntur, nec gradus ad cathedram cooperientur DD. 569 et 574. Etenim, si episcopi pontificalibus aliisque privilegiis distinguuntur, amplioribus honorari debet Rex Ipse cuius non solum Divinitas sed etiam Humanitas sub humilibus speciebus latent. Et sic etiam legi debet D. 2471, 5.

(83) Legit NC, n. 60 " I cardinali nel loro titolo o diaconia : 1) innalzano il trono con dossello e baldachino; 2) di velluto rosso; 3) non usano però la cattedra ma la poltrona camerale; 4) pure coperta di seta o di velluto rosso; 5) a meno che nella chiesa non via sia la Cattedra fissa : in questo caso il dossello e il baldachino rispondono al colore del giorno o dell' uffizio ". Quae tamen verba explanatione indigent.

1) Si ad altare non aderit ciborium vel baldachinum nec ad sedem cardinalis apponendum erit, nam CE etiam in Urbe urget prout iteratis vicibus in NC declaratur : agitur enim, teste Lunadoro in Romanis usibus perito, de vetusta Urbis traditione; scripsit enim " ... non essendovi il baldacchino sopra l' altare meno il cardinale lo deve

CE non supponit casum de umbraculo fixo metallico vel marmoreo quod in parte posteriori ornari possit panno nobili, sed certe id non prohibet.

Feria Sexta in Parasceve nec thronus ornatur, nec baldachinum, si sit amovibile, apponitur, nam sedes erit " penitus denudata ". CE, II, 25, 1.

Color vestium throni sequitur colorem festi vel temporis, sed in officiis defunctorum color violaceus adhiberi solet.

CE iubet ut adhibeatur sericum excluso auro " nisi episcopus esset cardinalis ", tamen licet thronum cardinalitium ornare colore habitus praelati, rubro scilicet seu violaceo, sed magis iuxta sensum liturgicum agunt cardinales qui monitum CE sequuntur et liturgicum colorem ad thronum adhibent. Hac de re docet sanctus Carolus " Vestitus sedis episcopalis sit e pannis sericis rasis *(soie unie)* non villosis, nec auro argentove intextis ". AEM, II, col. 1567.

In medio postergalis throni laudabiliter ponuntur, suis coloribus depincta, stemmata episcopi cuius est sedes, licet ab alio episcopo per modum actus adhibeatur, nam thronus est episcopi loci et stricte personalis.

Utile erit in parte interiori umbraculi lucem electricam invisibilem ponere ut episcopus possit facilius quae legenda sunt videre.

Inter sedem et postergale aderit spatium apertum ne teneatur episcopus super dalmaticis et planeta sedere cum gravi harum vestium detrimento.

De thronorum multiplicatione. Thronus in ecclesiis cathedralibus unus est, quia unus est episcopus, iuxta illud veterum " una cathedra

tenere lui sopra la sua sedia, ma solo dietro la cascata (postergale) del medesimo ". Relazione delle Corte di Roma, Roma 1641, quem confirmat Moroni, 81, p. 122.
2) Sericum villosum, prout pluries declaratum est, praerogativa est Papae (qui paucissimis nunc fruitur privilegiis) et in vestibus cardinalium non permittitur. Praeterea sericum villosum est nunc res exquisiti pretii et solet substitui a *cotone* villoso *(velours de coton)* : melius est sericum adhibere rubrum vel violaceum prout erunt vestes cardinalis.
3) In Urbe cathedra praealta uni Summo Pontifici conceditur " Quia sublimis alii subduntur in imis ".
4) Sedes cameralis sit e ligno inaurato cum pulvinaribus *(tapissées)* in sede, in dorso et ad brachia, e serico rubro, et non circumcirca rubro panno cooperto *(housse)*.
5) Si in ecclesia adest cathedra fixa lapidea, ut in nonnullis ecclesiis Urbis, vestes baldachini, postergalis et sedis erunt, iuxta monitum CE, coloris diei vel temporis. Extra Urbem color throni cardinalium solet esse tempori liturgico vel festi conformis, nisi quando, habita occasione maioris festivitatis, thronus specialis pro pluribus cardinalibus construitur, qui tunc erit rubri coloris cum sede nobili *(poltrona camerale)* ut in n. 4 supra declaratur, pro unoque cardinali.

plures non capit episcopos ". Sacrum enim erat principium " unum altare, una sedes ", altare vel sedem duplicare schisma secum ferebat. Moroni, 81, p. 107. Quo tamen non obstante ius, a CE firmatum, throni multiplicationem admittit, seu CE supponit casum quo duo vel plures praelati insimul praesentes adsint cum iure throni (84).

Multiplicatio throni fieri potest :

1) Per constructionem alterius throni a latere epistolae si thronus adest a latere evangelii, iuxta verba CE " Metropolitanus... habebit sedem... in cornu epistolae similiter ornatam ut sedes episcopi " (85-86).

2) Constructione throni a latere epistolae cum pluribus sedibus cameralibus aequalibus, praesertim si aderit cardinalis a latere legatus; ita fieri solet in ecclesia metropolitana Westmonasteriensi quando plures patres cardinales conveniunt (87).

3) Per maiorationem throni episcopi ita ut plures sedes camerales aequales in eo ponantur : si sint " plures cardinales, poterunt omnes ab eadem parte evangelii sedere in sedibus aequalibus " (88).

(84) Iuxta CE celebrans semper unus est, et si praelatus missae solemni praeest solus praeest, exinde sequitur unum tantum thronum per se haberi posse. Insuper paucae sunt ecclesiae in quibus, occasione specialium functionum praesente frequentissimo clero, locus in presbyterio ad plures thronos cum suis gradibus habetur, praesertim si thronus locatur in media abside. Exoptare licet ut in nova editione CE res ita disponantur ut thronus unus semper sit, deturque praelato qui vel celebret vel rei divinae praesit; ceteri sedebunt in sedibus cameralibus vel in primis locis chori. Ita enim caeremoniae facilius redderentur sine excessiva inter praelatos distinctione.

(85) Paris iussit ut, praesente cardinali legato in throno a latere evangelii, thronus episcopi cardinalis poneretur a latere epistolae; non aliter fecit CE pro metropolita praesente loci ordinario.

(86) Haec rerum ordinatio a CE facta supponit ordinarium loci metropolitam vel etiam nuntium apostolicum praecedere, sed CIC dat his praelatis praecedentiam (can. 347). Sequitur non amplius licere illis secundum locum a latere epistolae dare. Quaestio aliter solvenda erit.

(87) CE in hoc capite sub n. 5, admittit casum praesentiae insimul cardinalis a latere legati (de quo loquitur sub n. 4) et episcopi loci ordinarii cardinalitia dignitate gaudentis, et ambo in eodem throno a latere evangelii sedentes. Id nunquam vidimus. Si adest cardinalis a latere legatus, alter ego Papae, ipse solus thronum principalem habebit, et ceteri cardinales praesentes sedebunt in sedibus cameralibus e regione opposita.

(88) Magister Paris de Grassis narrat quomodo, caeremonias ecclesiae Bononiensis ordinans (cuius titularis cardinalitia dignitate fulgebat), usum invenit ut cardinalis loci ordinarius throno non uteretur eo quod cardinalis legatus sedem episcopi sibi reservabat. Sed Paris id non est passus et cardinalem legatum necnon cardinalem ordinarium loci, aliosque praesentes posuit in sedibus cameralibus aequalibus; " sedem vero legati paulo altiorem " posuit, lib. I, cap. 33. Ita Paris principium throni cum pluribus sedibus introduxit vel saltem confirmavit.

Si thronus sit in medio absidis eius multiplicatio difficilior evadit et solutio habetur tantum per maiorationem throni singularis.

¶ — 1. De usu throni seu de functionibus pontificalibus ad thronum vide librum tertium.

2. Alter thronus episcopalis prope suggestum ad verbum Dei audiendum res est CE aliena, nec fas est sedem illam super tribus gradibus elevare. D. 2231, 8 (89).

De solio pontificio. Thronus Papae sequitur regulas throni episcopalis, cauto quod per quinque vel septem gradus ascenditur et cathedra ponitur super scabellum peraltum cum duplici gradu in parte anteriori cuius pars inferior amovetur quoties necessarium est.

Cathedra Apostolica Basilicae Lateranensis, quae a Leone XIII anno 1880 aedificata est, quinque habet gradus cum perpulchra sede marmorea, mosaicis decorationibus incisis. Baldachinum metallicum et rotundum locatur in summitate, quoties necessarium est, et cathedra pulvinibus sericis ornatur (90-91).

Ad thronum qui pro missa solemni papae erigitur in abside Basilicae Vaticanae septem apponuntur gradus suppedaneo incluso, quod etiam

(89) In ecclesia metropolitana Neapolitana, in media navi, facie ad suggestum videri potest thronus cardinalitius alter modo habituali ibidem positus, cui per septem gradus ascenditur, ne praedicator verbi Dei altius stet quam episcopus; utrimque adsunt scabella pro assistentibus ad stemmata pontificis. In ecclesiis Galliae apponi solet in media navi, in loco fidelibus destinato, sedes cum magno crucifixo qui a praedicatore videri potest, cancellis clausa, (*bans d'œuvres* uti aiunt), quo episcopus cum suo nobiliori clero praedicationi verbi Dei assistit : res miranda quae cum usibus Ecclesiae Romanae et cum sapientissimo CE haud concordat. Clerus e suis locis in choro conciones audiat, et episcopus, si vellet, faldistorium ad introitum presbyterii ponere potest, tum ad praedicandum verbum Dei tum ad illud humiliter audiendum.

(90) Ante constructionem novae absidis ecclesiae Lateranensis, nec in ecclesia sua Papa thronum habebat : nam vetus cathedra pluribus abhinc saeculis destructa erat; ad rem Cancellieri : " Ivi era (nel anno 1590) nel mezzo in fondo della tribuna, una Cathedra pontificale di marmo, sovraposta a sei scalini..., ma poi questa catedra fù solta e vi fù sostituito l' altare de' canonici. A questi gradini, benché dica che erano tre solamente, pare che alluda il Dante in quella terzina, " Secco vapor non surge più avante, che al sommo dei tre gradi, ch' io ov' ha il Vicario di Pietro le piante ". *Solenni Possessi*, p. 147, nota 1. Gradus sex mosaicis ornatos apponi iussit Nicolaus IV (1288-1292) RF, p. 357 et forsan Dante († 1321) thronum ante reformationem Papae Nicolai vidit cum tribus tantum gradibus. Certe regula erat ut tres apponerentur gradus uti maxima sua autoritate docet Paris († 1528).

(91) Antiquam sedem Apostolicam lateranensem reaedificare voluit suis studiis Rohault de Fleury, de Laterano benemeritus, et suum propositum de Rossi patefecit qui illum ad Basilicam Assisiensem mandavit, cuius thronus exemplar throni lateranensis est; ait ipse " Le Siège pontifical d'Assise que M. de Rossi m'avait conseillé d'étudier... présente la même disposition, les six marches, les animaux symboliques (super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem), et enfin le dais de marbre qui le recouvre " *Le Latran au moyen âge*, p. 358. Sex erant gradus forsan quia Rex Salomon sex apposuit gradus ad thronum suum. Lib. III, *Regum*, cap. X, n. 18.

servatur cum erigitur thronus in aula benedictionis pro publicis consistoriis vel ante porticum Basilicae Vaticanae (92-93).

Thronus abbatialis iuxta decretum Alexandri VII (D. 1131, 1 et 2) in hoc a throno episcopali differt quia non est immobilis sed locatur quoties necessarius est; praeterea ad eum duobus ascenditur gradibus, 2[us] est suppedaneum super quo sedes cameralis ponitur loco cathedrae praealtae (94). Tamen post ampliorem concessionem sancti Pii X a CIC factam (canones 325 et 625), thronus ecclesiarum abbatialium solet esse fixus cum tribus gradibus, cauto quod extra functiones pontificales sit nudus, eo quod thronus fixus et vestitus praerogativa exclusiva est ecclesiarum cathedralium, consulto enim definitum est a SRC : " Si sedes abbatialis seu prioralis est *mobilis*, finitis functionibus pontificalibus amoveri debet; si vero amoveri nequeat, utpote *fixa*, tunc sufficit ut nudata maneat omnibus ornamentis, post easdem functiones pontificales ". Decretum diei 3 februarii 1907. ASS, vol. 41, p. 344 (95). Urget vero praesentia legis Alexandri VII ne thronus

(92) Chiapponi, apostolicis caeremoniis praepositus, dat picturam amplissimi throni in Basilica sancti Petri erecti pro canonizatione Pii V, OP; erat enim " septem gradibus elatus " prout etiam nunc fieri solet, non secus ac altare papale. *Acta canonizationis Pii V*, Romae 1720, p. 238. " Nelle chiese e basiliche si regolano (i gradini) a proporzione di quelli dell' Altare " ait Moroni, nam neque thronus papalis altior esse potest quam altare Domini. Moroni, 8, p. 128; 81, p. 114. Propterea etiam ad thronum capellae Sixtinae sex habentur gradus a plano capellae, seu potius quinque et insuper suppedaneum. De throno papali, data opera, agit Moroni, 31, p. 96-122.

(93) Specialem meretur mentionem cathedra papalis a G. Biagetti facta et a Pio XI approbata eique data pro capella Sixtina, una cum novo baldachino et magno ligneo Crucifixo pro altari eiusdem capellae : " Quinquaginta iam annos sacerdotii ex collatione catholicorum Urbis "; quae tamen amota est, locum item dans vetustis umbraculis capellae, cum detrimento picturarum Michelangel et deplorantibus sacrarum rerum artificibus. Vide G. Pauri apud *Arte Cristiana*, 1929, p. 238-244 vel *Illustrazione Vaticana*, II, n. 4, p. 22 et 26, 28 februarii 1931.

(94) Docet Hofmeister, *Mitra und Stab*, p. 59, codicem iuris canonici privilegium throni et baldachini abbatibus non solum nullius sed etiam de regimine eodem modo dedisse, cum canon 625 ad canonem 325 se refert. Sed argumentum nimis probat, nam in iure ecclesiae matrices territorii nullius dioecesis ecclesiis cathedralibus assimilantur, non ideo ecclesiae abbatiales in territorio alterius dioecesis, cuius ecclesia cathedralis illis non assimilatur. Insuper plura alia sunt privilegia abbatis nullius dioecesis quae in citato canone non leguntur. Vide lib. I, *De personis*, p. 61. Sicuti pluries dictum est, codex iuris minime intendit totum ius liturgicum tradere vel reformare, praesertim cum fontes ad pedem canonis 625 ad ius liturgicum iam existens se referunt, illudque confirmant. Certum est privilegium cathedrae praealtae cum tribus gradibus nunquam fuisse litteris apostolicis datum abbatibus.

(95) Idque paulo post sanctus Pius X confirmavit dicens thronum abbatis ecclesiae Castrifranci debere " peracta festivitate " amoveri. Acta Pii X, V, p. 283. Duae aliae exstant responsiones sancti Pontificis circa usum throni ab abbatibus, sunt enim *Prudentiae tuae* diei 28 februarii 1905 et *Tempora* (S. Cong. Cons. diei 15 augusti 1907), quae tamen legere non potui quia edita non fuerunt vel ubi edita fuerunt nescio, certior tamen factus sum Papam quaestionem throni *prudentiae* abbatis reliquisse, et contra mentem Pontificis qui codicem iuris efformavit ageret abbas de regimine qui thronum suum in eadem linea cum throno ecclesiae cathedralis poni vellet.

abbatis ornetur pannis sumptuosioribus illis qui ad altare ornandum apponuntur (96-97).

De throneto. Nonnullis praelatis quibus usus throni non conceditur a iure datur usus throneti.

Thronetus in iure liturgico thronus est minor qui integratur sede camerali super unico gradu tapeto cooperto sed sine baldachino et sine scabellis utrimque. Ait CE : Thronetus integratur " unico ligneo gradu in cuius planitie decens sedes cameralis locatur; a tergo ipsius sellae (sedis) attolletur postergale non praealtum... quod panno coloris violacei sine auro vel argento contegetur. Ante sedem apponetur genuflexorium cum tapete et pulvinaribus violacei coloris " (98). CE, III, c. 4, n. 3.

Thronetus adhibetur a latere epistolae :

1) A praelatis speciali modo honorandis sed quibus thronus a iure non conceditur. Vide lib. III. *De functionibus in genere*, p. 337.

2) A praelato qui functionibus civilibus gubernatoris seu magistratus fungitur. CE, III, c. 4, n. 3.

3) Ab episcopo in secretario a latere dextro dum ad cantum tertiae sacras assumit vestes. CE, II, 8, n. 3. CE formam sedis non describit sed ex recepto usu romano agitur de throneto cum postergali sed sine

(96) Attenta est Ecclesia ne thronus praelatorum amplioribus ornentur privilegiis quam altare Domini, propterea statuit : Abbates seu praelati nullius " baldachinum adhibere supra sedem poterunt non pretiosum aut aureum sed simplex et eo quod altari superimponitur materia et opere inferius " et " cathedram simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto aut phrygio aut basilico opere exornato *(sans broderies)* ". Ita legislavit et bene Alexander VII decreto 1131, 2 et 3 qui legem anteriorem ampliavit, nam SRC semel et iterum baldachinum super throno abbatiali prohibuerat decretis 198 et 348 in nova collectione conservatis.

(97) Ecclesia abbatialis *d'Orval* in Regno Belgico Sacri Ordinis Cisterciensis nuper reaedificata est et ad dignitatem basilicae minoris elevata, certe nulli per orbem ecclesiae abbatiali secunda : exoptare tamen liceat ut tandem aliquando nobilissimum altare nobilissimo ornetur conopeo : nunc thronus abbatis plus honoratur quam altare Domini non solum quia pulchro ciborio coronatur sed quia altius elevatur. Vide *L'Artisan liturgique*, 1947, n. 2 et 3. Vide notam 110, p. 286.

(98) Thronetus in hoc etiam a throno differt quia genuflexorio completur quod nunquam ad thronum locatur. Ratio differentiae in ipsis ritibus habetur, nam episcopus ad thronum genua flectit adhibito pulvino ad momentum tantum, veluti quando a choro cantatur versus ad quem genua sunt flectenda; ad consecrationem in missa vel ad orationes, quoties flexis genibus hae sunt dicendae, episcopus, throno relicto, genua flectit ad faldistorium in plano, humilitatis argumento; praelati vero qui throneto utuntur ibidem genua flectunt, propterea genuflexorio ornatur. Contra mentem et sensum CE agunt episcopi qui, quoties genuflectere debent, genuflexorium ad suppedaneum throni apportare faciunt, sicuti in nonnullis Europae locis vidimus factum.

baldachino prout pro Summo Pontifice paratur, cauto quod thronetus tertiae Papae super tribus gradibus ponitur et thronetus episcopi super unico gradu.

4) A superioribus maioribus nonnullorum ordinum religiosorum quando solemnius sacrum litant. Vide lib. I, *De personis*, p. 84.

¶ — Ad thronetum de quo in n. 3 et 4 genuflexorium non apponitur eo quod sacras functiones intercluderet.

De throno para-liturgico. SRE cardinales in suis residentiis ius habent ad thronum seu potius ad thronetum quod sic a NC describitur :

" Nella sala del trono, tappezzata in rosso, addossato alla parete principale, si colloca un dossello con baldacchino, tutto di velluto rosso con trine e frangie d' oro, e in mezzo al dossello, il ritratto del Sommo Pontefice, in pittura ad olio. Ai piedi del dossello, un nobile tappeto, non molto grande, con sopra una poltrona dorata, ricoperta della medesima stoffa del dossello, e posta nella positura normale. In qualche particolare circostanza o cerimonia può sottostare alla poltrona una predella ". NC, n. 72, c.

Gradus unicus de quo loquitur Instructio solet permanenter apponi et non solum quando necessarius est, non secus ac in aula throneti Papae, nec expedit erigere thronum ad instar throni liturgici cum tribus gradibus.

Si optima pictura Papae haberi nequit, melius est ut non apponatur. Licet etiam, praesertim si tela Summi Pontificis sit, prout decet, maiorum dimensionum, eam alio loco nobili aulae appendere, in quo casu in postergali throni poni possunt stemmata cardinalis (99).

Nonnulli archiepiscopi metropolitani in sua aula nobili thronum para-liturgicum erigunt, quod tamen esse debet viridis coloris et sine ullo ornamento ex auro sed tantum ex serico.

---

(99) Usus apponendi telam regnantis Pontificis ad thronum cardinalis innovatio est, nec videtur rationi quadrare. Ad rem Moroni, 81, p. 122 : " A quell' epoca (1646) non si costumava di porre sotto il baldacchino il ritratto del Papa ". Vide Lunadoro, *Relazione della Corte di Roma, h. l.*, Roma 1646. Melius agebantur res solemnes quando suum utilissimum librum scripsit Lunadoro.

CAPUT XII

De faldistorio

Faldistorium sella est nobilis et portatilis, et ministerium pontificale maximi momenti in sacris functionibus, quod specialibus gaudet privilegiis, nam inauratur laminisque argenteis nobilitatur.

Materia et forma. Faldistorium fabricatur "e quaternis lignis nuceis (vel ex alio ligno), binis scilicet ab anteriori, totidemque a posteriori parte, inauratis, laminarum argentearum tegmine ornatis, iisque singulis ab omni laterali angulo formam capitis leonini paululum prominentis exhibentibus... sedile coriaceum habeat solidum". AEM, II, col. 1567. Quae quidem descriptio a sancto Carolo facta silentium CE supplet (100).

Faldistorium sancti Caroli sic etiam describi potest : Lignei quaterni fabricantur in forma litterae X, sed cum lineis concavis, et quatuor extremitates terminantur ad formam capitis leonis. Lignei aureo ducuntur, et partes superiores laudabiliter laminis argenteis nobilitantur (101).

Vestes. "Faldistorium undique ad terram coopertum sit serico eiusdem coloris cuius erunt cetera paramenta". CE, I, 12, n. 10. AEM, II, col. 1567. Tamen, prout docet Martinucci, color vestis in officiis pro defunctis violaceus erit et color niger adhibetur tantum ad tumulum. MM, 3, p. 18; 259; 266; 279.

"Pulvinaria faldistorii, unum ad genuflectendum, alterum ad sedendum e serico villoso constent". AEM, II, col. 1567.

Sanctus Carolus faldistorio praelatorum privilegia specialia concessit, non tantum quoad eius inaurationem, verum etiam quoad "pulvinaria e serico villoso" (102).

(100) CE de faldistorio data opera non agit sed de illo passim loquitur. Certe de quadam omissione agitur, praesertim cum Paris de Grassis capitulum *de faldistorio* scripsit lib. I, cap. XXXII.

(101) In nonnullis regionibus Europae, Italiae praesertim, faldistoria construuntur ex metallo : pars superior ex cupro inaurato, pars vero inferior ex ferro. Sedes istae tamen non solum sunt maioris ponderis et difficilius transportantur, sed, si nudae adhibentur, veluti Feria Sexta Maiori vel ad solium papale pro presbytero assistenti, deveniunt horribiles. Consulto itaque praecepit Carolus Borromaeus ut faldistoria e ligno conficerentur.

(102) Faldistorium, utpote nobilis praelatorum sella, inauratum sit necesse est. CE iubet ut tegumentum *super pulvinario* apponatur, sed sequimur sanctum Carolum cum usu recepto de nobili pulvinario *super tegumento* apponendo.

Suppedaneum. Cum faldistorium in pavimento positum nimis depressum remanet, "suggestum seu tabulatum aequalis altitudinis a terra cum infimo gradu altaris supponitur". CE, I, 12, n. 11. Paris de Grassis, lib. I, cap. XXXII (103). D. 2231, 9.

¶ — In Basilicis papalibus pro celebrante episcopo vel cardinali faldistorium ponitur "supra unicum suppedaneum altitudine infimum eiusdem altaris gradum exaequans". Caer. Bas. Ap. de Portiuncula, n. 309, b.; Caer. Bas. Ap. Assisiensis, p. 17. Attamen in capellis papalibus faldistorium in plano presbyterio locatur.

Situs faldistorii. Pro functionibus ad altare, seu pro missa et vesperis celebrandis sella pontificalis "locari debet", prout docet Paris de Grassis, "cum moderamine ut post renes suos celebrans non habeat altare... ut ab omni populo sedens videatur : commode ergo locabitur si pedes celebrantis sint aequales secundo gradui altaris; et ita locetur ut celebrans super illo sedens vertat faciem suam sicut est altaris frontispicium, (id est) si pars anterior altaris ad populum respicit, celebrans sedens vertit faciem ad corpus ecclesiae sive ad populum; si (vero)... pars altaris posterior versa est ad populum, celebrans sedens humeros ad populum vertet". De sacris caeremoniis, lib. I, cap. XXXII. CE Paridem sequens iubet ut faldistorium locetur "a latere epistolae ita ut episcopus sedens habeat ad dexteram suam altare" seu episcopus sedens non habeat altare nec pars eius a tergo, sed a dextris.

Faldistorii duplex est usus, "pro sessione episcopi celebrantis" CE, I, 12, n. 10 et "ad genuflectendum". Ibidem, n. 8 et passim.

Faldistorium adhibetur ab episcopo sacrum faciente ad altare vel ubicumque sacra actio peragitur, propterea enim transportabile est.

¶ — De usu faldistorii seu de functionibus pontificalibus ad faldistorium vide librum III.

Faldistorium papale eodem modo construitur ac faldistorium episcoporum ad formam litterae X, sed aliquantulum altior et sine tegumento, sed cum nobili pulvinari in parte superiori super corio posito quo Papa reclinat, et in plano parvum apponitur scamnum ad genua. Sella huiusmodi nobilissimum ministerium Papae est, et ab Eo adhibetur quoties debet ad altare nixus adstare genibus. Vide Stanze di Raffaello, *La Messa di Bolsana*, cum assistentia Iulii II

(103) Iuxta Paridem, si celebrans sit SRE Cardinalis, duo erunt gradus suppedanei aderitque tapete nobile, id tamen non amplius viget.

super perpulchro faldistorio genuflexi et cum nobili lineo rocheto infra genua ducto.

Faldistorium cardinalitium totum inauratum cum pulvinari nobili et sine veste ad instar faldistorii papalis dari solet patribus sacri conlegii quando flexis genibus orare debent.

Faldistorii multiplicatio. Non secus ac cathedra episcopalis, faldistorium in sacris ritibus unum est, praelati scilicet celebrantis, et si tempore sacrorum rituum alii praelati sacris induti vestibus inservire debent, ad scabella sedeant necesse est. Ita debere fieri praecipit CE a quatuor episcopis concelebrantibus quando quinque fiunt absolutiones, et a PR ab episcopis coconsecratoribus in episcoporum consecratione.

Regula haec patitur exceptiones pro cardinali qui in episcopum consecratur et ad faldistorium sedet, et pro electo qui sacrum pallium recipit. Quae quidem regula seu potius exceptio ad ceteros cardinales extendenda est. Sic si plures cardinales SRE functioni alicui solemni intersint nec adhibent thronum, sedere poterunt vel genuflectere ad faldistoria pro ipsis in plano presbyterio parata, uti ex. gr. si solemni cantui hymni **Te Deum** cum cappa cardinalitia intersint.

CAPUT XIII

De genuflexorio qualificato

Praelati maiores intra sacras functiones ius habent ad genuflexorium ligneum maius, tapete et pulvinaribus duobus instructum et qualificatum. De Herdt, *Praxis pontificalis*, I, p. 152. CE, I, c. 12, n. 8. Genuflexorium hoc sit longitudinis 90 cent., latitudinis 65, et altitudinis 85 (36×26×34 *inches*).

Genuflexorium qualificatum cooperitur " panno viridi seu violaceo pro qualitate temporum ", seu violaceo si color diei sit violaceus vel niger, colore vero viridi, qui episcoporum proprius est, si alius sit color diei, vel semper violaceo si praelatus episcopali charactere non sit ornatus.

Si vero praelatus erit cardinalis, nisi faldistorium cardinalitium inserviat, genuflexorium cooperiendum erit " serico vel panno rubei seu violacei coloris, prout erunt vestes cardinalis ".

CE copiam vestium supponit pro cardinalibus : violaceo vel rubeo, et panno vel serico, prout cardinalis vestes laneas vel sericas habet;

sed in praxi tegumentum erit semper sericum rubrum vel violaceum, etiamsi vestes cardinalis sint laneae.

Tegumentum debet genuflexorium usque ad terram cooperire vel etiam super pavimento protrahi ad maiorem solemnitatem, propterea nequit tempore functionum transportari.

Pulvinaria duo eiusdem sint serici ac tegumentum et ampla ut praelatus possit commode brachia reclinare et genuflectere seu sint 60×40 centimetrorum et 10 altitudinis.

Genuflexorium qualificatum construi potest forma ampliori pro pluribus praelatis qui ad illud ius habent, uti si una simul plures conveniant patres cardinales vel metropolita et nuntius apostolicus.

Genuflexorium stratum seu qualificatum conceditur solummodo episcopo dioecesis vel praelatis maioribus ad fruendum privilegiis ordinarii loci admissis D. 2011, 2; Catalanus, in CE, I, p. 59, n. XVIII.

CAPUT XIV

De ceteris sedibus celebrantis et ministrantium

Scamnum sedes est celebrantis cum suis ministris quae a latere epistolae aptatur et ministerium non parvipendendum in sacris functionibus. CE, I, c. 12, n. 22.

Scamnum construitur e ligno forma oblonga sufficiens pro celebrante cum suis ministris 160×46 cent., 44 altitudinis (63×18×17 *inches*). Parvum postergale 30 cent. (12 *inches*) altitudinis (104) permittitur, ita tamen ut sacrae vestes retro cadant ne celebrans et ministri teneantur super casula vel dalmatica sedere cum sacrarum vestium nocumento (105). Insuper scamnum sit mobile, cum in maioribus functionibus non raro mutare debet locum vel etiam amoveri.

(104) " Decreta 320; 743; 2135, 3, intelligenda sunt non de scamno oblongo postergale habente, sed de sedibus cameralibus... ex praxi etiam Romae admissis... alioquin nimis esset incommodum sedere absque ullo fulcimento dorsuali " ait Petrus Piacenza. EL, 1906, p. 591. Corrigendus exinde index decretorum SRC, V, p. 452. Cf. etiam Schober, *Caer. Miss. solemnium*, p. 26. De Herdt, *Praxis pontificalis*, I, cap. XII, n. 99, vel Martinucci, l. 2, cap. IV, n. 7 : auctores hac de re consentiunt.

(105) Sunt qui volunt scamnum celebrantis in sedem cameralem cum postergali et brachiis cumque duabus sedibus minoribus pro sacris ministris super strato tapete cooperto, ad instar throneti, transformare, quod iteratis vicibus prohibuit SRC, veluti rubricis contrarium. DD. 1320; 2621, 6; 3104, 4; 3804, 11. Ratio clara est : sacerdos sacrum ad altare operatur et quando sedet id facit ne nimis gravetur, et ad hoc " satis est scamnum oblongum ". CE, I, 12, n. 22. Praeterea simplicitas ritus Romani luxuosas sedes excludit.

Situs. Cum latus dextrum ecclesiae episcopo reservetur, scamnum "a latere epistolae aptatur" CE, I, 12, n. 22 et non longe ab ultimo gradu altaris (106) et in functionibus ad faldistorium prope illud. Non secus ac in Ecclesia Lateranensi, licet, praesertim si aliter sit nimis depressum, scamnum super parvo gradu (15 cent. alt.) locare iuxta votum Gardellini. D. 2631, 3.

Vestes. Scamnum sit "aliquo tapete aut panno coopertum", quod tamen iuxta citatum votum Gardellini esse potest ex serico damasceno, et, si fieri possit, coloris vestium celebrantis et ministrorum.

Sedilia oblonga duo, "in plano chori disposita hinc inde contra altare et ornata panno viridi aut tapetibus" ad instar scamni sed sine postergali, necessaria sunt in vesperis solemnibus pro quatuor vel sex presbyteris pluvialibus paratis. Quod si desint, loco eorum adhibere licet scabella quatuor vel sex. CE, II, 3, n. 6.

Scabella sedes sunt singulares sine dorsello et facile transportabiles. Scabella romana construuntur cum quatuor lateribus clausis et a sede ad basim paulatim augentur.

Scabella semper nuda adhibentur, etiam ab episcopis vel cardinalibus. CE, I, 8, n. 2. NC, n. 41.

Simplicitas Romanae Liturgiae etiam hic notatur, nam sedilia profana seu saecularia a CE non permittuntur et a presbyterio arcenda sunt.

Scabella nuda sunt sedes omnibus clericis communia, et adhibentur a canonicis vel praelatis qui officio diaconorum assistentium throno funguntur, non secus ac a cardinalibus qui pontificio solio assistunt, vel ab episcopis coconsecratoribus in episcoporum consecratione, vel in quinque defunctorum absolutionibus. Sunt exinde sedes stricte liturgicae nec parvipendendae (107).

(106) Errant etiam illi (et quot sunt!) qui scamnum prope parietem, cum peramplo postergali sculpto ligneo ponunt facie ad thronum episcopi, ita ut celebrans coram se habeat episcopum. Sacerdos ad altare celebrat illudque frequenter petere debet, situs scamni proinde est prope altare. Ait enim CE, I, 9, n. 1 (In missa pontificali) "recedente episcopo ab altari diaconus ibi remanet cum subdiacono... et sedent in scamno... in cornu epistolae altaris". Ergo non in medio presbyterio.

(107) Contra CE agunt ecclesiae cathedrales et abbatiales quae putant scabellum sedem esse nimis pauperem et ad thronum episcopi vel abbatis in eorum locum substituunt sedes nobiles ad instar parvorum faldistoriorum cum pulvinaribus. Modestia Caeremonialis Episcoporum hic et in pluribus aliis locis a parte reponitur privata auctoritate, nam SRC tales innovationes permittere non est passa. D. 2621, 2. Vide *L'Artisan liturgique*, 1947, n. 2-3, p. 122. Sedes cum postergali vel cum brachiis non sunt adhibendae pro clero in choro, sed nec sedes mobiles quae clauduntur vel alio modo conficiuntur, nam simplicitati et dignitati sacrorum rituum non conveniunt.

SRE Cardinales non collegialiter coram Summo Pontifice sedent ad scabella nuda cum parvo dorsali *(scabello con schienale)*, prout in more romano est. NC, n. 41.

Pulvinaria a CE adhibenda praecipiuntur a praelatis quando sistere debent nixis genibus, vel etiam ad sedendum vel ad brachia reponenda, et dantur in signum dignitatis praelati.

Pulvinaria nobilia confici debent forma maiore, videlicet 50×35 centimetrorum et 10 altitudinis ($20 \times 14 \times 4$ *inches*). Cooperiuntur serico vel villoso panno, coloris vestis praelati vel etiam coloris viridis pro episcopis. Circumcirca torulus adaptatur.

Pulvinaria adhibentur ad thronum et ad faldistorium, vel ad primum in choro locum seu ad genuflexorium vel super pavimento. CE, III, 11, n. 2.

CAPUT XV

De choro

Chorus seu *corona circumstantium (Isidorus, de eccl. officiis, c. 3)* pars est presbyterii quae presbyteris seu clericis, qui sacris actibus intersunt vel cantum modulantur, reservatur. Locus circa altare ubi celebrans et ministri sistunt presbyterium hic intellegitur. Chorus sedibus constat ab utroque latere navis positis, seu in duas dividitur partes, clericis utrimque ad invicem se vertentibus, nam elementum essentiale cantus est ut in duas partes dividatur.

In ecclesiis maioribus chorus maximi est momenti, CE tamen de eo ex professo non agit, sed potius adesse supponit.

Situs chori. Si thronus episcopi sit in medio absidis, chorus ponitur inter altare et thronum, seu subsellia choralia ponuntur utrimque a lateribus throni ad usque fere altare vel circumcirca, ut in Ecclesia Apostolica Lateranensi.

Si thronus sit a latere evangelii prope altare, chorus locatur inter navim et altare, et si frequentissimus aderit clerus, ut in ecclesiis seminariorum vel abbatiarum, ad navim protendi potest (108).

(108) Ecclesia construi debet ad usum sibi proprium. Sic in ecclesia monastica, si multi sint monachi, eorum chorus protrahi debet ad navim, alibi reservato loco pro fidelibus; ita etiam fieri necesse est in clericorum seminariis. Proinde chorus in ecclesiis Sacri Ordinis Cisterciensis solet ad navim usque protrahi. E contra in ecclesiis paroecialibus sufficit presbyterium cum parvo choro, sed necessario erit ampla mensa communionis quae pro cancellis ad introitum presbyterii inservit, sic duos obtinens fines.

In ecclesiis rotundis, presbyterium construitur in media ecclesia, cum altari in una parte et choro in parte anteriori (109).

Pro regula habetur ut chorus, quantum fieri poterit, prope altare seu in presbyterio locetur (110).

De gradibus presbyterii. Quaestio hic movetur maximi momenti, nam si necesse est ut presbyterium altius locetur quam planum navis ecclesiae, ratione dignitatis ipsius altaris et hierarchici gradus celebrantis, et etiam ut sacrae actiones melius a fidelibus videri possint, certum est graduum multiplicatione caeremonias intercludi et difficultatibus obstrui (111).

Praeterea, praesertim in ecclesiis cathedralibus, presbyterium et chorus unum quid efformant, et nunquam erit nimis amplum cum in illis functiones maiores cum assistentia frequentissimi cleri, veluti ordinationes generales et episcoporum consecrationes, celebrantur. Expedit exinde regulas duas sequi, videlicet :

1 — Presbyterium et chorus ponantur in superiori plano relate ad navim ecclesiae, tamen elevatio trium vel quinque ad maximum graduum sufficit, sint enim numero impari. " Videndum est ut illi (gradus ad ecclesiam) et numero impares existant et tertio, quintove gradu planum fiat ", docet sanctus Carolus. InsFab, I, c. 9, AEM, II, col. 1421.

(109) Liturgice loquendo ecclesiae rotundae cum altare et presbyterio in medio circulo non prohibentur dummodo res functionali modo disponantur. Tamen in quadam ecclesia cathedrali proxima aedificanda cum celso choro, per circuitum in tribus planis diviso, functiones a fidelibus videri nequeunt praesertim quando clerus assurgit, nec evolvi possunt sine periculo propter graduum multiplicationem. Insuper accessus canonicorum seu cleri a stallis ad thronum fere impossibilis redditur. Vide Clemens Holzmeister, *Kirchenbau, ewig neu*, Innsbruck-Wien, 1951, p. 87.

(110) In novissima et quidem pretiosa et perpulchra ecclesia abbatiali Sacri Ordinis Cisterciensis *d'Orval*, inter partem quae altari reservatur et chorum magna facta est separatio, et locus amplus inter altare et chorum throno abbatis et marmoreo scamno celebrantis reservatur : amplior et principalior ecclesiae locus throno et scamno datur. Vide *L'Artisan liturgique*, IV, 1947, n. 2-3.

(111) Gradus in plano presbyterii sacras functiones intercludunt, proinde caerimoniarii se illis opponunt :
" There should be an unbroken space between the communion rails and the bottom step of the altar. It is impossible to carry out any liturgical function properly if the clergy and acolytes have to be going ut and down steps all the time ". Anson, *Churches, their plan and furnishing*, p. 133.
" Constantly to step up and down takes from the dignity of ceremonies ". Fortescue, *The Ceremonies of the Roman Rite*, p. 2.
" The impressive grandeur of the sanctuary of Saint John Lateran is specially due to its unbroken surface, no steps being visible, and a general ordination thus being carried out with ease and perfection ". Nabuco, apud *Liturgical Arts*, III, 1934, n. 1.
" If anything is open to criticism in Bentley's marvellous cathedral at Westminster, it certainly is the present exceedingly awkward arrangement of the sanctuary levels, which plainly allows of no free movement about the archiepiscopal throne ". W. de l'Hôpital, *Westminster Cathedral and its Architect*, I, p. 62.

2 — Presbyterium inter et chorum gradus ne apponantur seu in eodem aedificentur plano, ita enim caeremoniae melius explicantur et linea unitatis non interrumpitur.

Chororum diversitas. CE, I, 18, n. 4, 7, diversos distinguit choros seu personarum corpora tempore sacrarum functionum, videlicet :

1us est chorus assistentium et ministrantium episcopo celebranti vel assistenti.

2us est chorus ministrantium celebranti, si episcopus alius vel praelatus coram ordinario celebrat.

3us est chorus canonicorum et praelatorum in suis subselliis residentium.

¶ — In capellis papalibus specialis constituitur chorus cardinalium et episcoporum, vel praelatorum Romanae Curiae qui in illis locum habent, quique *Quadratura* nuncupatur.

4us est chorus beneficiatorum et reliquorum clericorum, qui, licet unus sit cum choro canonicorum seu praelatorum, nec semper easdem sequitur regulas quoad genuflexiones, incensationes vel alia huiusmodi, quique melius erit si separatim sedeat (112). Vide notam 117.

5us chorus clericis, vel etiam laicis in vestibus choralibus, constituitur, qui partes musicales missae, aliarumque functionum exsequuntur, quique *schola* vocari solet. Cum sacrae functiones magna ex parte cantu scholae constant, necesse est ut cantores prope altare locentur. Chorus huiusmodi speciales sequitur standi vel genuflectendi regulas et a moderatore chori regi debet, locum segregatum exinde illi competit (113).

(112) Distinctio a CE facta inter chorum canonicorum et praelatorum ex una parte, et chorum ceterorum clericorum ex alia, licet motu primo a nonnullis repellatur, tamen necessaria est, praesertim cum canonici seu praelati in missis, vesperis vel processionibus sacras vestes induunt, quae praecedentiam concedit; praeterea regulae standi vel genuflectendi non sunt eaedem pro uno et alio choro et canonici circum episcopum stare debent.

(113) Locus cantorum seu scholae, et proinde etiam organi in ecclesiis cathedralibus res est maximi momenti, praesertim cum post " reformationem " tota quaestio, exemplo Protestantium, solutionem architectonicam recepit, ita enim et schola et organum super ianuam principalem ecclesiae posita sunt, cum magno cantus et sacrorum rituum detrimento, quasi corpora diversa et seiuncta. In functionibus Protestantium schola et organum sunt suprema, in Ecclesia Catholica e contra omnia a celebrante directe derivantur et determinantur. Propterea iussit Pius IX in litteris ad suum cardinalem Vicarium, die 18 novembris anni 1856 datis, ut organum (et schola) prope altare locaretur. EL, IX, 1895, p. 657; idque una voce postulaverunt congressus omnes de musica sacra et praesertim conventus Vindobonae habitus anno 1909. Vide Sangiorgi, *Liturgia dell' organista*, Marietti 1939, p. 437.

¶ — Chorus huiusmodi in ecclesiis cathedralibus integratur clericis et laicis viris sive pueris habitu talari et superpelliceo indutis prout decet loco sacro. Sanctus Pius X, motu proprio de musica sacra, n. 14. D. 4121, v.

6us chorus seu corpus est magistratuum vel nobilium laicorum, quibus, diversis de causis, specialis debetur locus sed extra presbyterium prout inferius exponitur.

7us chorus Christifidelium est, qui activam partem in sacris ritibus habere debent ad normam legum liturgicarum.

Sedilia choralia ex recepto more construuntur singulariter, seu clerici vel saltem dignitates et canonici alius ab alio divisionibus separantur, ita enim sedilia suspendi possunt, et facilior devenit transitus cleri ab uno ad alium locum (114).

In sedilium constructione sequentes serventur normae :

1 — Sedilia quae retro sunt sint aliquantulum largiora ita ut canonici vel praelati sacris vestibus induti commode sedere possint, seu sint 60 cent. (24 *inches*) longitudinis et 40 cent. (15 *inches*) latitudinis.

2 — Ab uno ad alterum sedilium ordinem parvus apponetur gradus decem centimetrorum, nam canonici et dignitates *in plano choro* sedere debent, seu gradus non ponuntur ratione dignitatis, sed commoditatis.

3 — Super sedilia canonicorum seu praelatorum umbracula non sunt apponenda.

(114) Subsedilia choralia prout nunc construuntur inde a saeculo XII haud sunt immutata et originem habent monasticam. Sedes chorales seu psalmodiae *chorum minorem* constituebant, qui extra cancellos chori maioris seu in navi locum habebat. Chorus maior secumferebat altare cum throno episcopi vel abbatis et cum subselliis utrimque pro presbyteris, gradatim enim monachi inter presbyteros adscripti fuerunt.

A — Partes anteriores quae ad genuflectendum vel ad libros reponendos nunc reservantur *formulae* vel potius *formae* audiuntur, exinde *super formas procumbere* intellegi debet de inclinatione vel prostratione super partes chori quae nunc genuflexoria vocantur et quae apud monachos gradu ad genua non ornantur. Id forsan usum profundae inclinationis apud monachos praesertim cistercienses explanat. " ... Devant les stalles des religieux s'étend un pupitre prolongé qui a le nom de *formes* ". Us de l'Ordre des Cisterciens Réformés, ed. 1895, p. 223. Tamen Martène et Du Cange formas sedilia fuisse docent.

B — Postea introducta fuerunt *sustentacula* ad sedendum, quae solent *misericordiae* vocari, quae tamen a CE non admittuntur, nam clerici et praelati vel se sistunt erecto corpore vel sedent, sed monachi, senectute laborantes vel vigiliis exhausti, " erectis subselliis misericordiis assidebunt ". Ita Van Humbeeck, OSB, *Origine et évolution des stalles*, QL, 1950, p. 97, qui absoluto operi de choro sedibusque choralibus dat operam. Ait tamen ipse " Autrefois, même revêtu de la chape, l'abbé restait dans sa stalle lorsqu'il célébrait les vêpres aux jours de fête ". Sed etiam nunc CE, II, 3, n. 4 iubet ut celebrans ad vesperas paratus in prima sede in choro maneat, consulto quidem.

4 — In parte anteriori adsint formae seu genuflexoria cum spatio pro libris in choro adhibendis.

5 — Necessarium non est ut sedilia choralia construantur modo et forma rerum magnae molis, quasi tot throni quot canonici vel praelati. Simplicia sint oportet prout clericis decet, et praesertim ita locentur ut fidelibus visio altaris non interrumpatur (115).

6 — Loco sedilium choralium chorus construi potest cum scamnis oblongis seu subselliis cum parvo postergali *(bancs, benches)* quae in solemnitatibus vestiuntur panno laneo viridis coloris prout in Capella Sixtina fieri solet. CE, I, 12, n. 7. D. 3801, III.

Sedes primariae chori. Ab utroque latere chori construi debent primi loci chori, qui sint super gradu unico seu aliquantulum altius quam ceterae sedes chorales et etiam maiores.

Episcopus in sua cathedrali prima est persona chori, eique primus debetur locus, et CE semel et iterum de episcopo in primo loco chori sedente loquitur, praesertim cum non sit cappa pontificali indutus vel etiam cum illa, nam throno " utetur episcopus dum Vesperae et Missae per ipsum solemniter celebrantur " CE, I, 12, n. 3. " Cum vero missis non solemnibus aut horis matutinis aut aliis assistit " sedebit in primo loco chori, quod quidem aliis locis CE fieri praecipit; sic " si episcopus completorium facere voluerit, assistet cum sua cappa in choro in suo loco seu stallo ". CE, II, c. 4, n. 1; in matutinis episcopus cum cappa " accedat ad chorum in loco suo iam ornato ". CE, II, 5, n. 1 (116).

Si SRE cardinalis officio divino intersit nec ad thronum accedat, sedebit in primo loco chori uti supra qualificato, sed addito serico dorsali rubini vel violacei coloris prout erunt vestes cardinalis. NC, n. 42.

Sedes primariae chori inserviunt etiam praelatis superioris gradus, utpote metropolitae vel nuntio apostolico, quando non utuntur throno, propterea duas sedes primarias fieri convenit, unam pro unoquoque choro.

(115) In pluribus Europae ecclesiis, speciali vero modo in Hispania, sedilia choralia exstant magna et in altum posita quae visionem altaris intercludunt et vix adest in medio transeundi locus.

(116) Contra sensum et monitum CE agunt episcopi qui putant ad suam ecclesiam cathedralem accedere non posse seu decedere nisi a toto clero ad ianuam recipiantur cum campanarum sonitu et ad thronum locum sumant. Ita fieri certe debet diebus solemnioribus, sed mens CE est ut praelatus ad ecclesiam cathedralem, quae imprimis ecclesia sua est, quam frequentissime accedat, officiis divinis intersit, sacrum modo lecto celebret : propterea enim semel et iterum monet lex ut in choro ecclesiarum cathedralium, praeter thronum, adsit primus locus qualificatus episcopi proprius.

In ecclesiis abbatialibus prima sedes chori abbati reservatur.

Sedes huiusmodi quando adhibentur a loci ordinario vel a praelato superioris gradus sint qualificatae, seu ornentur panno serico a genuflexorio protracto cum duobus pulvinaribus. CE, II, 4, n. 1.

Sedes primaria a latere hebdomadarii cum pulvinaribus et tapete adhiberi laudabiliter poterit a celebrante parato in vesperis solemnibus. CE, II, 3, n. 4.

Sedes speciales. Aliquando necessarium erit praeter subsellia choralia, speciales parari sedes pro praelatis qui in ordinibus praevisis non conversantur. Sic speciales sedes erunt parandae pro cardinalibus qui officiis divinis intersunt. Pro illis enim, si sint plures, paranda erit sedes oblonga cum postergali, sericis cooperta super gradum elevatum cum genuflexorio pariter oblongo.

Si abbates benedicti vel protonotarii apostolici seu generales ordinum functionibus sacris intersint, etiam pro illis sedes speciales erunt parandae ne teneantur sedere supra vel inter canonicos. CE, I, 13, n. 9 et 12.

Locorum ordo. Primus locus in choro ille est qui a dextris throni ponitur seu qui immediate sequitur cathedram D. 3422, 1, et alii sequuntur. A latere opposito primus locus erit facie ad primum locum a parte throni, supponitur enim thronum prope altare poni et non ad introitum prope cancellos.

Digniora sedilia sunt ea quae in parte anteriori chori ponuntur, ultima quae prope parietem locantur (117).

Cancelli. Ex vetusto Ecclesiae usu a quo non licet recedere, altare cum toto presbyterio et choro cancellis constipari debet et celebranti cum suis ministris et clero reservari. Sive presbyterium cum choro sit in abside, sive ad navim protrahatur, sive in media ecclesia ponatur, conclusum sit cancellis : " Capella maior cancellis septa sepiendave est ". AEM, II, col. 1422. Ad rem Iohannes Mabillon : Cancelli clericorum

(117) Sic fit in capellis papalibus, seu cardinales in prima linea sedent, ceteri episcopi et praelati retro post, nemo enim locum sumit ante cardinales. Ita fieri debet seu potius deberet in ecclesiis cathedralibus et ante canonicos paratos alii clerici locum sumere non debent. Sed cum introductus est usus ascendendi per gradus duos vel etiam tres ad sedilia quae retro sunt, canonici ista uti digniora sumpserunt, ordine certe inverso. Exinde plurima sequuntur incommoda ad introitum et ad exitum episcopi, cum canonici parati praelatum in plano exspectare debent; vel et praesertim tempore incensationis : diaconus incensat canonicos vel praelatos in alto seu ultimo loco cum ceteris clericis inter eum et canonicos quos incensat, quasi dicens illis : " non vobis honorem incensi tribuo sed canonicis retro post, recedite exinde "! Absurda quamplurima secum fert talis ordinis inversio clericis vexativa. Iuxta mentem CE chorus canonicorum seiunctim locetur et non retro post chorum ceterorum clericorum.

chorum et altare a laicis separabant, sicuti prescribit canon 4 concilii 2 Turonensis; " Ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos, tam ad vigilias quam ad missas, stare penitus non praesumant : sed pars illa quae a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum ". De Liturgia Gallicana, lib. I, cap. VIII, p. 77 (118). Cancelli ita construentur ut, quantum fieri poterit, visio altaris et sacrorum rituum fidelibus pateat.

Mensa communionis in ecclesiis cathedralibus construenda est in oratorio in quo Sacramentum asservatur, super unico gradu quo fideles genuflectunt, ita etiam pro cancellis ante altare est. Si quandoque ad altare maius sacra communio sit fidelibus tradenda, sufficit ut formae seu genuflexoria oblonga ante gradus presbyterii ponantur, ad quae fideles bini vel quaterni accedunt ad Eucharistiam recipiendam.

CAPUT XVI

De laicorum loco in Ecclesiis

Ex vetusto Ecclesiae usu, praesertim cum sacrae functiones habentur, clerus, prout in praecedenti capite dictum est, in presbyterio locum sumit, et laici, malumus dicere Christifideles, in corpore ecclesiae sistunt, nam ii solummodo qui " in sortem Domini sunt vocati " et specialibus utuntur vestibus in choro sunt admittendi (119). Legislatio canonica hac de re copiosa est, tum in decretis Sacrae Congregationis Rituum tum in conciliis vel libris liturgicis. Sic decreto generali diei 31 martii 1688, SRC edixit assistentiam in presbyterio saecularibus

(118) Facile esset manipulum citationum dare tum ex conciliis vel synodis, tum ex libris liturgicis, quae cancellos ante altare et presbyterium, quasi ante sancta sanctorum praecipiunt. Series a Diario Aetheriae (c. 400) esset incipienda. " Stat episcopus intra cancellos ", scripsit ipsa. In vetere ecclesia Lateranensi vel etiam in Vaticana chorus maior seu sanctuarium, pontificalibus functionibus reservatum, a choro minore, aereis cancellis seiungebatur. Res sacrae, altare praesertim cum suo presbyterio, separatione sacratiores deveniunt.

(119) Notio mystici Christi Corporis in dies magis a fidelibus intellegitur, nec intentio est Ecclesiae filios suos ab activa participatione in sacris ritibus arcere, sed e contrario, approximare. Certe in Ecclesia Dei distinctio exstat, divinae quidem originis, clerum inter et laicos, seu hierarchichus exstat ordo, qui, praesertim in sacris persolvendis ritibus, externe constare debet; praeterea clerus sacra faciens specialibus induitur vestibus, sacris videlicet, quae specialem etiam supponunt locum; insuper sacri ritus regulis reguntur quae servari non amplius liceret si in ecclesiis locus segregatus pro clero non haberetur. Memorari necesse est distinctionem inter clerum et laicos fieri ad bonum commune et non ad divortium obtinendum altare inter et populum, quod certe nemini placet. Vide hac de re Anson, *Churches, their plan and furnishing*, p. 33 ad 41.

non licere, ad memoriam revocans antiquiora decreta idem statuentia; quod quidem decretum uti appendix ad editionem Innocentii X CE editum est. Caer. Basilicae Assisiensis, p. 59, a Benedicto XIV editum laicorum ingressum in presbyterio expresse prohibuit. Vide notam 121.

I — **Chorus magistratuum.** " Sunt enim diversa corpora seu chori... alter magistratuum vel nobilium laicorum " CE, I, 18, n. 7. Iubet lex ut magistratibus vel personis in civili dignitate constitutis, illis praesertim quae partem in statum seu rempublicam regendam habent (CE, I, 23, n. 30) specialis detur locus, quod quidem confirmavit codex iuris canonici : " Potest magistratibus, pro eorum dignitate et gradu, locus in ecclesia esse distinctus, ad normam legum liturgicarum " can. 1263, § 1.

Leges liturgicae sic rem statuunt : " Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis, magistratibus ac principibus, quantumlibet magnis et primariae nobilitatis, plus minusve, pro cuiusque dignitate et gradu ornatae, debent (120) extra chorum et presbyterium collocari, iuxta sacrorum canonum praescriptum, laudabilisque antiquae disciplinae documenta, iam inde ab exordiis christianae religionis introductae, ac longo tempore observatae ". CE, I, 13, n. 13 (121). Verba legislatoris in ecclesiis praesertim cathedralibus maximi sunt momenti et utinam ubique religiose servarentur.

Locus magistratibus concedendus sit extra chorum seu presbyterium, et a clero segregatus, sed poni potest a lateribus presbyterii retro

(120) Prius legebatur *decet*, sed Benedictus XIII iussit ut legeretur *debet* in sua editione anni 1727.

(121) Ad rem cardinalis Bona : " In ipsum autem presbyterium nefas olim fuit saecularibus ingredi... Vetuit hoc concilium Turonense II, canone 4, statuens ut pars illa quae a cancellis versus altare dividitur choris tantum psallentium clericorum pateat... quem canonem suo capitulari inseruit Carolus Magnus, lib. VII, cap. CCIII. Hoc idem sancivit Synodus Romana sub Eugenio II, cap. XXXIII : " Ut nulli laicorum liceat in eo loco ubi sacerdotes reliquive clerici consistunt, quod presbyterium nuncupatur, quando missa celebratur, consistere, ut libere et honorifice possint sacra officia exercere ". Repetit hoc decretum in sua synodo Leo IV... At Ambrosius Mediolanensis ne Theodosio quidem Imperatori hoc permittere voluit ut narrat Theodoretus, lib. V, cap. XVII. ... sed crescente licentia et disciplina corruente etiam thronum in sacrario Imperator sibi erexit Patriarchali sublimiorem ". *Rerum liturgicarum*, lib. I, cap. XX, n. VII.

Re quidem vera, Napoleo Bonapartus se inthronizare fecit a Pio VII, sacrae memoriae, die 2 decembris 1804, quo anno in imperatorem electus est, ad magnum thronum in media navi positum, throno pontificis longe sublimiorem, et idem factum est die 6 septembris 1838 in *Duomo* in coronatione Ferdinandi I Austriae Regis a Patriarcha Venetiarum. Vide Moroni, 17, p. 207 et 227. Alia exempla habes apud Catalanum, in CE, I, ed. *Parisiensis*, p. 302-308. " La fréquence des décrets conciliaires interdisant aux laïcs d'entrer dans le sanctuaire montre la facilité avec laquelle cette règle était violée ". Malherbe, *Le mobilier liturgique*, p. 135.

post clerum, dummodo sit clausus cancellis cum ingressu ab extra, sicut in Basilica Vaticana ad solemnes functiones papales fieri solet.

Chorus magistratuum seu principum, vel qui eorum tenent locum, licet extra presbyterium ponatur, maxime distinguitur ab Ecclesia : sic magistratus a diacono missae sunt incensandi et Dominus loci sive Princeps maximus triplici ductu CE, I, 23, n. 32. Rex, si episcopus non celebrat, primo loco incensatur. *Ibid.*, n. 30. Pacem per instrumentum singulariter ab episcopo recipiunt. *Ibid.*, I, 24, n. 6. Et sic de aliis.

Sedes apponendae sint " plus minusve pro cuiusque dignitate et gradu ornatae " (122). Sedes camerales non sunt concedendae nisi illis qui potestatem maiorem in loco habent seu primis magistratibus; aliis magistratibus sedes simplices parandae erunt, sicuti sacris functionibus decet, sed cum forma ad genuflectendum, quae virido panno ornari potest cum pulvinaribus si agatur de magistratibus vel aliis in dignitate constitutis.

Vel simpliciter magistratibus reservari possunt prima scamna *(benches, bancs)* in corpore ecclesiae, sicuti in Statibus Confoederatis Americae fieri consuevit, et tunc magistratus chorus seiunctim non constituunt sed eis tantum super ceteris datur praecedentia.

II — **Chorus nobilium equitum** constitui potest prope presbyterium sed extra illud, diebus solemnioribus, qui integrari potest equestribus ordinibus Sanctae Sedis vel Ordine Sancti Sepulchri seu Ordine Supremo Maltensi.

III — **Consilium fabricae** sive praepositi ecclesiae corpus distinctum non constituunt nec permittitur ut sedes speciales illis in presbyterio parentur, ... et " ordinarius curet pro sua prudentia ut extra illud locentur ". D. 3264, 1. Vide notam 125.

IV — **Fideles in communi** corpus unum constituunt et in navi ecclesiae commode et sine molestia sedere debent. Ex recepto et

(122) CE, I, 23, n. 30 ad 32 distinguit nobiles laicos :
1 — Imperatorem vel Regem; seu Reginam vel magnam principissam.
2 — Principem maximum qui sit Dominus loci.
3 — Proreges et gubernatores regnorum ac provinciarum.
4 — Magistratus civitatum, qui sunt vel maiores vel minores.
5 — Barones et domicellos.
Divisiones hae variantur iuxta tempora et loca. In nostris statibus confoederatis recentissime PC ad CIC interpretandum declaravit gubernatores in suo quemque statu uti Dominum loci habendum esse quoad mulierum clausuram : ergo etiam quoad cetera liturgica privilegia, praesertim quoad locum in ecclesia distinctum. AAS, 1952, p. 496.

laudabili usu nostro scamna *(benches, bancs)* in corpore ecclesiae sunt apponenda ut fideles possint cum ordine stare, sedere vel genuflectere et ita religiose et devote sacris interesse ritibus et activam in illis partem habere, pro ipsis enim magna ex parte celebrantur (123).

Maximi est momenti ut fideles, iuxta monitum CE, I, 18, n. 10, easdem sequantur regulas quoad ordinem standi, sedendi vel genuflectendi, idque haud fieri potest si fideles loco sedendi vel genuflectendi non fruuntur vel si ita locentur ut visio altaris ipsis non patefiat.

V — **Sexuum separatio** licet a multis conciliis urgeatur et a codice piano commendetur, nec semper fieri potest; nolunt enim coniuges in ecclesia separari. Tamen, ubi, iudicio episcopi fieri potest, certe facienda est (124).

VI — **Casus excepti.** Regula de reservando presbyterio clericis non nullas patitur exceptiones a iure praevisas. Sic, quando laici vel religiosi utriusque sexus aliquid ab altari recipere debent, ad illud accedant necesse est. PR iubet ut confirmandi, si sint pauci, ad altare accedant; ad altare virgines consecrantur et abbatissae benedicuntur, reges et reginae consecrantur, milites creantur, sponsi benedicuntur : nam ii omnes ab altari aliquid sacrum per manus episcopi recipiunt, ad illud proinde debent accedere, et, functione expedita, recedere, prout in Expositione ad PR exponitur.

VII — **Principes christiani.** In ritu consecrationis regis iubet PR ut " in loco competenti ecclesiae paretur thalamus, sive suggestum

(123) Tempore sancti Augustini fideles non sedebant in ecclesiis. Cognita sunt verba eius in sermone *De vita et moribus clericorum suorum* " Non vos diu teneam, praesertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis ". Sermo 355. A sancto Cypriano laici passim *stantes* vocantur eo quod sedere non solebant *Ep. XXX*. Sed etiam tempore sancti Caroli sedilia et formae ad genuflectendum mulieribus solum permittebantur; ad usum virorum aderant, parietibus apposita, scamna quaedam oblonga. AEM, II, c. 1466, InsFab, I, c. 25. Hodie sacrae functiones meliori cum ordine fiunt et verbum Dei melius auditur.

(124) Iubet lex ut " mulieres in ecclesia separatae sint a viris " CIC, 1262, § 1. Tempore sancti Iohannis Chrysostomi in ecclesiis Antiochiae tabulatum ad sexus separandos adhibebatur, nam, ait sanctus, " mulieres (in ecclesia) sunt veluti lupae et homines uti equi furiosi " in Matt. 73. Sanctus Carolus ad vitandos abusus iussit ut " A capellae maioris ingressu usque ad ianuam maiorem tabulatum per medium ecclesiae ductum... altitudinis quinque cubitum (240 centimetrorum) " construeretur. AEM, II, col. 1465. Carolus ad innovationem introducendam Chrysostomum invocat; sed non multum post mortem eius etiam in *Duomo* tale tabulatum amotum iam erat. Abusus aliter sunt corrigendi et etiam sancti erravere. Lege Aimé Puech, *Saint Jean Chrysostome et les mœurs de son temps*, Paris 1891, p. 225-6. Tempore sancti Caroli etiam in monialium monasteriis aderat " carcer in quem monialis a disciplina aberrans detrudatur " AEM, II, col. 1498 qui " compedes habeat et manicas ferreas ". AEM, II, col. 1421.

pro rege in quo sit regalis sedes ornata, et thalamus ipse sit ornatus pannis sericeis et aulaeis ". Procul dubio agitur de sede quam nunc thronum vocare solemus; sed *in loco competenti* intellegi debet ad mentem CE *extra presbyterium*, " ita sunt situandi ut inde possint videri altare et pontifex celebrans ", quae verba inutilia forent si throni episcopi et regis in eodem ponerentur loco (125). Situs altior et propior altari regibus christianis ab Ecclesia datur, sed " quanto clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris " dicit Pontifex ad regem modo electum et consecratum. *PR, de consecratione Regis.*

Sedes pro regina sit " aliquantulum humilior " relate ad sedem regis, sed consulto iubet Pontificale ut " altitudo thalami (seu sedis realis) non sit maior quam gradus supremus altaris ". Iisdem verbis usus est CE de throno episcopi agens (126).

CAPUT XVII

De umbraculo portatili

Iubet CE, II, 33, n. 8 ut in processionibus SSmi Sacramenti, praelatus Corpus Domini portans sub umbraculo incedat; idem praecipit RR quoties Sacrum Viaticum infirmis publice defertur : " Christifideles umbellam seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant " tit. IV, cap. IV, n. 10. Umbraculum portatile adhibetur veluti nobilissimum ministerium pontificale in solemnibus praelatorum receptionibus (127).

(125) Rescripto diei 21 septembris 1903 Sacra Congregatio Concilii approbavit " Manutentionem praxis quae semper viguit ab ipsa fundatione Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis, qua in magnis solemnitatibus ingrediantur et locum occupent in presbyterio et in choro (extra loca pro canonicis et clero statuta) Rex, Regina et Regalis Familia, non autem aliae personae veluti illae quae solemnitates ordinaverunt vel coetus administrativi ecclesiae (n. XIV). Praeterea SCC prohibuit usum admittendi Confraternitatem SSmi Sacramenti intra cancellos, licet proxime ingressui chori, tempore sacrarum functionum (n. XV). *Privilegios do Cabido da Sé Patriarcal de Lisboa*, Lisboa 1950, p. 43.

(126) Reges et imperatores, collatis viribus, semper voluere privilegia liturgica praelatorum assumere, et, imprimis, thronum cum baldachino, rubris vestibus ornatum. Hac de re, data opera, scribendum esset librum. Et non solum reges sed etiam alii saeculares in dignitate constituti usum sedis excelsae cum baldachino sibi ipsi dederunt. Propterea plura sunt decreta SRC usum baldachini a laicis prohibentia, exstatque decretum generale hac de re n. 1792 diei 13 martii 1688.

(127) CE de baldachino altaris agit in capite XII, n. 13 et de baldachino sedis episcopi in capite XIII, n. 3, et hic illa tantum memorat et statim agit de umbraculo portatili.

Materia et forma. Umbraculum construitur in forma rectangulari seu duorum metrorum latitudinis et duorum cum dimidio vel trium metrorum longitudinis, ita ut episcopus et sacri ministri commode sub seu intra baldachinum ambulare possint.

Umbraculum cooperitur sericis pretiosis cum parte reversa seu verticali circumcirca auro vel argento ornata, et sublevatur hastis inauratis quatuor vel sex (128).

¶ — Umbraculum Summi Pontificis pretiosum est et maiorum dimensionum et proinde non sex sed octo hastis in sublimi fertur.

Color umbraculi "in processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum est albus" CE, I, 14, n. 1, ruber vero in Ritu Ambrosiano.

Si Sanctum Lignum portatur in processione, umbraculum erit rubri coloris, vel violacei si reliquiae Passionis deferuntur.

In praelatorum receptionibus color liturgicus est albus, sed si recipiendus sit cardinalis legatus vel non legatus, laudabiliter color umbraculi idem erit ac vestium cardinalis, seu ruber, iuxta regulam datam pro baldachino throni cardinalis, nam umbraculum sedis et processionis aequiparantur; in praxi tamen baldachinum solet esse album.

Quot. Iuxta sanctum Carolum tria sunt umbracula portatilia :

1 — Nobile seu solemne, in maioribus processionibus cum Venerabili Sacramento adhibendum, quod sex hastis in sublimi suspenditur, eritque *perpulchrum* CE, II, 33, n. 14.

2 — Simplex et minus, in minoribus processionibus per ecclesiam, quae fiunt in tertia dominica mensis, vel quoties sacrum viaticum ad infirmos publice portatur adhibendum, cuique quatuor tantum apponuntur hastae.

3 — Tertio loco est umbella in forma rotunda cum hasta singulari. InsFab, AEM, II, col. 1543 et 1578. Ed. Castiglioni, 1952, n. 76.

Quando adhibendum. Baldachinum "supra episcopum ac res sacras in processionibus gestari consuetum est". CE, I, 14, 1.

(128) Dicit CE "sex vel octo hastis sublevatum" sed octo difficilius portantur et eorum gestatio a clericis seu laicis in processione functionem difficultatibus gravat, et adhibentur solummodo ad magnum umbraculum Papae sublevandum. In Gallia aliisque locis, umbracula cum armatura, cum sint leviora, a quatuor hastis, una pro unoquoque cornu, sustentantur.

A — **Supra episcopum** baldachinum deferri a CE permittitur in prima solemni receptione in ecclesia sua; "episcopus equitabit (vel ambulabit) sub baldachino" CE, I, 2, n. 4.

Insuper convenit ut cum episcopus "*prima vice* civitates vel oppida insignia (lege : principaliores paroecias) suae dioecesis invisitat... omnia fient prout de civitate propria" proinde baldachino non excluso. CE, I, 2, n. 8. *Receptio episcopi* EPR, III, p. 241.

De baldachino adhibendo in legatorum vel praelatorum receptionibus agit PR. Vide EPR, III, sect. V *De praelatorum sive legatorum receptionibus*, p. 261-297.

Supra episcopum in receptionibus solet inservire umbraculum nobile, nam vix occurrit, nec ecclesiae cathedrales duo umbracula possident, ad Sacramentum unum, ad usum praelati alterum. Sed, stricte loquendo, decretum SRC 2289, 5, valet ad thronum episcopi et ad baldachinum portatile, videlicet "non sit pretiosum nec auratum".

Ad solemnem introitum ante missam pontificalem CE usum baldachini episcopis non concessit, nam talis insignis honor Summo Pontifici exclusive reservatur, cuius hastae ab octo praelatis referendariis Supremae Signaturae Apostolicae sustentantur. CA, II, p. 57.

PR receptionem sub baldachino concedit imperatoribus, regibus et principibus magnae potentiae, vel eorum coniugibus. Hac de re, veluti fere obsoleta, in nostra expositione ad PR non egimus, et de ea etiam tacet CE (129).

B — **Supra res sacras.** Baldachinum portatile imprimis inservit Venerabili Altaris Sacramento quando in processionibus portatur, vel ab uno ad alium locum transfertur. Adhibetur etiam quando particula Ligni Sanctae Crucis vel Reliquiae Passionis DNIC processionaliter portantur. Sed cum CE baldachinum *supra res sacras* permiserit, usus invaluit illud adhibendi supra imagines vel reliquias sanctorum. Id improbavit SRC et generale edidit decretum a Leone XII confirmatum "solertissime urgens (ut) per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum... quolibet sub praetextu solemnitatis... liceat umquam sanctorum reliquias (vel imagines) processionaliter sub baldachino circumferre : permitti tamen posset quod Lignum Sanctae

(129) Sed etiam hodierno die Supremus Hispaniarum Magistratus solemni modo recipitur ad ianuam ecclesiarum et sub nobile baldachino ad regalem thronum rubri coloris ducitur, non secus ac pro Hispaniarum Rege fieri solebat.

Crucis, aliaque instrumenta Passionis sub baldachino deferantur, dummodo seorsim et seiunctim a sanctorum reliquiis quibus hoc honoris distinctivum non convenit... locorum ordinariis stricte praecipiens ut eliminandis abusibus incumbant ". D. 2647 diei 27 maii 1826.

In processionibus SSmi Sacramenti si episcopus, gravi de causa, Sacramentum non portat sed assistit cum cappa, ibit retro post baldachinum et non una cum celebrante. D. 1655, 1. In processione enim baldachinum datur Sacramento et non episcopo, eiusque usus a RR tit. IX, cap. V, n. 3 praecipitur, quicumque sit celebrans.

In aliis quibuscumque processionibus episcopus ibit paratus sacris vestibus cum suis ministris pariter paratis, sine tamen baldachino. CE, II, 32, n. 1.

LIBER II — DE REBUS

PARS IV — DE HERALDICA PRAELATITIA

PARS QUARTA

DE HERALDICA PRAELATITIA

Si excipias permissionem appendendi stemmata ad ianuam, CE de praelatorum stemmatibus tacet. Silentium hac de re forte tribui debet Carolo Borromeo, qui putabat stemmata res esse gentilitias et profanas, Ecclesiaeque praesulibus non convenire. Tamen usus iam tunc receptus victoriam retulit et nunc ius heraldicum personarum ecclesiasticarum pars est nec spernenda iuris pontificalium. Vide notam 30, p. 312.

Personae ecclesiasticae, praesertim praelatitia dignitate praeditae, vel ex recepto usu Ecclesiae, vel ex positiva iuris concessione, stemmatibus uti possunt. Scutum tamen res est natura sua perpetua, nec datur ad tempus, nam dignitatem seu officium ad vitam supponit, saltem quoad partes externas scuti, dantur tamen casus excepti.

Scientia heraldica difficilis est et ardua, nec erit hic explananda, ea tantum heraldicae ecclesiasticae capita traduntur quae ius hodiernum constituunt et quae a praelatis et episcopis sunt scitu digna et necessaria (1).

In primis expedit scire Ecclesiam heraldicam propriam seu suam non habere, nam heraldica civili utitur, adiectis legibus virorum ecclesiasticorum propriis.

Heraldica scientia est identificationis, sive familiarum seu personarum, sive institutionum. Minime proinde agitur de scientia uti putant nonnulli symbolica sed nec de reali sed de heraldica tantum, quae quodam gaudet immutabilitatis et perfectionis privilegio intra quod, sicut ceterae res creatae, evoluere debet.

(1) Ars heraldica in Gallia ortum habuit ibique incrementa per saecula recepit, proinde lexicon heraldicum gallicum est, et qui gallicam heraldicam callent tota instruuntur nobili scientia. Vide Remi Mathieu, *Le système héraldique français*, Paris 1946 " ausgezeichnetes Werk " teste Galbreath; p. 128-131 : *Les armoiries des ecclésiastiques*. Sed etiam aliae nationes suam heraldicam habent, seu gallicam cum adaptationibus et legibus unicuique propriis. De heraldica lusitana vide Armando de Mattos († 1953), *Manual de heráldica portuguesa*, Porto 1941 et eiusdem *Brasonário de Portugal*, Porto 1940-3, tomi duo.

Expositio nostra in tres dividitur partes : primo agitur de ipso scuto et principalioribus regulis in eius constructione ab ecclesiasticis viris servandis. Secundo exponitur ius heraldico-ecclesiasticum de externis scuti ornamentis. Demum invenies regulas circa modum quo stemmata sunt adhibenda.

CAPUT I

De scuto

Pars principalis stemmatis scuto repraesentatur, quo personae identificantur iuxta illud " arma sunt distinguendi causa " (2) et in eis, vel conficiendis vel legendis seu qualificandis, versatur fere tota scientia heraldica (3).

Scuta virorum ecclesiasticorum adamussim iuxta leges heraldicae artis confici debent (4). Sed cum multi conati sunt essentiam tam nobilis scientiae invertere, ad sua stemmata transportantes privatas devotiones, expedit quaestiones principaliores hic explanare.

In primis peritus in scientia heraldica adeatur qui scutum fabricare possit, et per-se vel per alium stemmata modo heraldico proprio depingere, praecisione fulgente (5).

Quoad formam scuti nihil stricte determinatur, forma *en losange* exclusa, nam abbatissis reservatur. Forma communiter recepta consti-

(2) " The primary purpose of a coat-of-arms is to be distinctive not significant ". LitArts, februarii 1944, p. 35.

(3) " Le seul escu, avec ses émaux et ses figures est l'essence du blason... le reste n'estant qu'ornement " scripsit Ménestrier. Re quidem vera 80% totius scientiae heraldicae circa ipsum scutum versatur.

(4) Scutum conficere, heraldicis legibus posthabitis, idem sonat ac librum scribere cum nobili titulo, spretis salutaribus grammaticae praeceptis.

(5) In Urbe consulendum est " *Commissione Araldica per la Corte Pontificia* " a Benedicto XV creata die 1 iunii 1915; vel *Collegio Araldico* a Sancta Sede approbatum et laudatum, cui annexum est *Istituto Araldico Romano*, anno 1853 a Comite Capogrossi Guarna fundatum. Via Santa Maria dell' Anima 16; vel Heim Bruno Bernard, *Nonciature Apostolique*, Berne.
In America Septentrionali, optime de re heraldica meruit Pierre Chaignon La Rose (†) qui arma pro fere omnibus episcopis et dioecesibus composuit (quae tamen generatim pondo peccant), cuius locum sumpserunt William Wilfrid Bayne OSB, *Portsmouth Priory*, *Portsmouth R. I.*, et Gerard Brassard, *College of The Assumption*, Worcester Mass.
In Brasilia stemmata et quidem pulcherrima praelatorum a Paulo Lachenmayer OSB, *Mosteiro de São Bento*, Bahia, confecta fuerunt. Peritos hac de re habes Orlando Guereiro de Castro et João Hermes Pereira de Araujo, *Palacio Itamaraty*, Rio de Janeiro.

tuitur linea fere recta in parte superiori dum lineae laterales in medio partis inferioris in unum conveniunt.

Scutum coloribus *émaux* constituitur, eorumque codicem servari necesse est : " Ce sont les Emaux du Blason qui en font une science et un art particuliers ", Gheusi, p. 53. Metalla sunt duo, aurum *flavus* scilicet et argentum *album*, et colores sunt quinque : ruber *gueules*, caeruleus *azur*, niger *sable*, viridis *sinople* et violaceus *pourpre* et haec septem sufficiunt praeter pelles duas *Pannes*, videlicet Armellinum *Hermine* " Champ d'Argent semé de mouchetures de sables ", et Vicuniae *Vair*, *Petits-Gris* " D'Azur et d'Argent ". Exinde nec convenit nec oportet alios adducere colores (6).

Quoad scuti constructionem quae sequuntur regulae quindecim servandae erunt.

1 — Scuta conficiuntur partitionibus quae sunt partes nobiliores quaeque ponuntur *En relief* (7) et quae possunt repeti *Rebattement d'une pièce*, utpote fasciae tres, et etiam modificari vel annexari *Combinaisons des pièces*. Scutum potest etiam attributis, id est, per partium modificationem vel figuris mobilibus *Meubles*, quae sunt partes minus nobiles, qualificari, uti, ex. gr., *Besants* ex auro vel argento. Docet Ménestrier " Les armes les plus belles se réalisent par de simples traits, comme les Partitions, les Pièces honorables et les Meubles propres au Blason " seu scuta simpliciora sunt etiam pulchriora.

2 — Licet scuta diversa componere *Ecu composé*, sic scutum gentilitium potest cum scuto artificioso componi. Si diversae sint familiae quas inter scutum dividere conveniat, seligantur duae principaliores, quae possunt in duas partes depingi *Parti ou Coupé* vel si

(6) In suo libro *Tessarae Gentilitiae* anno 1638 edito, Silvester Petra Santa, Iesuita italianus, modum proposuit designandi colores in albo et nigro, quique modus hodieusque ubique observatur, est enim :

Spatium punctatum	aurum *flavum*
Spatium planum	argentum *album*
Lineae verticales	ruber *gueules*
Lineae horizontales	caeruleus *azur*
Lineae verticales simul et horizontales	niger *sable*
Lineae transversae ... a dextris ad sinistram	viridis *sinople*
Lineae transversae ... e contrario sic////	violaceus *pourpre*

(7) " Il ne sera jamais inutile d'insister sur cette précision : toutes les Pièces honorables — sauf énonciation contraire du Blason — sont en *relief* sur l'écu d'armes ". Gheusi, p. 83. Sed res diversae discriminari debent, nam " Les pièces *brochantes* sont posées sur le champ de l'Ecu (ou de toute autre pièce qui sert de fond) et *en relief* ". E contra " Les ornements cousus sont juxtaposés et ne forment entre eux qu'un plan uniforme ". Ibidem, p. 48.

magis placet in quatuor *Ecartelé*. Familiae masculinae arboris praeferuntur. *Ecus composés* non sunt cum partitionibus *Ecus avec le champ en partitions* confundenda, ex. gr. *Ecu écartelé d'argent et de gueules*.

3 — Partitiones et partes mobiles possunt una simul diversis modis super scutum poni *Combinaisons des pièces et des meubles*.

4 — Demum scutum ornari potest figuris tam naturalibus quam artificiosis quae non solent sequi colorem naturalem : sic leo potest colore rubro repraesentari. Apponi possunt etiam elementa naturae : mons vel flumen; vel res aedificatae uti turris vel navis, vel figurae diversae veluti clavis aut ancora, dummodo sint heraldicae.

5 — Non licet metallum super metallum, colorem super colorem vel pelles super pelles ponere, cui tamen legi quaedam dantur exceptiones.

6 — Partitio nequit super partitionem poni, sed nonnulli dantur casus contrarii praevisi tamen.

7 — Partes in eodem campo iteratae eiusdem sint coloris, nisi modificentur.

8 — Scutum synonimum cum proprio nomine seu uti aiunt alloquens *Parlant (foxes for Fox)* adhiberi potest si id fieri potest, sic Benedictus XV *Della Chiesa* ecclesiam in suo scuto habebat (8). Vel scutum ad rem aliquam provocans *Par allusion* veluti forcipes pro ephemeridarum redactoribus.

9 — Scutum debet facile et conciso modo legi, et lectio sit regularis et absoluta, quae quidem lectio legibus heraldicis determinatur et gallice dicitur *Blasonner* (9). Excluduntur ex inde res lectu difficili vel fere impossibili. Vide Gheusi, p. 62-70.

¶ — Regulae quae sequuntur speciali modo ad praelatos se referunt.

10 — Cum in nostris nationibus democraticis, ex una parte, armorum heraldi, qui nomine et auctoritate regis stemmata concedebant, non exstent, et, ex alia, non soleat Sancta Sedes, officiali saltem modo, arma praelatis modo electis dare, supponit enim eorum existentiam,

(8) Quand une figure héraldique fait fonction d'armes parlantes, elle est toujours chargée du sens le plus noble qui puisse être attribué, et qui, alors, contribue au lustre du nom familial du possesseur. Charbonneau-Lassay, *Le Bestiaire du Christ*, p. 377, Le Griffon.

(9) " Blasonner signifie reconnaître, expliquer, décrire, mais aussi dessiner, peindre, sculpter et composer des Armoiries ". Gheusi, p. 31.

isti modo privato procedere debent, cauto tamen ut id fiat sine armorum aliarum personarum usurpatione, neminique facta iniuria (10).

11 — Semper fas est praelatis, praesertim si stemmata gentilitia non habent, scutum artificiosum seligere vel construere, servatis regulis scientiae heraldicae, vel etiam scutum in duas dividere partes : aliam artificiosam, gentilitiam aliam.

12 — Scutum virorum ecclesiasticorum sit ut plurimum integrum (11-12), supponitur enim praelatum in eorum possessione plena esse, tamen rationabili de causa potest dividi et subdividi vel alio modo componi iuxta receptas regulas scientiae armorum.

13 — Praelatorum devotiones non sunt ad eorum stemmata transferendae : calices, ostensoria, rosaria, litteras ad nomen BVM vel sanctorum, stolam vel hostiam, aliaque huiusmodi, in scutis apponere nec convenit nec decet (13).

14 — Ex vetusto usu licet praelatis scutum cum stemmatibus sui beneficii dividere, vel, si sint regulares, cum suo ordine. Nequeunt vero episcopi auxiliares vel coadiutores scutum cum episcopo dioecesis in qua sunt coadiutores dividere cum sint tantum auxiliares et non beneficiati. Ex recepto in nonnullis regionibus more, episcopi residentiales scutum cum sua dioecesi dividunt (14-15). Tamen cum sat

(10) " De nos jours, la liberté initiale selon laquelle on peut composer, à son gré, ses armoiries (exclusis usurpationibus) est presque universellement reconnue, à l'exception de quelques pays où la couronne se réserve encore un certain contrôle ". Heim, p. 24. Nam nec omnes praecellentia natalium insigniti sunt.

(11) " Les anciens auteurs ont reconnu en général à tous les clercs la faculté de ne pas briser : ils étaient des non-combattants, et ne pouvant avoir d'enfants, en principe du moins, ils ne pouvaient transmettre leur blason ". Mathieu, p. 128, " La plupart des gens d'Eglise portaient leurs armes paternelles sans y apporter aucune brisure ". Ibidem, p. 129.

(12) " Nous ne considérons pas comme brisures les crosses ou les autres insignes de dignités ecclésiastiques figurés parfois sur l'écu lui-même; ce sont seulement des ornements extérieurs qui pouvaient parfois être transportés sur le champ de l'écu et brocher sur les pièces de celui-ci ". Mathieu, p. 130. Modus hic aliquando utiliter adhibetur, praesertim baculus et pallium possunt ad stemmata transportari quasi res externae superpositae.

(13) Et hoc est peccatum maius plurimorum praelatorum qui suis scutis ponunt et superimponunt omnia fidei catholicae dogmata, omnesque privatas devotiones, et quae exinde nec legi possunt.

(14) Usus dividendi scutum cum propria dioecesi in Gallia acceptus erat. Vide Max Prinet, *Armoiries combinées d'évêques et d'évêchés français*, Paris 1911. In America Septentrionali Chaignon La Rose, in heraldica arte magister acceptissimus, usum huius patrocinii introduxit vel firmavit, exemplo episcoporum Angliae. Id utile est cum in unum colligit episcopum et sedem, sed e contra armorum scutum res definitiva est, in vita praelatorum immutanda, dum sedem sat frequenter mutant praelati.

(15) " Les évêques portèrent les armes de leur siège épiscopal avant d'utiliser celles de leur famille; jusqu'au XIe siècle les blasons familiaux sont rares sur les sceaux (et les armes) des évêques français ". Max Prinet apud Mathieu, p. 131.

frequenter locorum ordinarii ab una ad aliam sedem transferentur, talis usus nec semper convenit.

Episcopi vel cardinales ex ordinibus regularibus possunt scutum proprium cum scuto ordinis dividere, sed id non praecipitur.

Proprio scuto cum alieno patrocinari, per collocationem alieni iuxta vel intra proprium, specialibus tantum casibus permittitur (16). Magistro cubiculi (et antiquitus etiam *Maggiordomo* Summi Pontificis) fas est scutum cum scuto Papae dividere quod quidem conservat cum ad cardinalatum eligitur (17).

Scutum patrocinii ponitur in capite *En chef* vel a dextris (a sinistris legentis) utpote nobiliori loco, et scutum praelati a sinistris (a dextris legentis).

Non licet praelatis scutum aliorum praelatorum vel personarum moralium seligere vel cum eo scutum proprium dividere, devotionis, nominis vel alia de causa. Sic, ex. gr. si praelatus *Franciscus* vocetur, nequit propterea apponere scutum Ordinis Minorum.

15 — Motto seu inscriptionem subtus scutum apponere licet ex recepto usu, quod tamen in more Romano non est. Hac de re praelatus pro lubitu verba apponenda seligere potest, cauto ut *motto* sit breve. Motto inter et scutum relationem quamdam habere potest *motto alloquens*, sed id non requiritur cum sit res extra ordinem.

CAPUT II

De elementis exterioribus scuti

ART. I — GALERUS HERALDICUS

Praelatorum stemmata modo ipsis proprio qualificari debent, et cum caput sit pars principalis corporis, et principes ad hoc utuntur

(16) Usus erat, praesertim saeculis XVI et XVII, ut cardinales proprium scutum cum scuto Pontificis creatoris patrocinarent, de eorum speciali ut patet permissu. Sic Carolus Borromeus suis armis adiunxit arma avunculi Pii IV *(Medicis)*; Cardinalis Bona SOC scutum cum suo ordine divisit et arma Clementis IX *(Rospigliosi)* superposuit. Relationem cardinalium qui ita fecerunt tradit Woodward, p. 144. "Under Benedict XIII the papal arms *(Orsini)* were impaled by nearly all the cardinals". "The arms of Patronage appear to have been often discarded after the decease of the Pope in honor of whom they had been assumed", p. 149. Horresco referens!

(17) Ad usque Pium VI praelati intimae familiae Papae scutum Pontificis suo adnexare solebant, inter quos cardinales palatini adnumerabantur. Pius VII vero gratiam tam insignem dedit tantum Praefecto sacri Palatii Apostolici et Praefecto sui cubiculi; aliis de speciali gratia singulariter petenda vel motu proprio Pontificis concedenda.

corona dum equites cassidem adhibent, praelati, exemplo patrum cardinalium, galerum selegerunt, praesertim cum sit etiam episcoporum et protonotariorum insigne princeps.

Galerus heraldicus quoad formam et dimensiones unus est, et nulla fit inter gradus hierarchiae distinctio. Solet fieri cum ora perampla, sed delineatio eius artifici relinquitur.

Galeri qualificantur tam colore quam chordula cum flocculis quibus ornantur. Color galeri heraldici sequitur sed nec semper colorem galeri pontificalis; sic episcopi utuntur "galero nigro laneo, virido serico ornato (ex ima parte) cum chordulis ac floccis coloris viridis". CE, I, 1, n. 3. Sed galerus eorum heraldicus est viridis coloris ex integro. Galerus qui protonotariis imponitur est nigri coloris cum serico subsuto circumcirca rubini coloris, sed heraldice solet in colore violaceo repraesentari non secus ac galerus praelatorum domesticorum, qui ius ad galerum pontificalem violacei coloris non habent. Cf. librum II, p. 95, *de praelatorum galeris*.

1 — *SRE cardinales* debent, iuxta declarationem Innocentii X, stemmatibus pileum solum apponere nam "Solo pileo, de pretioso Christi sanguine rubentem insigniti ac decorati (sint)" *Militantis Ecclesiae regimini*, diei 19 decembris 1644. BulRom, XV, p. 338 ss. "Lemniscorum numerus ad quindecim utrimque..., maiore quolibet numero interdicto" aderit. SCC, diei 14 aprilis 1832 (18) a Gregorio XVI adprobatum. Heim, p. 175. Idque anno 1943 confirmavit eadem S. Cong. NC, n. 54 a. Tum galerus tum chordula cum flocculis cardinalium sunt rubri coloris dempto auro.

2 — *Archiepiscopi* tam residentiales quam titulares de iure utuntur galero heraldico viridis coloris cum chordula et decem flocculis utrimque eiusdem viridis coloris (19).

(18) SCC ait "Numerus (lemniscorum) qui non multis abhinc annis (ad quindecim) evectus est", sed Ménestrier saeculo XVII scribens stemmata cardinalium cum quindecim flocculis delineavit; tamen nec una ab omnibus sequebatur regula.

(19) Episcopi Massilienses, inde a tempore Ioannis Baptistae d'Etampes (1680-1684), cum de sacro pallio sedi illae concedendo non erat sermo, solent propria stemmata ornare galero archiepiscoporum cum decem flocculis utrimque. Super eorum scuto, sicuti nonnullorum episcoporum, capitis ornamenta abundabant, mitra nimirum, corona marchionis et galerus pontificalis. Vide Battandier, APC, 1902, p. 378. Sed iuxta Heim, p. 110 alii sunt archiepiscopi qui quindecim utuntur flocculis et episcopi qui decem adhibent. Sic Georges Darboy, *Parisiensis archiepiscopus*, die 24 maii 1871 trucidatus, in suis stemmatibus quindecim apposuit flocculos. Gradus superior plus placet quam ille cuius fruuntur iuribus!

¶ — 1). Patriarchae sive primates nullo ornantur quoad galerum privilegio speciali et contenti sint oportet galero heraldico archiepiscoporum, nec aurum ad chordulam in stemmatibus adiungitur (20).

2). Regens Cancellariae Apostolicae viridem colorem adhibet ad galerum quasi archiepiscopus.

3 — *Praelati di fiocchetto* ex ordine sacerdotali utuntur galero violaceo cum flocculis decem non secus ac archiepiscopi sed rubini coloris.

4 — *Episcopi, residentiales vel titulares, protonotarii apostolici, praelati domestici et abbates benedicti :* uno verbo praelati cuiuscumque gradus cum iure ad habitum praelatitium cum rocheto et mantelleto, stemmata propria adhibere possunt cum chordula cum decem flocculis ad pileum, utantur tantum colore proprio prout infra :

Episcopi utuntur galero et chordula cum flocculis viridis coloris ex integro.

Protonotarii apostolici de numero, supranumerarii, ad instar, vel qui eorum fruuntur iuribus pontificalibus (21) seu praelati privilegiis pontificalibus ornati, utuntur galero violaceo cum chordula et flocculis rubini coloris (22).

Praelati domestici Summi Pontificis adhibent tum galerum tum chordulam cum flocculis eiusdem violacei coloris, vel galerus erit

(20) " C'est un fait que le chapeau patriarcal a aujourd'hui 15 houppes de chaque côté " ait Heim, p. 122, qui tamen adiunxit " Palliot fixe à dix le nombre des houppes du chapeau patriarcal et il est suivi par la plupart des auteurs ". Cum agatur de re quae a concessione papali pendit, et privilegium quindecim flocculorum nullibi datum legitur, quaestionem expedivit Battandier " A Rome on n'a pas eu occasion de constater cet abus ". APC, 1902, p. 380.

(21) Praelati auditores S. R. Rotae non sunt protonotarii apostolici, ut aperte declaratur in constitutione Pii XI *Ad incrementum decoris*, n. LXXI, tamen gaudent iure pontificalium " eodem modo atque de protonotariis apostolicis de numero dictum est " et " praecedunt personis quae inferiores sint protonotariis de numero ", n. LXXXI. Proinde, iuxta principium pluries expositum, ius habent ad rubinam chordulam ad galerum, sed Heim, p. 137, illis violaceam chordulam concedit tantum.

(22) Protonotarii apostolici de numero (IM, n. 3), supranumerarii (IM, n. 18) et ad instar (IM, n. 45) " propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde, pendentibus, eiusdem rubini coloris sine cruce vel mitra " (IM, n. 18). *Eiusdem* non se refert ad pileum sed ad chordulam rubini coloris galeri usualis numeri praecedentis (17). Eorum galerus pontificalis est niger cum subsuto ad oram rubini coloris. Vide lib. II de galero pontificali p. 95. De colore galeri heraldici tacet apostolica constitutio, sed cum in heraldica galerus solet assumere colorem subsuti orae, et galerus rubini coloris a rubro galero cardinalitio non distingueretur nisi quoad flocculorum numerum, galerus heraldicus protonotariorum violacei coloris est. Ad rem scripsit Petrus Piacenza, olim S. Rituum Congregationis Protonotarius, qui ad constitutionem sancti Pii X *Inter multiplices* conficiendam multum adlaboravit : " Galerus protonotariorum violacei est coloris cum flocculis rubini coloris; ideoque a galero aliorum praelatorum discrepat ". Apud EL, 06, p. 21.

violacei tenoris fortioris ac chordula cum flocculis violacei levioris. IM, 79.

Protonotarii honorarii utuntur galero nigro ex integro cum chordula cum flocculis pariter nigris. IM, n. 68.

Abbates vel archiabbates benedicti pariter adhibent galerum nigrum cum nigris flocculis (23).

¶ — 1). Abbates sive praelati nullius dioecesis quoad colorem galeri et chordulae episcopis assimilantur.

2). Praelati seu superiores maiores ordinum vel congregationum religiosarum quoad stemmata abbatibus benedictis assimilantur.

5 — Cubicularii Summi Pontificis seu praelati *di mantellone* propria stemmata qualificari possunt nigro galero cum tribus flocculis violacei coloris utrimque sed ad mentem (24).

ART. II — ALIA ELEMENTA EXTERNA

Crux heraldica ordini episcopali conceditur, quae quidem pro archiepiscopis duabus distinguitur hastis horizontalibus veluti eorum praerogativa singulari (25).

SRE Cardinales charactere episcopali fulgentes crucem apponent simplicem vel geminatam prout eorum titulus erit episcopalis vel archiepiscopalis, quod quidem fieri praecepit SCC. NC, n. 54 b.

Crux ponitur retro post scutum ita ut etiam pes sit visibilis; convenit tamen et decet ut crux, cui cultus debetur latriae, super omnes partes

(23) Color galeri praelatitii abbatum regularium non sequitur colorem habitus religionis, nam, prout diximus in libro II, (de galero pontificali), galerus vel pileolus, nisi aliter concedatur, sunt semper nigri coloris : id valet etiam pro galero heraldico, nec approbari potest usus abbatum, qui vestibus albi coloris utuntur, adhibendi galerum album ad stemmata sicuti nonnunquam videre est; praeterea galerus albus nec pingi potest et heraldicis legibus opponitur.

(24) Instructiones seu *pagella* quae Summi Pontificis cubiculariis datur de eorum stemmatibus tacet; qui *di numero* sunt solent inter praelatos adnumerari sed non ceteri, et opportunum esset ut istis chordula violacea, cum tribus flocculis utrimque pariter violaceis super nigro galero a Sancta Sede concederetur. Nec dubito quin id petentibus concedatur. Chordula violacea, ad pileum praelatorum domesticorum proprium, ipsis conceditur una cum caligis violaceis cum fungi debent officio ablegati apostolici. Hac de re si auctores consules, tot invenies sententias quot capita, nec desunt qui praelatis istis stemmata praelatorum domesticorum propria auctoritate concedunt.

(25) Crux in hodierna heraldica legislatione, praesertim quando color ad galerum non adhibetur, signum est distinctivum ordinis episcopalis. Iuxta CE crux hastata archiepiscopis reservatur, sed cum saeculo elapso qui iuste vocari potest " saeculum assumptionum rerum indebitarum " et episcopi crucem ad stemmata apposuissent, archiepiscopi illam duplicaverunt *et pour cause !*

stemmatis emineat, ne galerus veluti baldachinum ad crucem inserviat vel inservire videatur, et ita a nonnullis episcopis iam factum est. Vide Woodward, plate XIII, n. 1; Heim, planche 3.

¶ — Crux cum tribus hastis patriarchis nunquam venit concessa.

Crucem suis stemmatibus adiungere protonotariis cuiuscumque gradus prohibuit sanctus Pius X, IM, n. 18, nec ea uti possunt abbates et praelati nullius qui ordinem episcopalem non receperunt.

Sacrum pallium, archiepiscoporum residentialium insigne princeps, circumcirca seu potius ad basim scuti ponere ipsis non praecipitur sed permittitur et laudatur, sed partem tantum pallii delineare sufficit.

Cardinales SRE qui pallio rite utuntur, decano inclusive, illud suis stemmatibus locare permisit SCC, extra Urbem tamen et extra proprium titulum, nec in stemmatibus in *Annuario Pontificio* datis delineatur. NC, n. 54 b.

¶ — Si sacrum pallium sit pars scuti non erit iterum uti ornamentum extra illud ponendum.

Mitra et baculus in sacris ritibus sunt correlativa, sed in heraldica non. Sicut pluries dictum est, praelatorum stemmata simplificare expedit, et, non secus ac in arte scribendi, pleonasmata delere necesse est; et cum in hodierno iure heraldico praelatorum stemmata galero identificantur et episcoporum insuper cruce et colore, aliud adiungere capitis tegumentum necessarium non est (26-26A), et potius convenit mitra coronare arma et sigilla dioecesium. NC, n. 54, re perspecta iubent ut SRE cardinales charactere episcopali ornati contenti sint cruce sine mitra et sine baculo, quod

(26) Cum ruber galerus insigne sit cardinalium princeps, isti suis stemmatibus galerum superimponere coeperunt. Episcopi e contra solebant ponere mitram cui postea superposuerunt galerum, exemplum sequentes ordinis superioris, et ita genita est anomalia appositionis duorum insignium capitis. Sed cum cardinales ex ordine episcopali mitram ad stemmata non apponunt, episcopi ab eius usu in dies frequentius abstinent, consulto quidem.

(26A) Priusquam suis stemmatibus galerum apposuissent, cardinales scuta adhibebant sine ullo capitis ornamento. Ad rem auctor quidam saeculi XVII : "Avanti che si concedesse à cardinali il capello, vogliano alcuni, che da essi si collocasse sopra le armi la mitra, come la rappresenta il Ciaccone nelle vite de' medesimi cardinali. Ma con quanto fundamento ciò si asserisca, ognuno può vederlo, mentre nelle memorie antiche de' loro sepolcri mai praticato si scorge, ma tutte le armi de' cardinali, prima che fosse in uso il capello, compariscono senza ornamento alcuno" (pg. 240). Et de usu galeri ab archiepiscopis scripsit "...questo uso del capello sopre le armi de patriarchi arcivescovi come anche de' vescovi è moderno, ne da cento anni in là, se trova alcuna memoria, vedendosi tutte colla mitra" (pg. 247). Antonstefano Cartari Orvietanus, *Prodromo Gentilizio* overo *Trattato delle Armi ed Insegne delle Famiglie*, Roma, 1679, 22 nn + 562 p. in 16.

quidem laudabiliter servabitur etiam ab episcopis. Mitram ad stemmata apponere protonotariis prohibuit sanctus Pius X, IM, n. 18, legislationem Pii VII confirmans, D. 2624, 27, diei 27 augusti 1822 (27).

Baculus qui abbatibus, antiquitus etiam non infulatis, in eorum benedictione, solemni modo traditur, eorum est insigne princeps et in suis stemmatibus apponi debet et quidem in medio seu loco principaliori ubi crux episcoporum poni solet, vel potius supra galerum. Velum baculo appendere ex vetusto Ecclesiae usu decet. Vide Heim, *planche 9* et notam 70 in capite *de baculo*.

Tiara et claves insignia sunt et quidem modo exclusivo stemmatis Domini Apostolici, qui suis clavibus coelum claudit et aperit, dum tiara suam triplicem supremamque missionem uti Christi Vicarii denotat. Claves locantur ex transverso cum clavi aurea a dextris et argentea a sinistris, servato privilegio SS. Basilicae Lateranensis eas seiunctim in linea verticali locandi (28).

¶ — De tiara heraldica sine clavibus Patriarchae Lisbonensis vide lib. I, *de Personis*, p. 56, notam 43.

Nobilitatis signa. Innocentius X iussit ut SRE cardinales a suis stemmatibus amoveri facerent "coronas, signa ac omnes notas saeculares, praeter eas quibus intra scutum... tamquam de essentia et integritate eorumdem armorum utuntur" *Militantis Ecclesiae regimini*, diei 19 decembris 1644. BulRom, XV, p. 338. Si saecularia signa apponere cardinalibus non licet pari ratione nec episcopis. Cum tamen nonnulli praelati insignia huiusmodi in suis armis etiam recentius apponebant, Benedictus XV constitutionem Innocentii X ad omnes patriarchas, archiepiscopos et episcopos decreto consistoriali diei 15 ianuarii 1915 extensit. AAS, 1915, p. 172. Lex tamen exceptionem aperuit : "Nisi forte dignitas aliqua saecularis ipsi episcopali aut archiepiscopali sedi sit annexa". Sed casus excepti, qui si pauci numerabantur,

(27) Sed non erat sic, nam Clemens XI canonicis Ecclesiae Lisbonensis mitram propriis stemmatibus adiungere expressis verbis permisit. Idem privilegium receperunt canonici ecclesiarum Beneventanae, Ravennatensis vel Mediolanensis, seu dari solebat una cum privilegio pontificalium et bene quidem, cum canonici illi non erant protonotarii quibus galerus concedebatur. Propterea SRC quaesita an liceret canonicis et dignitatibus usum pontificalium habentibus suis stemmatibus mitram et pileolum apponere *affirmative* respondit sed quoad mitram tantum. D. 2418, 12. Benedictus XIV, vol. 17, p. 344.

(28) Titulus *Pontificii* moralibus personis datus non secumfert privilegium apponendi tiaram cum clavibus uti partem scuti sed nec uti externum elementum eiusdem nisi id expresse concedatur. Utinam tam excelsa et Apostolica insignia uni Summo Pontifici reservarentur uti signum supremae suae dignitatis et auctoritatis, quae quidem concessione tituli *Pontificii* aliis non traduntur nec tradi possunt.

nonnullam genuerunt confusionem, quapropter eadem S. Cong. Consistorialis, die 12 maii 1951, novum edidit decretum quo definitum est " ordinarii omnes in suis sigillis et insignibus seu armis, necnon in epistularum et edictorum inscriptionibus, titulorum nobiliarium, coronarum, aliarumque saecularium notarum usu in posterum prorsus abstineant, etiam si ipsi episcopali vel archiepiscopali sedi sint annexa ". AAS, 1951, p. 480 (29).

Si agatur de ordine equestri sancti Ioannis Hierosolimitani (Malta) aut sancti Sepulcri earum crucem retro post scutum apponere permittitur, eo quod veluti ordines sacri habentur. S. Cong. Consistorialis, 15 ianuarii 1915. Idque minime immutatum est recentiori decreto eiusdem Sacrae Congregationis.

Signa nobilitatis quae intra scutum, quasi de eorum essentia ponuntur, adhuc permittuntur, cum scutum ipsum non mutatur. Vide Heim, planches 3, et p. 182.

CAPUT III

De armorum usu

Stemmata signa sunt iurisdictionis, possessionis et honoris. Adhibentur ex inde a praelatis in locis suae iurisdictionis, vel ratione possessionis seu honoris (30).

1 — In Urbe stemmata Summi Pontificis ad ianuam non solum suarum Basilicarum sed in aliis quibuscumque ecclesiis apponi solent, et si ecclesia sit titulus cardinalitius vel diaconia, scutum Papae ponitur a dextris (a sinistris intrantis) et scutum cardinalis a sinistris (a dextris intrantis).

(29) De coronis et signis nobilitatis in stemmatibus praelatorum appositis et de eorum praesertim in Gallia et in Germania usu facile esset librum componere. Ad rem Ménestrier scribens anno 1673 " On ne trouvera pas avant cent ans (1573) qu'aucun prélat en France ait mis la couronne sur ses armoiries, non pas même les princes ". *L'usage des Armoiries*, p. 193, apud Woodward, p. 119. Decretum Benedicti XV illustrans optime hac re scripsit Albertus Battandier († 1921) *Les Armoiries épiscopales et les Couronnes nobiliaires*, APC, 1919, p. 454-475. Bonum esset seligere et in unum edere utilissima studia Battandier in 25 volumina *Annuaire Pontifical* ab ipso edita et nunc sparsa, expedit enim " colligere fragmenta ".

(30) Edixit Carolus Borromeus in concilio Provinciali V anno 1579 " Insignia et alia profana (ab ecclesiis) absint " AEM, II, col. 529 et in Synodo dioecesana XI anno 1582 adunata scripsit : " Sacris indumentis et locis ne insignia stemmatave familiarum, aliaque profana appingantur, contexantur, aut sculpantur " AEM, II, col. 1041, iussitque ut recentiora tollerentur. Contrarium tamen determinavit, pluries quidem, antiqua S. Cong. Ep. et Reg. apud Ferraris, *Bibliotheca Canonica Arma*, n. 21, nam usus armorum tunc erat generalis, tam in Urbe quam extra Urbem.

2 — Extra almam Urbem stemmata episcopi regnantis suis coloribus depicta apponi convenit super ianuam principalem ecclesiarum, saltem diebus solemnioribus vel cum episcopus ad ecclesiam accedit, vel modo habituali in loco principali sacrarii seu sacristiae in signum subiectionis.

2A — Si loci ordinarius sit SRE cardinalis et habeat suffraganeum uti episcopi suburbicarii, vel si sedi detur Apostolicus administrator vel coadiutor cum plena iurisdictione, nec ideo possunt hi sua stemmata exhibere sed cardinalis. Vide litteras sancti Pii X *Apostolicae R. P. sollicitudinis* diei 15 aprilis 1910. AAS, 1910, p. 277, n. XI. Et haec est norma agendi etiam si episcopo non cardinali detur coadiutor sede plena, nam qui ius habet ad thronum, ius habet ad sua stemmata exhibenda, etiam si per accidens throno non utatur.

3 — Ad aulam ingressus domus cardinalium aderit iuxta monitum S. Cong. Caeremonialis " Paggiato ad una delle pareti un bancone ricoperto di stoffa di lana rosso con dossello e baldacchino della medesima stoffa, il tutto guarnito di trina e frangia di seta gialla, e, nel centro del dossello, lo stemma del Cardinale ". NC, n. 72 a.

3A — Stemmata sine baldachino vel aliis ornamentis apponi decet ad aulam introitus domus episcopalis vel etiam praelatorum sicuti ab observantioribus Urbis praelatis fieri consuevit.

4 — Ad ianuam seu in loco digniori ecclesiarum poni convenit, vel lapidibus sculpta vel alio perenni modo, stemmata episcopi qui ecclesiam aedificavit vel aedificare iussit et stemmata Papae tunc regnantis ad perpetuam eorum memoriam (31).

5 — Stemmata praelatorum apponi expedit in medio sigilli proprii, sed non sunt cum eo confundenda.

6 — Stemmata episcopi imprimi debent in capite principaliorum documentorum gubernii ecclesiastici; super cetera documenta stemmata, eiusdem dioecesis quae sunt etiam curiae episcopalis, erunt apponenda, ne vilescant stemmata praelati (32).

(31) Talis est enim laudabilis mos Romanus, nam in alma Urbe frequentissima monumenta modo perenni identificantur per apposita stemmata Pontificum qui ea vel aedificaverunt vel renovaverunt, et sic historia adiumento non spernendo fruitur.

(32) Dioeceses proprium scutum et sigillum habere debent. Ad illa personificanda mitra super scutum posita optime inservit et sufficit. Chaignon La Rose perpulchra scuta ita confecta pro fere omnibus dioecesibus Americae Septentrionalis delineavit. Si de sede archidioecesana agatur sacrum pallium poni potest circumcirca, sed non crux quae in recepto iure heraldico ab episcopis etiam adhibetur, vel scutum dividi potest cum pallio a dextris. Woodward, suis coloribus depictis, scuta dioecesium Britannici Boni Communis *Commonwealth* tradit, sunt enim pulchra et heraldicae simplicitatis.

7 — Scutum apponi decet ad introitum domus praelati et ad ianuas sui vehiculi.

8 — Apponitur etiam in parte superiori reclinatorii (et non sedis ipsae) throni episcopi, cardinalis vel abbatis.

9 — Res praelati proprias, tam sacras veluti vestes seu insignia, quam domesticas, stemmatibus personificari decet.

10 — Stemmata ponuntur super cartam ad usum episcopi *papier à lettres* a cornu dextro (sinistro legentis).

11 — Adhibentur etiam uti *ex libris* praelati.

12 — Demum, defuncto praelato, stemmata eius super tumulum sculpi convenit, adiecto nomine et die obitus.

¶ — "Episcopus non debet amovere arma seu insignia seu memorias suorum praedecessorum ab ecclesia vel palatio episcopali, maxime, si fuerunt constructa propriis ipsorum expensis". Ferraris, *Bibliotheca canonica, Arma,* n. 20.

Quoad modum conficiendi stemmata observa : stemmata quae apponuntur throno vel alio loco distincto et formae maioris fabricantur in panno laneo vel etiam oleo propriis coloribus depinguntur, quae super documenta ponuntur fiunt in nigro.

Super res personales, veluti litterarum cartam decet ut stemmata fiant in unico colore, qui seligi potest colori cartae accommodato seu caeruleo si color cartae sit caelestina : non est necesse ut stemmata cardinalium sint rubra vel episcoporum viridia. Praeterea colores diversi in eodem scuto non sunt necessarii et nequeunt convenienter imprimi.

LIBER III

DE FUNCTIONIBUS PONTIFICALIBUS IN GENERE

LIBER III

DE FUNCTIONIBUS PONTIFICALIBUS IN GENERE

Nexus Materiae. In libro I de personis ecclesiasticis pontificalibus privilegiis ornatis singulariter egimus et in libro II de rebus pontificalibus : in parte I de vestibus praelatitiis actum est et in parte II de ministerio pontificali; demum in parte III de ecclesiis maioribus in quibus speciali modo functiones pontificales celebrantur sermo est. Demum in parte IV de heraldica praelatitia actum est. Nunc de ipsis pontificalibus ritibus agendum est et quidem in genere seu de usu pontificalium.

CAPUT I

De usu pontificalium

" Pontificalia exercere in iure est sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis requirunt insignia pontificalia, id est, baculum et mitram ". CIC, 337, § 2.

Lex de usu baculi et mitra loquitur eo quod insignia haec iuxta CE sunt correlativa, et mitra corona est ceterorum insignium pontificalium, nam si usus mitrae prohibetur eo ipso ceterae vestes ordinis pontificalis prohibitae censentur. E contra baculus signum est iurisdictionis et pastoralis sollicitudinis et episcopis extraneis prohibetur, seu pro ipsis functiones pontificales mitram exigunt sed baculum non. Lex exinde sic legi debet : Functiones pontificales eae sunt quae, ex determinatione iuris vel ex privilegio, mitram supponunt vel requirunt, et si officians sit loci ordinarius etiam baculum nam " episcopus utitur baculo in sua tantum dioecesi ". CE, I, 17, n. 5; Benedictus XIV, *Ad audientiam* diei 15 februarii 1753, Fontes, n. 424.

Eorum obligatio. Usus pontificalium nativo iure privilegium est ordinis pontificalis, lex enim prohibet quominus episcopi functiones solemnes sine pontificalibus peragant. Sic iuxta MR episcopus quoties missam solemniter celebrat ordine pontificali procedat necesse est. RSM II, 6; D. 3507. Quod quidem iuxta rubricam valet etiam pro abbatibus infulatis et a fortiori pro SRE cardinalibus ex ordine sacerdotali.

Functiones solemnes imprimis sunt eae quae cum sacris ministris celebrantur, et minus solemnes quae fiunt sine illis quia non sunt necessarii, veluti in sacramentorum vel sacramentalium administratione quando iuxta Pontificale sacri ministri non inserviunt.

A quibus licet. Functiones pontificales exercere possunt : episcopi consecrati sive abbates benedicti; SRE cardinales; praelati nullius qui episcopis in pluribus aequiparantur; protonotarii apostolici participantes et ad eorum instar, necnon praelati qui eorum fruuntur privilegiis. Exceptis patribus cardinalibus et episcopis in suis dioecesibus, praelati omnes quoad usum pontificalium restrictionibus iuris stare debent, prout in libro I de personis exponitur.

In Proprio Territorio. ConcTrid declaravit " Nulli episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia et in personis eidem ordinario subiectis tantum (seu nequit loci ordinarius permittere ut episcopus extraneus faciat id quod ipse facere nequit, veluti extraneos ordinare), si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium sit ipso iure suspensus ". Sess. VI de Ref., cap. V. Sacra Congregatio ad concilium Tridentinum interpretandum iteratis decretis legem Tridentini confirmavit, et tandem Codex Pianus eam adoptavit fecitque suam in canone 337, § 1 (1-2).

Suspensio a Pontificalibus seu ab actibus qui usum mitrae et baculi (si sit adhibendus) exigunt, inter suspensiones a iure imponendas a CIC nominatur can. 2279, n. 9, sed legislator nullum determinat

(1) Abusus hac de re multiplicabantur nec deerant episcopi qui etiam ordinationes extra proprium territorium faciebant : ConcTrid in initio decretorum *de reformatione* quascumque functiones pontificales extra proprium territorium prohibitas expresse voluit. Codex juris sequutus est doctrinam Card. de Luca qui docebat ConcTrid prohibuisse pontificalia extra proprium territorium etiamsi ageretur de missis vel vesperis solemnibus, nam nonnulli auctores verba Tridentina restringere voluere ad ordinationes vel consecrationes personarum et rerum quae iurisdictionem important. Vide Catalanus in CE, lib. I, c. XVII, § 5, IV, ed. Parisina I, p. 371.

(2) Fontes Codicis ad canonem 337, § 1am sunt responsiones SCC : n. 2300; 2314; 2457; 2508; 2737; 2764; responsio SCPF n. 4713; decreta SRC n. 5267 (D. 314); 5305 (D. 466); 6326 (D. 4124).

casum, et codex suspensionem *ab exercitio pontificalium* a ConcTrid statutam in suspensionem *ab ordinum collatione* mutavit. CIC, 2373.

Missa plana solemnis. Missa solemnis et praesertim pontificalis supponit seu exigit solemnitates omnes : videlicet ministros maiores sacris vestibus indutos et cantum. Quo tamen non obstante, nonnulli voluere missam planam in solemnem transformare cum sacris ministris sed sine cantu; ratio, uti videtur, erat prolixitas cantus saeculi XV et sequentium. Sic Ludovicus XIV, Galliae Rex, introduxit missam planam cum sacris ministris dalmaticis paratis, quaeque *Messe Royale* nuncupabatur et quae hodieusque in nonnullis Ecclesiis Parisiensibus celebratur, deplorantibus sacrorum rituum cultoribus. Sed ipse Gavantus permisit ut in synodo dioecesana episcopus missam lectam celebraret cum diaconis et presbytero assistenti paratis et mitram acciperet in initio et in fine sive cum lavat manus. *Praxis Dioecesanae Synodi*, pars I, c. XV, n. 5. Clemens XIII solemnissimo modo in episcopum consecravit regalem Cardinalem Stuart in Ecclesia SS. XII Apostolorum die 19 novembris 1758, et cum diversis de causis non solent Romani Pontifices consecrationes intra Missarum solemnia peragere, Papa missam sine cantu celebravit cum assistentibus cardinalibus et ministris sacris vestibus indutis. Moroni, vol. XCV, p. 183 et 323. Sed alii iam exstabant casus prout memorat card. Bona, in quadam sua littera, qui missam huiusmodi vocat " missam lectam publice et modo solemni celebratam ". Epistolae ed. Sala, p. 317. Quidquid sit de usu hic vel illic introducto, certum est missam lectam cum ministris paratis fuisse, re perspecta, a CE exclusam.

¶ — De Missa quae *Pontificalis lecta* dicitur vide EPR, I, n. 259 et notam 148.

CAPUT II

De functionibus pontificalibus ad thronum

¶ — Functiones pontificales in duos dividuntur ordines : primo loco veniunt functiones quae fiunt ad thronum a loci ordinario vel a praelatis qui huius liturgicis privilegiis fruuntur; altero loco habentur functiones quae ab episcopis extraneis vel a praelatis ad faldistorium celebrantur, de quibus in capite IV agitur.

Cum functiones pontificales imprimis sint episcopales et episcopi ecclesiam propriam ex Apostolica institutione regere debeant in qua

suam sedem habent, functiones istae naturali iure ad sedem episcopi fieri debent. CE exinde functiones solemnes tum ordinarias tum per annum celebrandas ad thronum, data opera, explanat. Fons proinde praecipuus functionum ad thronum est Caeremoniale ipsum quod principaliter ad hoc compositum est.

Functiones pontificales ad thronum fieri possunt et debent :

1 — A loci ordinario intra suum territorium.

2 — A metropolita intra limites suae provinciae.

3 — Ab abbatibus vel praelatis nullius intra proprium territorium.

4 — A SRE cardinalibus in Urbe in proprio titulo vel extra Urbem ubique.

5 — Ab abbatibus benedictis in sua quoque ecclesia.

Diaconi assistentes missam et vesperas ad thronum integrant, et, ex recepto et generali usu, concessio throni duorum diaconorum assistentiam secumfert, idque confirmavit SRC, D. 4355, III, ad 6, b (3).

1 — Diaconi assistentes in missa inserviunt ad thronum, et non ad altare et

2 — Induunt dalmaticam super rochetum cum amictu et sine alba (4). CE, I, 8, n. 2; D. 2388, ad 2. Tamen in locis in quibus usus albae viget retineri potest (5).

(3) Paris de Grassis in suo Caeremoniali *lib. I, c. XX* de diaconis assistentibus haec habet : " sciendum est quod huiusmodi assistentia duorum canonicorum non fit nisi episcopo ordinario et nulli alteri, etiamsi sit patriarcha vel archiepiscopus metropolitanus vel alius quivis suffraganeus nec etiam si legatus fuerit ". Quae quidem verba Paridis CE inde a prima editione in fine cap. VIII, libri I transcripsit : " Sciendum autem est quod huiusmodi assistentia facienda est tantummodo episcopo loci ordinario, et nulli alteri, etiamsi sit legatus qui in sede episcopi sederet ". Lex videtur aperta et clara, eius ratio vero non facile explanatur, nam si thronus conceditur, assistentia est etiam concedenda; propterea Alexander VII, qui abbatum privilegia coarctavit, diaconos assistentes cum dalmaticis ipsis concessit. D. 1131, n. 7. Idque fecit anno 1659 paulo post publicationem CE, quod diaconos assistentes ipsis Apostolicae Sedis legatis vetavit. Tamen in Urbe lex CE observabatur et cardinales in suis titulis ab assistentia diaconorum ad thronum abstinebant, quousque codex iuris cardinales omnes ad fruendum honoribus loci ordinarii admisit. Can. 239, § 1, n. 16; NC, n. 61.

(4) CE h. l. ait : " diaconi sint induti... dalmatica super rochetum, si eius usum habeant, sin minus, super cottam et amictum ", seu amictus adhibetur cum superpelliceo et non cum rocheto et ita faciunt canonici sancti Petri. Sed SRC declaravit amictum esse adhibendum etiam cum rocheto. D. 2388, 2.

(5) Ad mentem CE presbyter assistens et diaconi assistentes faciunt partem capituli sacris vestibus parati, propterea non induunt albam quia canonici in choro illam non induunt, et ita declaravit SRC. D. 2388, ad 2. CE res ita ordinavit quia in capellis Papalibus sic a SRE Cardinalibus observatur. Sed id bene fiebat quando cardinales et canonici amplioribus infra genua utebantur superpelliceis et rochetis. Sed nunc cum vestibus huiusmodi vix infra renes, res absurda evadit et incongrua, nam usus

3 — In ecclesiis cathedralibus in quibus ministrorum copia deest (et quot sunt), missa pontificalis celebrari potest ad thronum sine diaconis assistentibus, in quo casu sacri ministri ad thronum sedebunt. D. 3114, III (6).

Presbyter assistens et sacri Ministri necessarii sunt in missa pontificali, et deficientibus ipsis, episcopus a missa pontificali celebranda abstinebit, functiones enim horum ministrorum nequeunt ab aliis suppleri. D. 3223, I.

Quod de usu albae a diaconis assistentibus dictum est, valet etiam pro presbytero assistente.

CAPUT III

De concessione throni episcopis extraneis

A — De cessione throni ecclesiæ suæ

Thronus ecclesiae cathedralis res est privativa episcopi loci, qui, nisi agatur de casu speciali, veluti physica impossibilitate celebrandi, non debet thronum suum alteri episcopo cedere, et sequentes servandae erunt regulae :

1 — Si loci ordinarius cardinalitia dignitate fulgeat, thronum suum alteri praelato non dabit nisi sit et ipse eadem dignitate ornatus. Quae quidem regula nullam admittit exceptionem. D. 4023 Leonis XIII; NC, n. 63.

2 — Episcopus qui cardinalitia dignitate non sit ornatus, si casus suadeat, laudabiliter thronum suum legato seu nuntio apostolico vel suo metropolitae concedit ut loco sui sacram aliquam functionem praesideat, dum ipse in primo loco chori assistit. Vide librum I, *de Nuntiis*, p. 14; *de metropolitis*, p. 49.

receptus Ecclesiae a saeculis est ut sacrae vestes non nisi super lineam albam adhibeantur. Propterea apud omnes ordines religiosos usus est receptus, a suis caeremonialibus libris adprobatus, ut tum presbyter tum diaconi assistentes induant albam cum amictu et cingulo. Vide Caer. Beuronense OSB; Caer. RomSeraphicum n. 84, nota 7; Caer. Ordinis sancti Augustini Discalceatorum, p. 126. In Statibus Confoederatis Americae Septentrionalis usus albae receptus est : Lallou, AmEcRev, decembris 1949; Baltimore Ceremonial, part. V, chap. I, art. I.

(6) Munus diaconorum assistentium est ad thronum vel cum episcopus hinc inde deambulat : ad altare nihil faciendum habent et sistunt utrimque functionem intercludentes, et melius esset si ad chorum vel ad scamnum recederent. Sed teste Paride, cum episcopus est apud altare, assistentes diaconi " repraesentant duos levitas custodientes arcam foederis hinc inde stantes ". Caer., folium 19v.

3 — Loci ordinarius thronum suum non dabit episcopis coadiutoribus vel auxiliaribus, etiamsi sint vicarii eius generales vel dignitates capituli D. 4023 (7), sed nec abbatibus vel praelatis nullius dioecesis ex ordine sacerdotali quia id nullibi permittitur.

4 — Pro regula habeatur ut thronus non nisi in casibus exceptis et singularibus alteri episcopo detur. Quod si id fiat, episcopus invitatus agat uti proprius, cuius tenet locum : cappa utatur et cetera faciat non secus ac loci ordinarius, dempto septimo candelabro et benedictione post homiliam, nam qui maius concedit, cetera concedere debet.

5 — Fas non est episcopo suum thronum alteri episcopo dare dum ipse in altero throno functioni assistat; et si velit thronum suum alteri dare et officio interesse, id faciat in primo loci choro sine assistentibus. D. 4355, III, ad 4.

6 — Sede vacante vicarius capitularis nequit thronum episcopo extraneo concedere, cum nemo dare potest id quod suum non est. Vide *Piacenza*, EL, 1905, p. 546.

B — De concessione throni extra cathedralem

Episcopus licentiam concedens pontificalia exercendi in suo territorio, potest quoque permittere usum throni cum baldachino. CIC, 337, § 3. Fons huius concessionis decretum est generale Leonis XIII diei 12 iunii 1899. D. 4023, Fontes 6295.

Prout docet legislator, episcopus potest permissionem dare alteri episcopo ut pontificali ritu celebret ad thronum, sed ad id non tenetur, potius convenit ut episcopus extraneus celebret ad faldistorium prout de iure ei competit.

Concessio throni non secumfert concessionem totius ritus loci ordinarii, sed functio modo humiliori erit peragenda, videlicet sine processionali introitu, et clerus in choro assistens sacras vestes non assumet, nec episcopus dabit benedictionem post homiliam vel indulgentias.

¶ 1. — Quae de cessione throni in ecclesia cathedrali dicta sunt sub littera A, n. 1, 3, 5 et 6, servari etiam debent in ceteris ecclesiis dioecesis.

2. — Quoad modum construendi thronum, vide lib. II, p. 270.

(7) Decretum Leonis XIII excludit proprios auxiliares, sed exclusos etiam esse auxiliares aliorum episcoporum videtur, seu thronus dari potest alteri episcopo eiusdem gradus : sic metropolita thronum suum non dabit episcopis suffraganeis sed tantum alteri archiepiscopo.

CAPUT IV

De functionibus pontificalibus ad faldistorium

Cum episcopi omnes ius habent ad sedem seu dioecesim et multi sunt qui diversis de causis sedem habent tantum titularem in partibus infidelium, istis a iure sedes diminuta datur, quae faldistorium nuncupatur, in qua sacras functiones peragere possunt nemini facta iniuria. Functiones pontificales exinde ad faldistorium fiunt minori adhibito apparatu quam functiones ad thronum; sunt tamen solemnes et ubi debito cum decore, tum sacro ritui tum episcopo celebranti, exsequi nequeunt, fieri non debent.

Fontes iuris. CE, si obiter dicta excipias, de functionibus ad faldistorium tacet (8) et ritus missae, aliarumque functionum, ad sedem minorem in usu receptus ille est qui in titulo I, libri I Caeremonialis Capellae Papalis Augustini Patricii habetur : in capite II " Ordo servandus quando cantatur missa ordinaria coram Papa per praelatum " et in capite III " De prima dominica Adventus Papa absente ". Ed. *Catalani II*, p. 8, ad 30; qui quidem ritus hodieusque adamussim in capellis papalibus observatur. Fons proinde principalis mos est romanus, prout a probatis auctoribus, romanis praesertim, traditur (9-10).

(8) CE octies decies de missa ad faldistorium agit, regulas tradens servandas quando (et id sat frequenter fieri supponit) episcopus dioecesanus ad faldistorium celebrat, sunt enim :

In libro I : cap. 7, nº 4; cap. 8, nº 2; cap. 9, nº 3 et 4; cap. 12, nº 10 et 11; cap. 13, nº 4, 6 et 7; cap. 19, nº 4 et 5; cap. 23, nº 14 et 24.

In libro II : cap. 1, nº 20; cap. 8, nº 41 et 56; cap. 24, nº 5; cap. 25, nº 10.

(9) Auctores antiqui, CE sequentes, de functionibus ad faldistorium ex professo non agunt, Paris de Grassis, ante CE scribens, caput XIV, libri II tradit " De Missa et vesperis per praelatum pontificaliter celebrandis (ad faldistorium) coram cardinali ".

Castaldi dat quasdam lineas de missa ordinarii in aliena dioecesi, lib. II, sect. IX, c. IV, nº 20, p. 255, et ad p. 73 dicit " Si vero episcopus extra suam ecclesiam celebret tam in Missa quam ad Vesperas in faldistorio a latere epistolae sedebit ".

Bauldry primus est qui longius ivit tradens appendicem " De episcopo celebrante (ad faldistorium) in sua propria ecclesia coram cardinali vel legato a Latere ", p. 300-308, exemplum sequens Caeremonialis Apostolici, functiones ad faldistorium una simul cum ritu assistentiae solemnis explanat.

(10) Auctores recentiores solent functiones ad faldistorium diutius explanare : Martinucci Pius in libro V caput tradit " De Missa pontificali ab episcopo ordinario ad faldistorium celebrata " et in libro VIII functiones episcopi extranei ad faldistorium explanat.

Saraiva Paulus, olim unus ex apostolicis caeremoniariis, edidit " Caeremoniale pro Missa et Vesperis pontificalibus ad faldistorium ", exoptans " ut competens auctoritas illud examinet, iudicet, approbet ", quod nunquam factum est. EL, 1897,

Quando adhibendus. Nobilis ritus pontificalis ad faldistorium servari debet :

1 — A SRE cardinalibus in Urbe extra proprium titulum, nisi de speciali gratia usus throni in casibus singularibus a Summo Pontifice ipsis concedatur.

2 — In Basilicis Apostolicis seu Maioribus, etiamsi celebrans sit SRE cardinalis et Summi Pontificis legatus. Caer. Benedicti XIV pro Basilica Assisiensi, caput VIII, p. 17; Caer. Benedicti XV pro Basilica de Portiuncula, caput XIV, p. 37; vel etiamsi sit loci ordinarius uti cardinalis Archipresbyter Basilicae Vaticanae, qui ad faldistorium semper celebrat.

3 — A praelato, etiam cardinalitia dignitate praedito, coram Summo Pontifice.

4 — A legato apostolico vel a metropolita seu loci ordinario coram cardinali SRE. Vide infra regulas datas pro assistentia, p. 329.

5 — A metropolita vel a loci ordinario coram legato apostolico et a loci ordinario coram suo metropolita. D. 4355, III, ad 4. Vide lib. I, p. 15 de usu throni in ecclesiis cathedralibus a legatis apostolicis.

Episcopus loci ordinarius celebrans « regulariter non in faldistorio, sed in propria sede stare et sedere debet » CE, I, 12, n. 11; sed « si aliquis SRE cardinalis... rei divinae interesset... episcopus si celebret (sedet) in faldistorio in cornu epistolae » CE, I, 13, n. 4 et 6. Sed etiam « praesente legato (lege : nuntio vel delegato apostolico) vel metropolitano, (episcopus) celebret ad faldistorium » CE, I, 23, n. 24; etenim ob eorum praesentiam « a sua episcopali sede abstineret ». CE, II, 8, n. 56 et I, 19, n. 4. Enimvero ad mentem Caeremonialis missa ad faldistorium haberi minime debet uti diminutio episcopi sed uti argumentum hierarchici ordinis Ecclesiae.

6 — A patriarchis, archiepiscopis vel episcopis titularibus ubique, vel residentialibus extra proprium territorium.

7 — Ab abbatibus benedictis extra ecclesiam cuique propriam, quoties de permissu loci ordinarii speciali facultate ornati id conceditur.

8 — A protonotariis apostolicis de numero extra Urbem ubique

p. 290-298; 473-482; 546-552; 593-603; 671-677; 705-711; 746-750; 1903, p. 111-116; 282-285; 435-439; 1904, p. 102-107. Separatim editum, Romae 1898, 61 p.
Ceteri auctores missam et vesperas ad faldistorium describunt : Menghini, Le Vavasseur-Haegy, Baldeschi, Favrin, Moretti.

vel a locorum ordinariis sive a praelatis Romanae Curiae qui eorum fruuntur privilegiis. Vide lib. I, p. 22.

9 — A protonotariis supra numerum trium Maiorum Basilicarum Urbis ubique extra Romam.

10 — A protonotariis supra numerum capitulorum extra Urbem sed intra limites propriae dioecesis.

11 — A praelatis qui de iure throno uti possunt sed quando, quia necessarii ministri seu spatium sufficiens aut thronus desiderantur, functio ad thronum fieri nequit (11). *Vide notam 19 de missa coram Sacramento.*

Regulae servandae. Functiones pontificales ad faldistorium, sequentibus reguntur principiis :

1 — Celebranti ea omnia dantur quae proprie ordinis pontificalis sunt, et praesertim sacrae vestes et insignia ordinis episcopalis.

2 — Ea denegantur quae episcopo loci ordinario in sede sua conceduntur, praesertim cappa magna cum caudatario, diaconi assistentes, clerus sacris vestibus paratus, baculus, septimum candelabrum, reverentia per genuflectionem.

3 — Ad missam, etiam coram praelato superioris gradus, utpote loci ordinario vel SRE cardinali, episcopus celebrans ius habet ad presbyterum assistentem cum pluviali, praeter sacros et inferiores ministros (12).

4 — Duorum diaconorum assistentia, cum sit ritui pontificalis ad faldistorium contraria non conceditur. CE, I, 8, n. 2; IM, n. 29.

(11) Sat frequenter episcopus missam cantare mavult in collegiorum capellis in quibus nec thronum habere potest nec locus sufficiens habetur pro toto clero missae ad thronum inservienti. His in adiunctis expedit potius, ad dignitatem functionis servandam, ut episcopus vel etiam metropolita seu nuntius apostolicus ad faldistorium celebret. Non nunquam enim missae solemnes ad thronum habentur in parvis presbyteriis, dignitate rei pontificalis ipsiusque pontificis posthabita. Memini expedit principium : praelati quibus faldistorium ad celebrandum datur nequeunt celebrare ad thronum, sed praelati quibus thronus conceditur ad faldistorium celebrare possunt et nonnunquam debent, sine dignitatis pontificalis diminutione : fadistorium etenim nobilissima sedes episcopalis est, sæculorum traditione approbata.

(12) « Si vero forte episcopus (dioecesis) celebrans... in faldistorio sederet, presbyter assistens sedebit in aliquo scamno, prope altare » CE, I, c. 7, nº 4. Presbyter assistens proinde necessarius est ad missam loci ordinarii ad faldistorium vel etiam aliorum episcoporum, non tamen dicendus est stricte necessarius, cum caeremoniarius vices eius ad librum supplet et bene. Tamen auctores, tum antiquiores *Paris de Grassis*, lib. I, c. VII, p. 12; *Castaldi*, p. 93; *Bauldry, appendix*, cap. IV, p. 302, tum recentiores, assistentem volunt. Quo tamen non obstante, sanctus Pius X de protonotariis supra numerum ad faldistorium celebrantibus scripsit : « Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram episcopo ordinario aut alio praesule qui ipso episcopo sit maior » IM, nº 29. Licet concludere presbyterum assistentem, celebrante ad faldistorium episcopo titulari, non esse stricte necessarium, praesertim si missa in parva capella celebretur.

5 — Metropolita celebrans ad faldistorium coram SRE cardinali ab usu crucis hastatae et sacri pallii, urbanitatis gratia, abstinebit. Vide EPR, I, notam 172, p. 374.

6 — Loci ordinarius septimum candelabrum habebit etiam coram SRE cardinali, et in accessu ad ecclesiam cappam explicabit; si praesens non aderit praelatus ei superior per genuflexionem salutabitur. Vide lib. I, p. 136.

7 — Loci ordinarius permissum alicui episcopo dans celebrandi ad faldistorium, potest etiam ei usum baculi pastoralis concedere D. 3873, IV, quem tamen vicarius capitularis ne concedat D. 4171. Quoad usum cappae pontificalis sine caudatario, vide lib. II, p. 133 et notas 73 et 74.

8 — Protonotarii Apostolici qui de iure missam et vesperas vel ceteras functiones celebrant ad faldistorium, eodem ritu agunt ac episcopi extra propriam dioecesim cum exclusione rerum quae propriae ordinis episcopalis sunt, videlicet mitrae pretiosae et baculi ac benedictionis cum triplice signo crucis. Insuper protonotarii supra numerum manus semel tantum lavant. Vide IM, n. 6 et 27.

¶ — Quoad faldistorium et eius locum vide librum II, p. 280.

CAPUT V

De functionibus pontificalibus ad scamnum

¶ — Inde a Pio IX, protonotarii apostolici qui ad instar participantium eliguntur, ritu pontificali celebrari debent ad scamnum loco faldistorii. Missa pontificalis ad scamnum innovatio est in iure liturgico et potius dici debet missa pontificalis ad altare apud quod celebrans omnia legit.

Fontes iuris sunt constitutiones pontificiae *Apostolicae Sedis officium* Pii IX, diei 29 augusti 1872, D. 3262 seu 5500 Gardellini et *Inter multiplices curas* sancti Pii X, diei 21 februarii 1905, D. 4154 (13).

(13) Syxtus V, suis litteris *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo*, die 4 februarii 1586 datis, protonotariis participantibus " quibuscumque aliis pontificalibus insignibus " frui permisit. Postea Pontifices Romani protonotarios non participantes (in distributionibus) primo in Urbem, deinde etiam extra Urbem creaverunt, quos, uti ait Pius VII, " omnibus quibus Protonotariorum Conlegium potitur privilegiis honorisque insignibus auctos decrevere ", nam erant ad eorum instar et, iuxta Suaresium, scimus " idem esse privilegium ad instar alterius, quod esse ad imitationem alterius, seu respicere illud tamquam exemplar " *De legibus*, lib. VIII, cap. 15.

Exinde non defuere protonotarii qui, adhibito throno et septimo candelabro, more episcopi dioecesis sacro litabant. Et non solum ii sed etiam protonotarii ad honorem, seu quod titulum tantum, " eo audaciae devenerunt, ait Pius VII, ut protonotariis *di numero* assimilatos esse " supponebant dum " longe differunt " a protonotariis Romanae Curiae, quos *ad instar* prima vice vocat (Decreta authentica, p. 174) nec ullo gaudent pontificali privilegio. D. 2583 diei 27 aprilis 1818. Propterea episcopi Sanctam Sedem rogaverunt ut protonotariorum privilegia declarare velit.

Pius VII in citatis litteris *Cum innumeri* privilegia protonotariorum titularium definivit et Pius IX, datis litteris *Quamvis peculiares*, die 9 februarii 1853, iura protonotariorum Conlegii declaravit, et deinde in sua constitutione *Apostolicae Sedis officium* privilegia protonotariorum non participantium determinavit, et dum eos ad aliorum instar vocat, eorum privilegia coarctat. Vide p. 22, notam 21.

Principalis innovatio habetur non solum in diminutione functionum pontificalium sed praesertim quia prohibuit protonotariis non participantibus usum faldistorii, quo semper utebantur, instituens rem eousque ignotam, pontificalem missam ad altare cum scamno ad sedendum, quod omnibus sacerdotibus iure communi conceditur; idque sanctus Pius X confirmavit. Sic factum est ut protonotarii apostolici ad instar, qui protonotarios *di numero* " tamquam exemplar " respiciunt, privilegia valde minuta receperint, licet sanctus Pius X in pluribus privilegia a Pio IX data ampliavit.

Quando adhibendum.

Ritus huiusmodi conceditur protonotariis apostolicis ad instar participantium necnon dignitatibus vel etiam canonicis quorundam capitulorum extra Urbem. Vide lib. I, p. 25.

Regulae servandae :

1 — Celebrans ius habet ad presbyterum assistentem cum pluviali si missa non celebretur coram loci ordinario vel praelato superioris gradus.

2 — Celebrans ad altare omnia cantat vel legit (14).

3 — Gremiale non adhibet.

4 — Manus semel tantum intra missam lavat solito more.

5 — Benedictionem cantat sed cum simplici signo crucis.

¶ — Auctores plurimi ritum ad scamnum explanaverunt (15).

(14) Optare liceat ut ritus pontificalis ad altare et ad scamum tandem aliquando mutetur, permittens ut protonotarius si non ad faldistorium, saltem ad scamnum primam partem missae celebret, id enim in votis est, praesertim post editum ritum Sabbati Sancti ubi praecipitur ut celebrans ad scamnum praeconium paschale et lectiones audiat, collectas cantet, et sic facere debet protonotarius, qui officium Magnae Vigiliae facit et missam celebrat.

(15) Cum functiones pontificales ad scamnum sint ritus novissimi, auctores de illis silent; recentiores vero ritus huiusmodi explanaverunt, praesertim : Trombetta Aloysius, *De iuribus et privilegiis praelatorum Romanae Curiae*, Surrenti 1906, p. 70-94; Favrin, *Praxis solemnium functionum*, ed. 2ª, 1926, p. 201-227; Adda Roberto, *Cerimoniale del Protonotario Apostolico ad instar participantium*, ed. 2ª, Vicenza 1938.

CAPUT VI

De functionibus pontificalibus coram Venerabili Sacramento

Mens CE ea est ut, episcopo solemniter celebrante, res ita disponantur ut Sacramentum Corporis Christi ab altari amoveatur. "Licet sacrosancto Domini Nostri Iesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, praecellentissimus ac nobilissimus omnium locus in ecclesia conveniat... (16) tamen valde opportunum est, ut illud non collocetur in maiori vel in alio altari in quo episcopus vel alius solemniter est missam seu vesperas celebraturus... ne ritus servandus turbetur". CE, I, 12, n. 8.

Monet praeterea Caeremoniale ne episcopus coram Sacramento solemniter exposito celebret. "Non incongruum sed maxime decens esset ut in altari ubi Sanctissimum Sacramentum situm est, missae non celebrarentur, quod antiquitus observatum fuisse videmus". CE, I, 12, n. 9 (17). Monitum CE confirmavit Sacra Congregatio : "Episcopus se abstinet a celebranda missa pontificali coram Sanctissimo publice exposito ad mentem CE, I, 12, n. 8 et 9". D. 4302 diei 8 februarii 1913 (18).

(16) Sic legi debet textus et sic legebatur in prima et in altera editione (1600 et 1606); tamen in editione Romana, anni 1651 virgula post *fonti* non legitur, legitur vero in editione principi 1713 in Belgio excusa; subsequentes editiones erratum conservaverunt ad usque novissimam Leonis XIII.

(17) Instructio Clementis XI *Pro expositione XL horarum* prohibet quominus ad altare expositionis missae celebrentur vel sacra communio distribuatur, facta exceptione pro missa solemni non pontificali aperitionis, in qua hostia expositionis consecratur, et missa ad adorationem claudendam. Sed, prout meminit Gardellini in suis commentariis, scitur sanctum Carolum stricte prohibuisse missam quamcumque coram Venerabili Sacramento, etiam ad XL horas aperiendas vel claudendas. Non ergo sine causa monitum caeremonialis de missa coram Sacramento non celebranda Carolo Borromaeo tribuere possumus, hic et in similibus magistro imitando. Vide Decreta authentica SRC, vol. IV, p. 38.

(18) CE, II, 33, n° 33 de festo SSmi Corporis Christi agens ait "Et quia solitum est per totam hanc octavam ponere super altare tabernaculum cum SSmo Sacramento discooperto dum vesperae et officia divina recitantur...". Codex iuris canonici cum citatione CE permisit expositionem solemnem ad missam et ad vesperas per totam octavam can. 1274, § 1. Tamen CE dicit dum *vesperae et officia divina recitantur*, quod intelligi debet de ceteris horis canonicis officii Corporis Christi potius quam de missa celebranda coram Venerabili. Certum tamen est codicem non intendere missam pontificalem de qua nobis sermo est, legislator enim non vult sibi ipsi contradicere. Quoad cantum vesperarum nulla exstat difficultas dummodo episcopus nec throno nec mitra utatur.

Regulae servandae. Si vero contingat ut episcopus missam coram Venerabili Sacramento celebrare debeat vel assistere missae ab alio celebratae :

1 — "Genuflexiones omnes et reverentiae ad unguem observari debent" id est ad Sacramentum.

2 — "Episcopus nunquam sedere sed stare (debet) sine mitra" CE, I, 12, n. 9.

3 — Laudabiliter episcopus dioecesanus celebret ad faldistorium; vel missae solemni assistat in primo loco chori (19-20).

CAPUT VII

Ius episcopale assistentiae

ART. I — ASSISTENTIA AD THRONUM

Nativo iure celebrans liturgicis functionibus praeest, collectas nomine omnium canit, tamen diversis de causis invectus est usus, a CE receptus, ut episcopus dioecesanus alteri tribuat dignissimum celebrandi munus, dum ipse, utpote angelus seu praepositus ecclesiae illius, functioni ad thronum suum interest (21-22).

(19) Si loci ordinarius celebrat coram praelato superioris gradus ab usu throni abstinet; si missae assistit, ad elevationem Sacramenti de throno descendit et in plano se prosternit. Proinde si episcopus velit omnino missam cantare coram Sacramento, id faciat ad faldistorium, nam si throno uti non debet coram praelato superioris gradus a fortiori coram Venerabili Sacramento; Summus ipse Pontifex cum expositioni vel benedictioni cum Venerabili Sacramento assistit in plano presbyterii sistit.

(20) Sunt, et quot, qui, nescio qua fulti devotione, volunt missam et expositionem SSmi Sacramenti in unum fundere! Tamen res istae eucharisticae sunt, sed natura seu genesi diversae, et tum genus tum ritus non solum missae romanae, verum etiam missarum orientalium solemni expositioni se opponunt.

(21) Genesis missae coram episcopo non facile explicatur, nam n antiquioribus ordinibus non invenitur; tamen Iacobus Gaytanus, cardinalis sancti Georgii in Velabro et nepos Bonifatii VIII († 1303) qui eum cardinalem creavit, ritum servandum quando missa solemnis coram Papa cantatur tradit, *Ordo Mabillon XIV*, cap. LX et LXII, vol. II, p. 314 ss. Ritus Gaytani idem fere est ac ritus ab Augustino Patricio descriptus in suo caeremoniali apostolico, sed cardinalis celebrans Papam incensabat. Certum exinde est saeculo XIII recurrente missam solemnem coram Papa sacris vestibus parato iam fuisse in usu recepto, iisdem fere adhibitis ritibus ac illis qui a nostro Caeremoniali describuntur. Quaestio haec non parvi pendenda alibi erit fusius explananda.

(22) Ratio ordinis practici introductionem missae coram Papa et postea coram dioecesano explicat. Nam missa solemnis Papae difficilior et solemnior deveniebat, per horas plurimas protracta, ita ut frequenter celebrari nequibat; insuper Papa, et eadem valet ratio pro aliis dioecesanis episcopis, senectute vel aegritudine non raro laborabat, et cum volebat divinis interesse officiis, sensim sine sensu ritus *solemnis assistentiae* introductus est, quod liturgico sensui difficile quadrari potest.

Fontes iuris. CE de functionibus liturgicis coram praelato agit in libro I : cap. 4, 20 et 21; in libro II : cap. 9, 12, 16, 18, 21, 26, 28, 31 (23). CA, lib. I, cap. II " Ordo servandus quando cantatur missa ordinaria coram Papa per praelatum ". Ed. *Catalani*, II, p. 8 ad 28, et passim alibi.

Quibus permittitur. Ius assistentiae ad thronum privativum est loci ordinarii, praesertim in sua ecclesia cathedrali, qui eodem fruitur iure in ceteris ecclesiis etiam exemptis suae dioecesis.

Praeterea iure assistentiae gaudent praelati maiores quibus privilegia locorum ordinariorum conceduntur, sunt enim :

1 — SRE cardinales ubique extra Urbem.

2 — Legati apostolici in locis suae legationis.

3 — Metropolita in dioecesibus suffraganeis.

4 — Abbates seu praelati nullius dioecesis.

Dantur tamen distinctiones seu reservationes prout infra habetur. Vide etiam lib. I, de singulis praelatis maioribus supra recensitis.

Quando permittitur. Privilegium dioecesani imprimis a CE permittitur ad missam solemnem et ad vesperas vel etiam laudes, prout infra exponitur. Praeterea privilegium assistentiae secum fert ius faciendi functiones quae missam immediate praecedunt vel sequuntur dum alius missam celebrat, seu loci ordinarius potest vel, prout res fert, debet :

1 — In festo Purificationis BMV benedicere candelas et processioni praesidere.

2 — Feria quarta in capite Quadragesimae cineres benedicere et clero fidelibusque imponere.

3 — In Dominica secunda Passionis in " Ramis palmarum ", palmas benedicere et processionem facere.

4 — Feria Sexta Maiori Liturgicae Actioni praesse.

5 — In Magna Vigilia Paschae officium facere vel eidem praeesse.

6 — Ante missam solemnem pro sponso et sponsa matrimonium benedicere.

(23) CE est lectu difficile; sic si velis ritum missae solemnis coram episcopo cognoscere, in capite IX, libri II cuius titulus est " Quomodo episcopus missae solemni assistat " non habes ritum assistentiae, sed necessarium erit totum Caeremoniale legere cum ritus missae huiusmodi sparsim invenitur : in libro I, cap. XXIII invenies regulas incensationis; in libro II, cap. XVI cum ritibus in festo Purificationis servandis aliae traduntur regulae pro initio missae, et sic de aliis; propterea auctores caeremonialia scripserunt in quibus ritus missae coram episcopo ordinatim reperitur.

7 — Post missam solemnem pro defunctis absolutionem impertiri. D. 4355, II, 3. Vide lib. I, *de personis*, p. 67.

ART. II. — DE MISSA CORAM EPISCOPO DIOECESANO

A — Sacris vestibus parato

1 — Iubet CE, II, 9, n. 4 : " In solemnioribus festivitatibus episcopus erit semper cum pluviali ", prout dicit in libro I, c. 15, n. 10 et tertio repetit in fine cum relationem dierum tradit quibus episcopus missam celebrare vel interesse debet " in aliis festivitatibus ...vel alias quandocumque episcopo placuerit, poterit, paratus cum pluviali et mitra, assistere missae.". CE, II, 34, n. 4. Et " In die Circumcisionis Domini, episcopus debet interesse missae paratus cum pluviali " II, 15, 2.

2 — Quando episcopus ante missam praeest benedictioni candelarum vel palmarum vult CE ut postea, sacris vestibus retentis, mutato colore pro albo in die Purificationis, si non celebret, missae assistat. CE : II, 16, n. 19; 21, n. 11. Item Feria quarta in capite ieiunii II, 18, n. 15 " Episcopus retinebit sua paramenta, quod magis conveniens est... "; sed etiam in missa pro defunctis episcopus erit " (cum cappa vel) cum pluviali nigro seu violaceo " II, 12, n. 1, propterea quia in fine daturus est absolutionem.

E quibus concludere licet ad mentem CE episcopum sacras vestes assumere posse vel debere ad missam 1) " In solemnioribus festivitatibus (24) ... vel alias quandocumque voluerit " et 2) quoties ante vel post missam fit functio ab episcopo quae vestes sacras requirit, ne teneatur intra caeremoniam vestes chorales pro sacris vel sacras pro choralibus mutare.

(24) Uti facile videtur, vult CE ut episcopus paratus diebus solemnioribus missae intersit non secus ac in Capella papali, nam non solet Summus Pontifex nisi paratus cum pluviali et mitra missae solemni interesse. Exemplum hic habetur extensionis a CE privilegii papalis ad episcopos dioecesanos. Exoptare licet ut in revisione Caeremonialis ritus assistentiae episcopi parati restringatur, vel, prout antiquitus fiebat, Summo Pontifici simpliciter reservetur. In praxi, experientia didicimus, assistentiam cum cappa pontificali magis placere episcopis et certe plus rationi quadrari videtur; nam episcopus qui prima persona chori est, choralibus vestibus indutus sit oportet, idque confirmatur usu cardinalium in suis titulis. Confirmatur etiam editionibus Pontificalis Romani ante Caeremoniale editis, in quibus, ad modum appendicis, aderant capitula de principalioribus ritibus nunc a CE exploratis. Sic in editione Pii IV anni 1561, Venetiis excusa, caput datur " De Missae solemni quae in praesentia pontificis celebratur " *folium 223 ad 224 v* " Pontifex missam solemnem auditurus, cappa sua pontificali indutus etc. ". Ne quidem verbum legis de missa coram episcopo sacris vestibus induto. Ibidem optimum datur consilium : " Si sedes episcopi procul esset (ab altari), puta in introitu chori, ne pontifex discurrere videatur sursum et deorsum, poterit facere confessionem in sede sua cum illis qui sunt apud eam ", fol. 223 v.

B — *Cum cappa pontificali*

"Poterit autem (dioecesanus) si magis placuerit... missae in festis minus solemnibus cum sua cappa pontificali interesse" CE, II, 9, n. 4. "In aliis festivis seu ferialibus diebus episcopus semper deferet cappam" CE, II, 34, n. 4, non secus ac in officio vigiliae Paschalis in qua "episcopus more solito cum cappa veniet ad ecclesiam" et eam ad finem usque missae et vesperarum conservabit. CE, II, 28, n. 1 et 10. In missa pro defunctis quando assistit, erit "cum cappa (vel cum pluviali)" II, 12, 1.

Quibus non obstantibus, regula Caeremonialis non est strictae obligationis et, si excipias festa in quibus episcopus celebrare ipse debet et, gravi de causa, missae tantum assistit, semper ei fas est, cardinalitia vel non dignitate insignito, in sua cappa pontificali missae interesse.

¶ — 1. SRE cardinales in suis ecclesiis titularibus, etiam in festis solemnioribus, cum cappa cardinalitia missae ad thronum assistunt. NC, n. 61.

2. Assistentia ad thronum cum caputio humerali vulgo *mozeta* non permittitur. CE, II, 34, n. 4. Et si quandoque de speciali indulto fit, episcopus sequi debet regulas pro simplici assistentia chorali sine assistentibus, nullam habens in missa partem nec finalem benedictionem dans. D. 4195, I, diei 23 novembris 1906; et confer DD. 650; 2089, V; 2195, II; 3110, XXI et XXII.

3. Choralis assistentia ad thronum in ecclesia cathedrali non permittitur (25).

ART. III. — RITUS SERVANDUS AB EPISCOPO DIOECESANO

A — *Sacris vestibus parato*

1 — Episcopus induitur alba cum amictu et cingulo et desuper stola et pluviali cum pectorali et habebit mitram cum baculo.

(25) Quaesitum est an liceat episcopo dioecesano vel praelato ei superiori facere choralem assistentiam ad thronum cum cappa, id est, sine libro et candela et sine circulis, et cum assistentia unius caeremoniarii, ita ut post evangelium librum tantum deosculetur et ad offertorium a diacono missa incensetur a quo etiam accipit pacem.

Certe id licet et expedit in primo loco chori, et Favrin, *Praxis*, p. 12, iubet ut ita fiat si cardinalis SRE forte interesset missae ab episcopo dioecesano ad faldistorium celebratae. Putamus id fieri posse extra ecclesiam cathedralem, sed si de ecclesia cathedrali agitur servari debet CE, et episcopus missae assistat in primo loco chori, assistente sibi caeremoniario uno, vel faciat assistentiam solemnem ad thronum.

2 — Ei assistunt diaconi duo seu capellani et presbyter assistens. CE, I, 7, n. 7. Sed extra ecclesiam cathedralem capellani seu diaconi duo sufficiunt (26).

3 — Episcopus sacras vestes accipit ad thronum, sed laudabiliter, more papali, se vestit in sacrario sive in secretario, et paratus cum mitra et baculo ad altare accedit cum suis ministris post celebrantem et clerum (27).

4 — Praelatus, utpote paratus, celebranti quodammodo aequiparatur, proinde in medio altaris missam incipit cum celebrante tantum a sinistris (28) et incensatur ad introitum et ad offertorium post celebrantem, et post evangelii cantum ipse solus. CE, I, 23, n. 16.

5 — Episcopus benedicit incensum et thuribulo imponit quoties adhibetur, ministrante presbytero assistente; benedicit subdiaconum post cantum epistolae, diaconum ante evangelium, et aquam ad offertorium.

6 — Dioecesanus ius habet ad canonicorum circulos cum recitat *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei*. CE, I, c. 21 (29-30-31)

(26) Assistentia diaconorum seu capellanorum res est privata loci ordinarii, quum ad thronum officium facit et "nulli alteri facienda est etiamsi sit legatus qui in sede episcopi sederet" CE, I, 8, n° 4. Nunc tamen assistentia dari solet aliis praelatis qui ad thronum officium faciunt. Altera tamen movetur quaestio cum agitur de assistentia chorali, quia tunc nec patribus cardinalibus datur. Vide EPR, III, p. 147, notam 58.

(27) Sic fit in Capellis papalibus, nam Summus Pontifex "in Camera paramenti, quae *Papagallo* dicitur, induitur amictu, alba, cingulo, stola, pluviali (rubro simplici) et mitra" deinde venit cum cruce... ad capellam. CA, ed. Catalani, I, p. 8 et 11. Et sic fieri expedit, docet Ignatius Bourget in suo commentario ad CE, p. 61.

(28) In CA, II, p. 11 legitur : "Praelatus autem accedens facit cum eo (Papa) confessionem", qui ritus in CE transiit : "Episcopus... incipit confessionem, stans a sinistris eius celebrans" CE, II, 16, n° 19. Huiusmodi modus agendi semper nobis visus est tamquam diminutio capitis relate ad celebrantem qui nomine omnium sacrum operatur, quique locum suum episcopo dat. Haec difficultas cessat si episcopus ad thronum cum suis assistentibus confessionem faciat, sicuti facit si celebrans sit charactere episcopali ornatus. Incongruentia crescit quando episcopus in cappa chorali in medio sistit cum celebrante sacris vestibus induto a sinistris. Res certe populo et clero miranda et minime "liturgica". Vide notam 24 circa finem.

(29) Praecipit CE, lib. I, cap. 21, ut cum episcopus ad thronum missae solemni assistit, canonici, circulum coram eo facientes, una simul recitent partes fixas missae quae a schola cantantur, nimirum *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus Dei*. Et etiam canonici ex ordine episcopali ad recitationes seu circulos hos accedere debere declaravit SRC, D. 2283, ad 2.

Sic enim fit in missa solemni quae, Papa assistente, celebratur : "Interim veniunt ad circulum omnes cardinales" CA, II, p. 13, et p. 21, 24 et 27. In Ordine Romano XV Mabillon, Petri Amelii "ex eremita augustiniano Urbani V sacristae, dein Gregorii XI Paenitentiarii ac bibliothecarii", legitur : "Papa dicit *Gloria in excelsis Deo* cum cardi-

et ad librum quem minister super caput tenet ex quo legit partes chori et pericopes SS. Scripturarum. CE, I, c. 20 (32).

7 — Praelatus dat benedictionem cum indulgentiis post homiliam et benedictionem finalem.

B — Cum cappa pontificali

1 — Episcopus cum sua cappa pontificali ad thronum sistit et habet eosdem assistentes ac sub littera A, 2.

2 — Episcopus missam incipit cum celebrante a sinistris. Vide notam 28.

nalibus sibi assistentibus ante (eum) ad modum circuli " nº 83, *De officio Sabbati Sancti quando Papa non celebrat*, ed. Mabillon II, p. 502.

Sacrista sancti Urbani V tradit usum Avenioni observatum, nam antiquiores ordines romani de circulis tacent. Cardinales circulum seu coronam cum Papa facere debent, ait Catalanus, quia cum eo corpus unum efficiunt. Circuli fiunt cum episcopo dioecesano et non cum aliis, quia ipse corona est cleri dioecesis. Ita fieri debere censebat sanctus Carolus qui in Concilio Provinciali suo IV iussit ut ritus qui in oblivione erat Mediolani observaretur, quo viam in CE invenit. Vide Catalanum, in CE, II, p. 404-410; et in CA, II, p. 381. Sed missa elata voce recitata dum cantores easdem orationes cantu modulantur assistentes perturbat, nam cantus et recitatio una simul sibi invicem opponuntur.

(30) Episcopus et omnes praesentes genuflectunt dum dicunt *Et incarnatus est... et homo factus est*, et denuo, dum verba haec cantantur a schola, qui stant genuflectunt, ceteri se inclinant. Sed cum recitatio *Credo* sit ritus secundarius relate ad cantum, exoptare liceat ut in nova editione CE genuflexio dum *Credo* in missa solemni recitatur deleatur.

(31) Si episcopus non assistit sed missam celebrat, canonici seu praelati partes fixas missae, inde a *Iudica me Deus*, bini recitant non secus ac cardinales et praelati in missa solemni papae. CE, II, 8, nº 32, 39, 52. Sed melius esset si clerus partem in cantu haberet, sicut faciunt monachi et clerici seminariorum : recitatio haec cantum perturbat.

(32) Iuxta CE, lib. I, cap. 20 episcopus missae solemni assistens partes proprias missae ab introitu ad usque communionem legit e libro quem minister super caput tenet. Agitur de quadam *activa assistentia*, sed activa nimis, et potius reduplicativa, nam si epistola a subdiacono solemni modo cantatur, non secus ac evangelium a diacono, et episcopus lectionem intellegit, cur debet huiusmodi pericopes iterum submissa voce legere? Idem dicendum est de partibus missae quae a schola cantantur. Exoptare exinde licet ut, ad mentem novarum rubricarum Maioris Hebdomadae, caput hoc e Caeremoniali deleatur ita ut " celebrans et ministri, clerus et populus, sedentes auscultant " quique omnes possunt una simul lectiones e libris manualibus sequi.

Nec intellegitur ratio Caeremonialis hoc loco, nam liber episcopo ordinario conceditur uti privilegium, sed si praesens aderit praelatus superioris gradus " episcopus ob reverentiam libro non utetur " CE, I, 20, nº 3.

Innocentius III docet Papam non debere legere pericopes Scripturarum si missae interest " si epistolam et evangelium ante se palam lectum intellexerit, ut ea iterum non legat ", volebat tamen ut Papa legeret partes quae a schola cantantur. Sed si Papa celebrat omnia legere debet, etiam Passionem in Hebdomade maiore, " Cum, inquit ipse, sint de pertinentiis missae " Paris de Grassis, lib. II, c. 25. Regulam Innocentii III de pericopis non legendis ratificavit Paris de Grassis, sed CE omnia legenda esse declaravit, si episcopus celebret, vel una Passione accepta quando missae assistit. CE, II : 21, nº 16; 26, nº 5.

3 — Praelatus, utpote pars chori, ad offertorium tantum incensatur. CE, I, 23, n. 16; II, 9, n. 3; D. 2195, ad 2.

4 — Episcopus, etiam cardinalitia dignitate praefulgens, pileolum dimittit ad cantum evangelii et dum incensatur. SCC 20 maii 1890; NC, n. 26, a (33).

Cetera fiunt ut sub littera *A*.

¶ — Principaliores regulae in missa coram dioecesano, commoditatis gratia, hic traduntur, sed ritus una cum functionibus pontificalibus ordinariis exponitur. Cf. Favrin, *Praxis solemnium functionum episcoporum*, vel Haegy-Stercky, *Les Fonctions Pontificales*.

C — Si celebrans sit episcopus

1 — Dioecesanus sive metropolita aut SRE cardinalis " interesse debet cum cappa et omnia deferre episcopo celebranti, praeter absolutionem et benedictionem post sermonem, ac indulgentiarum concessionem, quae omnino ab ipso proprio episcopo peragenda sunt " CE, II, 9, n. 5. *Omnia deferre debet celebranti*, id est " benedictionem incensi et aquae, benedictionem diaconi ante evangelium, deosculationem manus ... a diacono et subdiacono et benedictionem in fine missae ". Ibidem n. 6.

2 — Episcopus missam non incipit cum celebrante sed ad thronum cum suis assistentibus D. 1583, ad 6, et post evangelii cantum textum deosculatur NC, n. 62, sed celebrans tantum incensatur.

¶ — Assistentia dioecesani sacris vestibus parati missae alterius episcopi " non convenit " docet CE, II, 9, n. 7, ac proinde fieri non debet. Huiusmodi enim assistentia superiorem gradum supponit relate ad celebrantem, et *permittitur* metropolitae intra suam dioecesim (cum throno a latere evangelii) missae sui suffraganei, vel SRE cardinali missae episcopi titularis : sed *non convenit* quia praelatus assistens paratus debet missam cum celebrante incipere et benedictiones omnes dare ipse et non celebrans. CE, II, 9, n. 7. Proinde etiam cardinalis a latere legatus qui missae loci ordinarii vel praelati superioris gradus interest, a sacris vestibus accipiendis abstinebit obsequii causa.

(33) In *Norme Ceremoniali per gli Emi Signori Cardinali*. nº 26 b ubi legitur " Al cardinale vestito dei sacri paramenti per la Messa o che dal trono presta assistenza *in cappa* " pileolum conservat ad cantum evangelii et dum incensatur, legendum est *in piviale* seu paratus sacris vestibus. Secus esset contradictio cum littera a, ubi cardinalis instruitur ut pileolum deponat ad cantum evangelii et dum incensatur *si non est* sacris vestibus paratus, prout iam declaraverat SCC.

ART. IV — VESPERAE SOLEMNES CORAM EPISCOPO DIOECESANO

Potest episcopus, si nollet vesperas pontificales vel semipontificales praesidere, illis cappa pontificali indutus ad thronum interesse iuxta monitum CE, II, 2, n. 4. Nullo modo tamen ei licet cum cappa officium facere " sed canonicus hebdomadarius indutus amictu et pluviali ... totum officium faciat "... Et episcopus " in sua sede tantummodo benedicet incensum : et in fine solemnem benedictionem dabit ". CE, II, 2, n. 4.

1. Ritus servandus in vesperis *coram episcopo* cum cappa pontificali minutim describitur a CE, II, 2, n. 4, ad finem.

2. Vesperae solemnes coram episcopo parato cum pluviali et mitra non permittuntur, absonant enim (34).

3. Regulae pro vesperis solemnibus datae servari etiam debent pro laudibus si quandoque episcopus illis cum cappa ad thronum interest, sed " si episcopus in matutinis solemne officium peregit, congruum erit ut etiam laudes solemniter celebret ". CE, II, 7, n. 1.

4. " Ad reliquas horas canonicas episcopus... si interesse voluerit, assistet in choro (in primo loco) cum cappa et nullum officium faciet ". Ibidem, n. 7.

(34) Cum quo tempore CE compositum est, episcopi raro functionibus liturgicis in suis ecclesiis intererant, Caeremoniale monitum generale posuit " Valde probandum esset si in solemnioribus festivitatibus episcopus etiam non celebraturus, procederet ad ecclesiam, et tam vesperis quam missae interesset, amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, pluviali ac mitra paratus " CE, I, 15, nº 10. Exinde nonnulli concluserunt posse episcopum sacris vestibus paratum vesperis interesse, sed perperam, nam verba *sacris vestibus paratus* ad missam et non ad vesperas referri debent prout e libro II, cap. 2, nº 4 clare eruitur : episcopus potest vesperis interesse cum cappa et tunc officium non facit, sed si sit paratus officium vesperarum facere debet. Iterum de vesperis " coram episcopo celebrandis " ait " episcopum pluviali ac aliis paramentis ibidem expressis indutum convenienter interesse et officium facere ", id est, vesperas celebrare potest. CE, II, 9, nº 1. Seu vesperae celebrantur *coram episcopo parato*, qui, uti in capitibus I et II praecipitur, officium facit, quod in CE idem sonat ac officium dirigere et interesse, nam " cum cappa minime convenit ut officium faciat " CE, II, 2. nº 4. Et iterum : " Si vesperis interesse voluerit, celebrabuntur similiter ut in lib. II, cap. II " CE, II, 34, nº 4, id est, episcopus vesperis interest et officium facit.

Paris ait " in capella papali, quae est omnium rituum ecclesiasticorum magistra et imperatrix, Papa... habitu quotidiano (manto chorali) vestitus praesens vesperis, certe non incipit vesperas " id est, non facit officium, e contra si Papa sit sacris vestibus paratus facit officium, seu in capella papali assistentia parata in vesperis non exsistit, nec exinde extra capellam Papae. Paris, SS. Caer., lib. II, c. 36.

Praeterea auctores tum antiqui tum recentiores officium vesperarum coram episcopo parato ignorant. Castaldus, p. 211 et Bauldry, p. 253 docent episcopum posse assistere sed cum cappa; Haegy ait : " L'Evêque n'assiste aux Vêpres que d'une manière, c'est-à-dire avec la cape ". *Les Fonctions Pontificales*, ed. 1904, vol. Ier, p. 217; Favrin, ed. 2ª, p. 41.

ART. V. — SI DUO VEL PLURES PRAELATI MAIORES INTERSUNT

Si duo vel plures praelati maiores insimul sacris intersint functionibus :

1 — Praeest qui praecedentia gaudet, proinde " Si plures in eodem loco veniant praelati, ac etiam legatus et cardinales, uni tantum ex ipsis, qui erit maior..., et celebranti reverentia exhibeatur " CE, I, 19, n. 14.

Reverentia haec fit per capitis inclinationem ab omnibus, nisi agatur de legato a latere Summi Pontificis cui semper genuflectitur.

2 — Exinde, praesente nuntio vel delegato apostolico, dioecesanus secundum locum sumit, propterea si celebret utetur faldistorio CE, I, 23, n. 24 (35) et " a benedictionibus cessabit ", ibidem I, 4, n. 4. Sed, prout supra dictum est, legatus seu metropolita qui missae interest assistit cum cappa pontificali.

3 — Metropolita coram cardinali etiam non legato a cruce ante se ferenda abstinebit. Ibidem I, 4, n. 2. Sed si metropolita est etiam cardinalis et celebrat, benedictiones omnes dabit et crucem ante se habebit ad benedictionem. CE, I, 4, n. 4. EPR, III, nota 52, p. 146.

ART. VI — ASSISTENTIA CHORALIS PRAELATORUM ET CARDINALIUM

Assistentia choralis ea est qua praelati clericorum chorum complent, et antistites cuiusvis gradus, Summo Pontifice non excepto, locum in choro habere possunt et debent, sunt enim clerici (36). In choro praelati habitu chorali, unicuique proprio, utuntur, vel etiam induunt

(35) Ratio huius legislationis haec esse videtur : thronus dioecessani est stricte personalis, proinde ius, quod legatis apostolicis praecedentiam concedit, usum throni dioecesani excludit CIC, 269, § 3; et metropolita, qui caput est provinciae et loci ordinarium praecedit, sedere debet ex opposito a latere epistolae seu in secundo loco. Sed consulto iubet CE ut coram quocumque praelato superioris gradus qui ad alterum thronum assistit, ordinarius, sua sede vacua manente, ad faldistorium celebret. Vidimus aliquando metropolitam ad thronum celebrantem cum assistentia nuntii apostolici cum pluviali et mitra, in throno a latere opposito quod ad mentem D. 4355, III, 5, certe non licet. In praxi, nacta occasione specialis solemnitatis, si dioecesanus vel metropolita ad thronum celebrare debeat, cum interventu nuntii apostolici, iste assistentiam choralem faciat in primo loco chori. Vide p. 275, notas 84, 85, 86 de usu duorum thronorum.

(36) Solebat Papa usque ad finem antiqui regiminis in festo dedicationis Basilicae Sancti Petri missae solemni in choro Basilicae assistere. Papa in vestibus choralibus sedebat in primo loco chori, cui parvum baldachinum ponebatur, cum assistentia unius caeremoniarii tantum. Canonici in secunda linea sedium sedebant, non secus ac nunc fit quando cardinalis archipresbyter et ordinarius Basilicae praebet choralem assistentiam cappa indutus in prima stalla chori. Vide Bourget, CE, p. 65.

vestes sacras iuxta ritum, quae praecedentiam dant, pariter ac mitram, non secus ac in conciliis. CE, I, 23, n. 30; 31, n. 15; EPR, III, nota 45, p. 144.

A — **SRE Cardinales.** 1 — " Poterunt omnes ab eadem parte evangelii, ubi solet esse sedes episcopalis, sedere in sedibus aequalibus ". Si chorus est sub tribuna seu cum throno in medio absidis, cardinales sedebunt " in digniori parte chori ". CE, I, 13, n. 8 (37).

2 — Cardinales sedebunt iuxta praecedentiam qua in Sacro Conlegio fruuntur, nulla habita ratione de titulo metropolitae, primatis vel patriarchae.

3 — Cardinalis loci ordinarius sive metropolita quando non celebrat " sit omnium postremus " urbanitatis gratia. CE, I, 13, n. 8.

4 — Cardinales, etiamsi episcopi et canonici in choro sacras vestes capiant, erunt cum suis cappis cardinalitiis; et sacras vestes assumunt tantum celebrante Summo Pontifice. Vide EPR, III, p. 152, notam 90, de cardinalibus in conciliis.

5 — Si missae intersint, ad consecrationem in medio plano presbyterii, extremitatibus cappae extensis, sistunt super faldistoria vel saltem super pulvinaria.

B — **Episcopi et praelati.** 1 — " Episcopi hospites (vel auxiliares) sedebunt in digniori loco post episcopum dioecesanum super omnes canonicos " CE, I, 13, n. 9, servato ordine electionis vel praeconizationis, D. 4133, et data praecedentia metropolitae et loci ordinario, sed vicarii generales, qui episcopali charactere ornantur, sedebunt, non secus ac ceteri episcopi, iuxta ordinem electionis ad episcopatum. CIC, 370, § 1. EPR, III, notam 42, p. 143.

2 — Si celebrat loci ordinarius et canonici sacras vestes assumunt, episcopi in choro pariter induunt super amictum pluviale et accipiunt mitram auriphrygiatam aequalem vel mitram albam simplicem pro omnibus. EPR, III, nota 57, p. 147 (38).

(37) Sedes pro cardinalibus pendent a loci dispositione et amplitudine. Usus in praxi receptus, et bene, concedit thronum episcopi cardinali legato si aderit, vel, si nullus sit legatus, cardinali missam celebranti vel officium facienti. Ceteri cardinales sedent in sedibus cameralibus aequalibus et rubri coloris, quae ex opposito a latere epistolae ad hoc eriguntur, super stratum unius gradus. Vide notam 15, lib. I. p. 13.

(38) CE in lib. I, cap. 13 de sedibus praelatorum in choro loquitur et non de eorum vestibus, et in lib. II, cap. 8 de missa pontificali dioecesani ad quam canonici vestes sacras assumunt. De sacris vestibus ab episcopis praesentibus non agitur. Cum tamen in missa Summi Pontificis episcopi praesentes necnon abbates benedicti locum in capella papali habentes sunt parati, usus fere ubique invaluit ut tum ad missam tum ad processionem quae speciali de causa celebrantur, praelati usum mitrae habentes sacras accipiant vestes : nam si canonici sunt parati iuxta CE, et vestes sacrae praecedentiam concedunt, episcopi et abbates faciant similiter.

3 — Episcopis in choro, etiamsi cardinalitia purpura praefulgeant, nulla datur canonicorum vel capellanorum assistentia sed aderit caeremoniarius unus vel plures iuxta eorum numerum. EPR, III, nota 58, p. 147.

4 — Si inter archiepiscopos hospites praesentes adsint nuntii seu delegati apostolici *extra proprium territorium*, episcopus dioecesanus illis praecedentiam concedat super ceteros archiepiscopos in choro praesentes et " sedebunt in digniori et eminente sede chori " ait CE, I, 13, n. 10. Mens Caeremonialis est ut illis detur primus seu primi loci in choro, excluso throno, quae quidem regula servabitur pro visitatore apostolico episcopo forte in choro praesente. Ibidem, n. 11.

5 — " Abbates benedicti habentes usum mitrae et baculi habebunt locum condecentem pro iudicio et prudentia episcopi *dummodo* non sint supra nec inter canonicos ", CE, I, 13, n. 9, sed abbates nullius canonicos praecedunt.

6 — Si episcopi et canonici sacras vestes et mitram induunt, abbates benedicti invitentur ut faciant similiter (39).

7 — Protonotarii apostolici de numero abbates praecedunt, et qui sunt ad eorum instar veniunt immediate post canonicos capituli cathedralis seu post abbates, et deinde sequuntur alii praelati forte " usum mitrae habentes ", CE, I, 31, n. 15, et generales ordinum, et ultimo praelati domestici Summi Pontificis eiusque familiares. CE, I, 13, n. 12.

8 — Protonotarii apostolici participantes, vel qui eorum fruuntur privilegiis, invitari possunt ut sacras vestes et mitram simplicem accipiant si episcopi et abbates invitantur. EPR, III, nota 45, p. 144.

9 — In choro pileolum deponitur a *Sanctus* ad peractam communionem, et praelati omnes ac patres cardinales etiam ad evangelii cantum et dum incensantur illud deponunt si sint in habitu chorali. Si tamen episcopi sint parati et cardinales praesentes in cappa, omnes, uno celebrante excepto, illud deponunt ad evangelii cantum. Vide lib. II, p. 144, de usu pileoli in choro.

---

(39) Eo quod CE de abbatibus " usum mitrae et baculi " habentibus loquitur, non defuerunt abbates qui in choro cum mitra et baculo sedere voluere, sed perperam : mens legislatoris clara est : abbates qui pontificalibus ornantur " habebunt locum condecentem pro iudicio et prudentia episcopi " *ibidem I, 13*, n. 9, etiamsi sacras vestes non accipiunt, et a fortiori si eas induunt quia mitra dat praecedentiam.

CAPUT VIII

Ius episcopale benedicendi

CE, I, cap. 25.

Quantumvis sacerdotes possint in fine missae et in determinatis casibus populum benedicere, tamen *ius benedictionis solemnis* privativum est ordinis pontificalis (40).

Benedictiones episcopales quatuor numerantur :

1 — Benedictio episcopalis simplex.

2 — Benedictio episcopalis solemnis.

3 — Benedictio episcopalis cum absolutione post homiliam.

4 — Benedictio Apostolica cum absolutione et indulgentia plenaria.

ART. I — BENEDICTIO EPISCOPALIS SIMPLEX

" Quando episcopus ambulat vel equitat per suam civitatem vel dioecesim, manu aperta singulis benedicit ". CE, I, 4, n. 1.

" Episcopus... subditos sibi occurrentes... signo crucis super illos facto benedicet ". Ibidem, 1, 2, n. 1.

Episcopus quasi pastor ovium suae dioecesis, tum in signum iurisdictionis cum praesertim in signum suae paternae solicitudinis quasi gratias distribuens, clero et fidelibus benedicere debet.

A quibus danda. 1 — Benedictio episcopalis simplex inprimis dari debet nativo certo iure ab episcopo dioecesano.

2 — A metropolita in tota sua provincia, seu etiam extra illam si quandoque crucem hastatam ante se ferre potest, nam in metropolita privilegia crucis et benedictionis sunt correlativa. CIC, 274, n. 6°.

3 — A SRE cardinalibus ubique extra Urbem et in Urbe " in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium consessibus ". CIC, 239, § 1, n. 12.

(40) De benedictionibus invocativis personarum et quomodo erant privativae ordinis episcopalis per longum et latum disserere liceret. Lectores remittimus ad auctores qui hac de re scripserunt : Bona *Rerum Liturgicarum*, lib. II, cap. XVI; partem iuridicam recentiorem scripsit Benedictus XIII " De benedictione populi in fine functionum ecclesiasticarum "; opuscula varia vel calamo vel iussu Fr. Vincentii Mariae SRE Card. Orsini, Romae 1726, opusculum XVIII; Jungmann, *Missarum solemnia, 2. Band*, p. 532-541 *Der priesterliche Schlussegen.* Multis in locis lex erat " Benedictionem super plebem in ecclesia fundere... presbytero penitus non licere " Mansi VIII, 332, apud Jungmann, p. 533.

¶ — In Basilicis Apostolicis tam Urbis quam extra Urbem Summus Pontifex solus benedicit, vel cardinalis legatus seu visitator Apostolicus si aderit. CaeBasAss, p. 10; CaeBas de Portiuncula, n. 140; IA, diei 29 maii 1934.

4 — Legati ordinarii (nuntii, internuntii et delegati) Apostolici episcopali charactere aucti, in locis suae legationis. CIC, 209, § 3.

5 — Ex speciali concessione iuris, episcopi omnes sive residentiales sive titulares fruuntur privilegio " Benedicendi ubique populo... sed in Urbe in ecclesiis tantum, piis locis et fidelium concessibus " CIC, 239, § 1, n. 12; 349, § 1, 1°. Vide n. 3, supra (41-42).

¶ — Episcopus vicarius generalis potest in dioecesi ubique benedicere populo, nec opus est specialem facultatem a dioecesano petere. D. 4355, V, ad 2.

6 — Abbates et praelati nullius dioecesis intra limites sui territorii, etiamsi charactere episcopali non ornentur. CIC, 323, § 2; 294, § 2; 325.

7 — Vicarii et praefecti apostolici intra limites sui territorii, etiamsi charactere episcopali non ornentur. CIC, 294, § 2.

8 — Abbates in fine ritus suae benedictionis cum inthronizantur. " Privatim (vero) pleno iure sibi subiectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificalibus induti per ecclesiam incedentes, (praelati ex ordine sacerdotali) benedicere non praesumant ". Alexanter VII, D. 1131, n. 13, sed vide n. 5 supra de praelatis nullius dioecesis.

Si duo vel plures praelati maiores insimul conveniunt benedictionem dat ille qui praeest seu est maior, nam " Praesente vel adveniente suo metropolitano, cessabit episcopus a benedictionibus privatis ". CE, I, 4, n. 4. Et sic de aliis.

Quando impertienda. 1 — Episcopus cum prima vice recipitur in sua civitate episcopali vel in aliis suae dioecesis civitatibus " memor

(41) Certe hic habetur forsan maxima innovatio iuris liturgici in rebus caeremonialibus, nam ante codicem benedictio episcopalis simplex erat, ad mentem CE, loci ordinario reservata, et episcopi extra proprium territorium non poterant fidelibus benedicere. Nunc benedictio episcopalis habenda est uti functio ordinis episcopalis simul et pastoralis solicitudinis. Tamen concessio haec interpretanda est ad normam liturgicarum functionum et restrictive prout de basilicis Apostolicis nuper declaravit authentica codicis interpretatio.

(42) Error in canone 349, § 1, n° 1 irrepsit, nam episcopi primam benedictionem simplicem (per ecclesiam ambulantes) et primam pontificalem concedunt cum inthronizantur in fine suae consecrationis; antequam consecrentur nec benedictionem simplicem episcopalem et multo minus solemnem seu pontificalem impertiri possunt. Proinde verba codicis " Ab accepta authentica notitia canonicae provisionis ", quoad benedictiones, legi debent " a recepta consecratione " ad tramitem Pontificalis Romani.

erit populo, manu dextera aperta et extensa, frequenter benedicere ". CE, I, 2, n. 4.

2 — Episcopus in sua dioecesi vel metropolita intra suam provinciam, praesertim ante sacras functiones, habitu praelatitio indutus, clero et fidelibus sibi occurrentibus benedicit, seu potius cum ante eos transit, ecclesiam vel altare petens (43) vel quando canonici seu clerici ei reverentiam exhibent et ipse rei sacrae intentus non sit.

3 — Episcopus canonicos et clerum benedicit " dum ascendit ad thronum vel ex eo descendit, post circulos, et quotiescumque canonici collegialiter obsequium praestant episcopo ". D. 2682, ad 19.

4 — Quando reverentiae mutuae omittuntur benedictiones sunt etiam omittendae, veluti in officiis Tenebrarum vel defunctorum " Consentaneum erit legi et praxi... abstinendi a benedictionibus tum solemnibus tum privatis et cleri et populi... (cum sint) actus potestatis et solemnitatis, luctuosis hisce actionibus repugnantes ". CE, III, 7, n. 3.

Quomodo danda. Benedictio episcopalis datur " manu dextera aperta et extensa frequenter signum crucis faciens " docet CE, I, 2, n. 4, idque iam suo tempore docebat Paris de Grassis lib. I, cap. 42 " ... episcopus benedicit tota manu aperta et non tribus digitis ". EPR, III, nota 142, p. 294. Benedictionem dat episcopus fidelibus genuflexis nihil dicens. CE, I, 2, n. 1 (44).

ART. II — BENEDICTIO EPISCOPALIS SOLEMNIS

Benedictio episcopalis solemnis seu pontificalis, ea est quae incipit cum versu " Sit nomen Domini benedictum " et legitur in PR in fine ritus inthronizationis episcopi modo consecrati, cum antistes prima vice eam impertitur.

A quibus danda. 1 — Benedictio pontificalis propria est ordinis episcopalis et dari potest iure communi a quocumque episcopo.

(43) Tempora mutantur et nostro non solent episcopi in habito praelatitio per civitatem et dioecesim ambulare vel equitare populo benedicentes. Nunc benedictio simplex datur cum episcopus ad ecclesiam accedit ad sacras functiones peragendas et sensu caret cum praelatus discedit.

(44) Extensio privilegii benedictionis simplicis ad episcopos extraneos practicam gerit difficultatem, nimirum episcopus benedicit fideles genuflexos et non stantes et hi, iuxta legem vigentem, genuflectere tantum debent suo pastori vel praelato superioris gradus. Sic si episcopus extraneus ad ecclesiae ianuam recipitur, ambulans per ecclesiam fideles stantes benedicit, qui tamen sese inclinare debent.

2 — A SRE cardinalibus more episcoporum, seu quoties episcopis licet.

3 — Ab abbatibus benedictis sed in fine missae tantum.

Praelati locorum ordinarii ex ordine sacerdotali, id est, praefecti, vicarii vel administratores apostolici, gaudent privilegiis protonotariorum apostolicorum et nequeunt exinde benedictionem pontificalem dare. CIC, 294, § 2; IM, n. 6, 28, 29.

¶ — Quoad praelatos nullius dioecesis vide notam 50 libri primi.

Quando danda. Benedictio pontificalis dari debet ab episcopis :

1 — In fine missae privatae vel solemnis.

2 — In fine officii Vesperarum vel Laudum quando officium faciunt vel cappa pontificali induti intersunt. CE, II : 1, n. 18; 2, n. 11; 7, n. 5.

3 — In fine processionis quando SS. Sacramentum non portatur. CE, II, 32, n. 6.

4 — In fine consecrationis ecclesiarum vel altarium si missa ab alio celebretur, et in fine maiorum benedictionum PR, veluti campanarum et coemeteriorum, vel quando solemniter recipiuntur, ad sessiones synodales claudendas, quaeque suis locis in *Expositione Pontificalis Romani* explanantur.

5 — Benedictio pontificalis dari etiam potest ab episcopo dioecesano in fine congressuum vel fidelium consessibus si maluerit.

Quomodo danda. Ritum benedictionis solemnis seu pontificalis minutatim tradit CE in lib. I, cap. 25, n. 5, ad 7, et PR in fine ritus inthronizationis episcopi, quod vide, sed observa : Quando benedictio pontificalis ad altare extra missam impertitur, pontifex illud non osculatur cum id nullibi praescribitur nisi ad altare ad hoc accedit; sed quando datur in fine missae, episcopus altare osculatur postquam dixerit *Placeat*, deinde accipit mitram et incipit *Sit nomen Domini benedictum*. EPR, I, nota 183, p. 376 et III, nota 142, p. 294.

Archiepiscopi vel episcopi qui usu crucis hastatae fruuntur detecto capite benedicunt ob reverentiam Divi Crucifixi. Quod si altare sit ad orientem versus archiepiscopus sive episcopus non se vertit sed coram imagine Christi crucifixi altaris detecto capite benedicit (45)

(45) Sic legi debet CE, 1, 25, n. 6 : " Si populus post altare stat... episcopus sive archiepiscopus... eodem modo benedictionem dant " secus esset contradictio : si crux sit hastata benedictio datur detecto capite, sed si episcopus coram cruci altaris sistit, benedictio datur cum mitra! Ad altare papale tamen Papa benedicit coram cruce altaris et coram cruce quam fert subdiaconus, sic volunt caeremoniarii.

cauto ut benedictio prima *Pater* detur ad suam sinistram, benedictio secunda *Filius* in medio, et benedictio tertia *Spiritus Sanctus* ad dexteram suam, non se vertens.

Benedictio pontificalis datur cum cantu, vel saltem elata voce, prout functio cantu moduletur vel fit privatim sine cantu.

Benedictio pontificalis, quando non datur coram imagine Christi crucifixi, operto capite impertitur. "Quod si episcopus assistat cum cappa, dabit benedictionem tecto capite cum caputio cappae vel cuculli (si sit regularis) vel etiam cum bireto". CE, I, 25, n. 7.

ART III — BENEDICTIO EPISCOPALIS CUM ABSOLUTIONE POST HOMILIAM

¶ — Cum episcopus sit suarum ovium pastor et principale officium, teste Tridentino, habeat Verbum Dei praedicandi, usus invaluit ut post sermonem populo solemniter benedicat cum peccatorum absolutione et indulgentiis, ut Christifideles mundo et humili corde mox sacro litent (46).

A quo danda. "Eius est hanc impendere benedictionem cuius sunt oves quae pabulum illud spirituale receperunt" docet Benedictus XIII, *Opusculum XVIII*, p. 297. Nam benedictio haec cum absolutione actus est iurisdictionalis et fieri tantum potest:

1 — Ab episcopo in sua dioecesi.

2 — A metropolita intra suam provinciam.

Sed episcopus eam non dabit "praesente seu adveniente suo metropolitano" CE, I, 4, n. 4, et nec dioecesanus nec metropolita si praesens aderit legatus a latere.

SRE cardinales a benedictione hac concedenda abstinent etiam in suis ecclesiis titularibus. NC, n. 61.

Si dioecesanus celebrat ad faldistorium coram cardinali non legato, celebrans ipse, data venia a cardinali, concionatorem ante concionem

(46) Absolutio cum confessione, benedictione et indulgentiis post sermonem vetus est ritus Romanae Ecclesiae, ita enim semper factum est in missa papali, sive papa sive unus e cardinalibus praedicaret. CA, II, p. 265. In die sancto Paschae vero non fiebat sermo sed post evangelium diaconus *Confiteor* cantabat et Papa dabat benedictionem. *Ordo Romanus Mabillon XV*, n. 84, vol. 2, p. 505. Aliis in locis vigebat usus dandi benedictionem post cantum evangelii etiam sine homilia. Ritus Caeremonialis Episcoporum e Caeremoniali Apostolico desumptus est et fere idem est ac Ritus Pontificalis Romani *De Reconciliatione Poenitentium in Feria V Coenae Domini* in finem.

benedicit et in fine benedictionem dat, CE, I, 4, n. 2, nam, prout monet lex, absolutio et benedictio post sermonem ac indulgentiarum concessio "omnino ab ipso proprio episcopo peragenda sunt". CE, II, 9, n. 5. Proinde docet Benedictus XIII, "Absente episcopo proprio, episcopus alius nec concionatori nec populo benedicat". *Opusculum XVIII*, p. 297.

Quando danda. Benedictio haec datur solemniter in cantu post sermonem intra missam solemnem habitum, sive dioecesanus celebrat et alius praedicat, sive ipse celebrat et praedicat, vel si missae solemni interest et ipse vel alius praedicat.

Benedictio non datur post conciones synodales sive conciliares nec post orationes exsequiales, neque quando benedictio papalis concedenda est.

Quomodo danda. Ritum huius benedictionis habes in CE, I, 25, n. 1, ad 4; in capite 39 et ultimo libri secundi, et in fine appendicis ad Pontificale Romanum.

ART. IV — BENEDICTIO APOSTOLICA CUM ABSOLUTIONE ET INDULGENTIA PLENARIA

Clemens XIII litteris *Inexhaustum indulgentiarum thesaurum*, datis die 3 septembris 1762 patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis amplissimum permissum concessit dandi bis in anno benedictionem Apostolicam cum absolutione et plenaria peccatorum indulgentia; tamen onus episcopis incumbebat petendi facultatem et breve papale. Codex Iuris, canon 914, concessionem apostolicam confirmavit, omissa tamen petione Sanctae Sedi facienda, quae nec semper fiebat. Tandem Pius XII numerum dierum quibus benedictio dari potest decreto S. Poenitentiariae Apostolicae diei 20 iulii 1942 ampliavit. AAS, 1942, p. 240.

A quibus et quibus per annum diebus benedictio apostolica dari potest pro unoquoque praelaturae gradu in libro I de personis egimus.

Ritum servandum edidit Benedictus XIV et iussu Pontificis in fine appendicis ad PR habetur.

Sed observa: Benedictio haec dari debet expleta missa pontificali et maxima cum solemnitate "Quippe qui (episcopus) actionem exercet plenitudinis pontificalis dignitatis" D. 3605, IX. Proinde cum omnibus

sacris vestibus, chirothecis reassumptis et manipulo ac sacro pallio retento (47).

In initio dicitur " Attentis facultatibus a iure datis Exmo et Revmo etc. ", et absolutio datur sine *Confiteor*.

Quod si gravi de causa dioecesanus non celebravit, codex iuris permittit ut benedictio detur si ipse missae solemni intererit, id quod ante codicem omnino non licebat D. 2732. In casu proinde valde singulari dioecesanus missae assistit paratus cum pluviali et mitra cum quibus benedictionem impertiet.

Ritus " congrue de praelatis inferioribus intelligatur " docet PR. At praelati ex ordine sacerdotali qui benedictionem Apostolicam dare possunt, vel sunt abbates benedicti nullius et eam ad thronum dant, vel fruuntur privilegiis protonotariorum de numero, quo in casu, missa pontificali ad faldistorium expedita, et reassumptis chirothecis, ad altare redeunt, illudque prius osculantur, et deinde ad benedictionem dandam procedunt.

¶ — 1. Si vicarii et praefecti apostolici missam solemnem celebrare non potuerunt, et benedictionem Apostolicam impertire debent, missae solemni assistent in habitu praelatitio, et in fine missae induunt amictum, stolam, pluviale et mitram auriphrygiatam, et sic vestiti benedictionem papalem dabunt.

2. Praelati protonotariorum privilegiis ornati benedictionem dant cum unico signo crucis.

3. Sacerdotes regulares quibus privilegium dandi benedictionem conceditur, sequi debent ritum prout in Rituali Romano habetur, tit. VIII, caput 32, vel in novissima editione typica, tit. IX, caput 10. Sciant praeterea eam non posse dare " nisi in suis ecclesiis... non autem die et loco quo episcopus eam impertiat " RR, *h. l.* Insuper benedictio haec datur modo privato et a solo sacerdote superpelliceo et stola induto et sine cantu, et numquam post missam solemnem, sacris adstantibus ministris. SRC die 12 martii 1940. AAS, 1940, p. 199; CD, n. 61.

---

(47) Nescio cur auctores post Martinucci iubeant ut episcopus manipulum deponat cum benedictio dari debet *cum omnibus* sacris vestibus missae, propterea SRC declaravit " Absoluta missa pontificali, a celebrante induto iisdem paramentis... ". D. 3605, IX.

CAPUT IX
De loco vestitionis episcopi

ART. I — PRO FUNCTIONIBUS AD THRONUM

" Cum episcopus missam solemnem celebraturus erit... ibit recta via ad sacristiam, vel ad alium locum praeparatum intra ecclesiam, et ibi induet paramenta pro se ipso praeparata ". CE, I, 15, n. 7.

" ... Diximus valde convenire, atque antiquae ecclesiasticae disciplinae consonum esse, ut in ecclesiis cathedralibus locus aliquis, si sacellum non adsit, ab antiquis secretarium appellatum, deputetur, ad quem episcopus solemniter celebraturus... cum suis canonicis et choro, conveniat " CE, II, 8, n. 2. Vide librum II, p. 261 *Secretarium*.

Sed in Dominicis Adventus vel diebus non solemnibus, " celebrante episcopo missam solemnem, non erit opus paramenta sacra pro missa sumere in sacello seu secretario... sed apud sedem suam " CE, II, 13, n. 2 " vel in faldistorio " CE, II, 8, n. 25.

Proinde, nisi agatur de missa pontificali in Dominicis Adventus vel Quadragesimae seu diebus ferialibus (48), episcopus, iuxta regulam antiquae disciplinae ecclesiasticae, sacras induit vestes in sacrario sive secretario et paratus cum suis ministris ad altare ibit ut sacrum, nulla interposita mora, incipiat (49-50).

(48) CE distinctionem CA ad episcopos extendere voluit, nam Papa diebus Dominicis missam cantabat sine solemnitate : vestitio erat in aula vestitionis et communio Papae ad altare. Vide excursum infra.

(49) Facere episcopum vestes sacras ex altari sumere easque ad suam cathedram vestire coram clero et populo qui circumstant, patienter nimis, dum sonat organum, transformatio est ritus secundarii in ritu quam solemnissimo. Si, prout in votis omnium est, nostro praesertim tempore, pontificales ritus simpliciores reddere debemus eos ita nobilitantes, simplificatio initium a ritu vestitionis sumat necesse est. Pius XII, *g. r.*, primum dedit passum, vestitionem caligarum et sandaliorum in ecclesia prohibens. Passus alter erit vestitionem solemnem ad thronum interdicere, ut ad meliorem Patrum traditionem revertamur. Si secretarium non habetur vestitio fieri potest in alio oratorio seu altari laterali vel in sacrario.

(50) In Statibus Confoederatis Americae Septentrionalis res sic disponuntur : Praelatus ad thronum celebrans in sacrario sive in domo sua cappam pontificalem assumit, et ordinatur " processio " ad ecclesiam et ad altare : Clerus cum cruce hastata, sacri ministri et assistentes throni, aliique sacris vestibus induti; ultimo sequitur episcopus sive cardinalis in cappa, capite cooperto, cum caudatario extremitatem vestis ferente. Ad altare cum pervenerint, episcopus ad thronum accedit, ubi dimissa cappa, vestes sacras accipit.

Si episcopus velit (sicuti volunt) cappa pontificali explicata per ecclesiam ambulare fideles benedicens et ad altare vestes sacras induere, res ita disponi debent ut sacri et assistentes ministri, ceterique parati, tempestive ad altare sistant, ibique episcopum exspectent, qui deinde cum sua cappa ad altare it. Sed multo solemnior evadit functio pontificalis si episcopus cum baculo et mitra iam paratus, totoque clero, ad canticum *Ecce sacerdos magnus*, ecclesiam ingreditur. Innovationes hac de re non laudantur nec cum principiis Romanae Liturgiae quadrantur.

Quae superius dicta sunt ad missam praesertim referuntur, nam si de vesperis pontificalibus vel de *Die Purificationis BMV*, vel similibus agatur, episcopus ad sedem suam sive ad faldistorium sacras vestes induit, quae cum sint pauciores, vestitio expedite fieri potest. CE, II : 1, n. 4; 2, n. 1; 16, n. 6 et passim alibi. Si vesperae sint semi-pontificales episcopus vestes sacras in sacrario induit docent *Castaldus*, p. 211, et *Bauldry*, p. 252.

Et haec est doctrina CE. Consulto tamen episcopus cum vestes sacras in presbyterio accipere debet eas induit ad faldistorium humiliori modo, et deinde paratus ad thronum ascendit (51). Vide EPR, III, p. 147, notam 59.

ART. II — PRO FUNCTIONIBUS AD FALDISTORIUM

Cum hac de re lex scripta non exstet, solent auctores usum Romanum sequi prout infra :

A — Cardinalis seu praelatus celebrans se ad missam praeparat in sacrario ibique vestes sacras induit :

1 — In Basilicis Apostolicis Urbis vel extra Urbem exsistentibus. CaeBas Assisiensis, p. 15; CaeBas de Portiuncula, p. 96.

2 — In ecclesiis cathedralibus vel collegialibus, seu in quibus officium divinum recitatur.

3 — Si celebrans sacro litat coram Papa vel praelato superioris gradus (52).

B — Praelatus praeparationem ad missam facit in sacrario sive secretario ibique caligas et sandalia induit; deinde in habitu praelatitio

(51) " Episcopus celebraturus (ad thronum) in faldistorio sedet cum sacris induitur vestibus, dicens psalmos designatos in principio Missae, et cum eas exuit in fine. *Intra Missam* vero, si sit in propria ecclesia in solio parato... semper sedebit ". Castaldi, *Praxis Caer.*, p. 73. Non sic faciebat sanctus Carolus qui sacras vestes nec induebat nec deponebat ad thronum sed ad faldistorium, legitur enim in instrumento pro solemni aperitione concilii provinciae : " Ipse autem Ilmus Metropolitanus accessit ad faldistorium et indutus est solitis vestimentis pro Missa celebranda dum canebatur Tertia ". AEM, II, col. 921. Bauldry dicit " Faldistorium adhibetur ab episcopo ad sacras vestes induendas potius quam ad thronum ". *De ministro faldistorii*, p. 235. Idque a CE, II, 8, n. 25 permittitur, legitur enim : " ... Si autem episcopus sumpsit paramenta in presbyterio apud sedem suam *vel* in faldistorio ". Quibus fultis testibus licet concludere usum induendi sacras vestes ad thronum, veluti unum e solemnibus ritibus missae pontificalis, antiquitus fuisse ignotum.

(52) Paris de Grassis de missa episcopi vel praelati coram cardinali episcopo docet " ut non paretur in conspectu cardinalis nec etiam apud altare sed omnino in sacristia " Caer., lib. II, c. XIII, p. 72. Sed si Paridi quem alii omnes auctores sequuntur, indecens videbatur vestitio praelati ad altare coram cardinali, cur id permittunt coram tota christiana congregatione cleri populique, moram facientes ?

ad altare seu faldistorium se confert ubi sacri ministri parati eum exspectant et sacras vestes induit.

Hic agendi modus ab auctoribus proponitur et in Urbe frequenter observatur quando non agitur de casibus sub littera A exceptis (53). Tamen semper fas est episcopo praeparationem facere in sacrario ad sedem nobilem paratam cum tapeto subtus, et, sacris vestibus indutus et infulatus, ad ecclesiam cum suis ministris et clero solemniter ingredi, quod maxime laudatur.

ART. III — PRO MISSA LECTA

Ritus servandus MR, I, 4 dat modum quo episcopus se vestit, sed de loco vestitionis tacet. CE, I, 29, n. 1. Dicit : " Cum episcopus celebrabit missam, *convenit* ut paramenta missae non de sacristia sed ex ipso altari, in quo celebrabit... accipiat ". CE de episcopo dioecesano loquitur, sicut e toto libro et e capite hoc eruitur.

" Convenit " ait lex, ut episcopus vestes sacras ex altari sumat; non agitur proinde de stricto praecepto, et extra propriam dioecesim non tenetur praelatus vestes ex altari sumere sed eas accipere potest in sacrario.

Episcopus sacras vestes ex altari assumere nequit :

1 — Si celebrat ex speciali indulto ad altare papale, etiamsi sit legatus a latere.

2 — Si ad altare SSmum Sacramentum expositum est.

3 — Si celebrat coram Summo Pontifice vel coram praelato superioris gradus.

ART. IV — AD CALIGAS ET SANDALIA SUMENDA

" Cum minus congruum videatur caligas et sandalia in ipsa ecclesia assumere, SRC statuendum censuit ut : Quando, iuxta rubricas,

(53) Usus Romanus quem tradunt Baldeschi, Favrin, aliique, is est ut episcopus faciat praeparationem ad missam et sandalia accipiat in sacrario, assistente sibi presbytero qui respondeat; postea ad altare accedit, ubi sacri ministri parati praelatum expectant, ibique, adiuvantibus sacris ministris, mantelletum deponit, manus lavat et sacris induitur vestibus. Sed nullibi praecipitur huiusmodi separatio praeparationis et vestitionis, et Haegy ait " l'évêque peut se revêtir des ornements à la sacristie ou à l'autel ", vol. a, p. 125. Solebant SRE cardinales extra basilicas papales etiam sandalia ad faldistorium accipere quod nunc prohibuit Pius XII. Sed etiamsi domi eas induant, prout nunc licet, non solum conveniens est, sed expedit valde ut praelati ad faldistorium celebrantes se vestiant in sacrario. Ritus divisus : initium in sacrario et complementum ad altare functionem difficilem reddit et rationi non quadrat.

episcopus caligas et sandalia in sacris caeremoniis assumere debet, ea nunquam in ecclesia, nec in throno vel faldistorio induat, sed vel in secretario ab ecclesia distincto, aut domi... " quod decretum SSmus D. N. Pius div. Prov. Pp. XII edi iussit. SRC, D. diei 4 mensis decembris 1952. AAS, 1952, p. 887.

Proinde 1 — Si episcopus sive praelatus sacras vestes " in secretario ab ecclesia distincto ", id est a conspectu populi segregato, induat, etiam caligas et sandalia ibidem induit ad tramitem CE, I, 10, n. 2; II, 8, n. 7. Sed etiam in hoc casu, fas est episcopo caligas et sandalia domi accipere.

2 — Ad thronum seu ad faldistorium amplius non licet episcopis caligas et sandalia sumere, et pedum vestitio fieri debet modo privato ante initium functionis, vel domi vel in sacrario seu aula privata ecclesiae prout maluerit praelatus, quo etiam loco, functione expedita, sacras has vestes deponit.

Excursus — De loco vestitionis Summi Pontificis

Maioribus nostris sacrum erat ut Summus Pontifex pontificales vestes privatim acciperet et dein solemniter paratus ad capellam sive ad altare iret; propterea in basilicis Urbis erat secretarium, sive, uti passim vocabatur, vestiarium seu mutatorium, vel etiam salutatorium, nam ibi et non in ecclesia salutationes mutuae fiebant. Sed loquantur autcoritates, et in primis Mabillon. " In his secretariis Romani Pontifices sacra facturi, vestes, quibus in sacrificio uterentur, induebant, et inde ad altare solemni ritu procedebant " *In ordinem romanum commentarius*, p. 22. Etenim Summi Pontifices Gregorius XI et Urbanus VI " nunquam voluerunt se discalceare prope altare, creditur quod propter reverentiam altaris quia devoti erant, sed in aliqua magna cathedra etiam nuda longe ab altari ubi consueverant se induere in solemnitatibus ". Caer. Card. Caietani, *Ordo Romanus XIV*, Mabillon Museum Italicum II, c. XCIII, p. 369.

In Caeremoniali Apostolico praecipitur ut cum Papa ad capellam vel ad ecclesiam accedere debet ut vesperarum officium faciat, vel missae intersit, vel aliquid facere debeat cum manto papali et mitra, vestes has, supra albam cum amictu et cingulo, vestiat " in camera paramenti " priusquam ad ecclesiam accedat. Sic pro missa nativitatis Domini " Papa parabitur in camera paramenti " p. 55; Feria quarta cinerum " Papa... cum pluviali rubeo et mitra venit ad capellam " p. 124; " Si Papa Dominicis diebus voluerit solemniter celebrare, parabitur in camera paramenti " p. 30, et passim alibi. Sed loquens " De Missa maiori, Papa celebrante " (lege de missa solemniori ritu celebranda) CA introduxit usum alterius sedis pro Tertia et vestitione " Papa vadit ad sedem paratam ubi sacris vestibus indui debet " Ibidem, p. 59.

Si quaeratur cur ita fecit CA, forsan respondebunt magistri caeremoniarum Pontificem diebus solemnioribus ad basilicam in sede gestatoria portari cum manto papali et triregno et cum huiusmodi capitis indumentum habetur uti corona et non uti vestis sacra, adhiberi nequit a Papa pontificalibus vestibus induto. Sed quidquid sit de origine innovationis, certum est secretarium paulatim in sedem vestitionis, et dein in alterum thronum minorem in loco publico et visibili fuisse transformatum, ubi Papa, dum hora Tertia canebatur, caligis et sandaliis calceabatur, et dein, hora canonica expedita, pontificalibus vestibus induebatur, et omnia haec quam solemnissime fiebant coram clero et populo, qui *stantes* patienter initium Missae expectabant. In fine missae vero Papa " Sic paratus ad Palatium revertitur " cum cardinalibus in cappis, p. 89 : Posteriores libri caeremoniarum vero iubent ut in sacello Transfixionis BVM, vulgo Pietatis, procul ab altari et prope introitum Basilicae sancti Petri paretur " Lectus sacrarum vestium " ubi Papa in fine functionis vestes omnes deponat. Rinaldi-Bucci, *Caeremoniale Missae S. P.*, p. 7. Circa annum 1850 Ignatius Bourget Urbem invisitans scripsit : " Lorsque le pape célèbre à Saint-Pierre, l'on ferme de rideaux la chapelle de Notre-Dame des Sept Douleurs, qui est tout à fait au bas de l'église pour la faire servir de secretarium " *In CE, p. 116;* putabat enim Bourget capellam hanc vestitioni Papae inservire. Menghini, alter ex apostolicis caeremoniariis, anno 1904 scribens ait : " Il S. P. seduto sulla Sedia gestatoria segue la processione sino alla Cappella della Pietà. Quivi discende dalla Sedia, entra nella quadratura dei sacri paramenti; ove, aiutato del cardinale diacono ministrante, depone le sacre vesti facendogli corona i cardinali alle bancate " *Messa pontificale celebrata dal Sommo Pontefice*, Pustet, Roma 1904, p. 74.

Satis diximus ut videre possit lector usum vestiendi Papam quam solemnissime et publice nec semper fuisse receptum, et longe ab usu a Mabillon descripto distare. Pius XII, *g. r.*, pedibus iam vestitis sandaliis missae, ad ecclesiam descendit et sic ab omnibus fieri praecepit. Utinam veniat dies quando publica et solemnis vestitio pontificum coram clero et populo, quasi pars prima sacrae celebrationis, veluti res historiae habeatur.

CAPUT X

Relatio dierum quibus episcopus ad ecclesiam cathedralem accedere debet

CE, II, cap. 34.

Episcopi "ab ecclesia cathedrali ne absint tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi, nisi ex gravi et urgenti causa". CIC, 338, § 3. Fontes canonis huius citati sunt : ConcTrid, sess. XXIII de Ref., cap. 1; Benedictus XIV litterae sub plumbo *Ad universae*, diei 3 septembris 1746, opera, tom. XVI, p. 121; SCEp. et Reg. diei 22 februarii 1647.

CE in libro II, a cap. 13 "De vesperis et missis in Dominicis Adventus" ad cap. 37, de officiis per annum liturgicum occurrentibus agit, relationem dans dierum quibus decet ut episcopus vel solemniter celebret vel officiis intersit. Praeterea in cap. 34 per ordinem dies celebrationis vel assistentiae tradit. Praeterea "Quandocumque episcopo placuerit, in aliis festivitatibus per annum" CE, II, 34, 2 vel etiam "in singulis Dominicis Adventus" Ibidem cap. 13, n. 1 vel "Quadragesimae" Ibidem cap. 20, n. 1, semper fas est episcopo ritu pontificali celebrare. Et utinam Ecclesiae cathedrales ita ordinentur ut missa pontificis dioecesani haberi possit uti res normalis expedite facienda, et non veluti res extraordinaria rarius pervolvenda.

Codex Iuris legem urgere voluit praesertim quoad tempus Adventus usque Nativitatem Domini inclusive, et tempus Quadragesimae usque Dominicam Resurrectionis, et adiunxit Pentecosten et festum Corporis Christi, nam hisce temporibus a sua ecclesia cathedrali ne absit "nisi ex gravi et urgenti causa". Sed in aliis festivitatibus tum Ecclesiae Universalis, tum Ecclesiae suae episcopus satagere debet ut officiis cathedralis intersit vel solemniter celebret.

Leo XIII iussit ut in CE duo adderentur festa in quibus decet ut episcopus celebret solemniter et quidem, si sit metropolita adhibito sacro pallio, sunt enim festa sancti Ioseph et Immaculatae Conceptionis BVM. "Quum inter solemniora festa accensenda sunt". D. 3595. Recentius iussit Pius XI ut festa Sacratissimi Cordis Iesu et Christi Regis uti solemniora celebrentur.

Dies quibus decet episcopum, non legitime impeditum, in sua cathedrali celebrare vel assistere :

A) *Episcopus celebrat :*

1. in die Nativitatis D. N. I. C. tertiam Missam et Vesperas;
2. in festo Epiphaniae Missam;
3. in festo Purificationis B. M. V. benedictionem et processionem candelarum;
4. in feria quarta Cinerum benedictionem Cinerum;
5. in festo sancti Ioseph Sponsi B. M. V. Missam;
6. in festivitate Annuntiationis B. M. V. Missam;
7. in secunda Dominica Passionis benedictionem et processionem Palmarum;
8. in Coena Domini mane Missam de Oleorum Officio et ad vesperam Liturgicam Actionem Eucharistiae institutionis;
9. in Parasceve ad horam mortis Domini Liturgicam Actionem huius diei;
10. in Magna Vigilia Paschae Liturgicam Actionem;
11. in Die solemni Paschae Missam et Vesperas. Attamen si episcopus Vigiliam celebravit, a celebranda Missa Paschae Domini a novissimis rubricis dispensatur;
12. in festo sancti Marci processionem Litaniarum;
13. in die Ascensionis Missam;
14. in dominica Pentecostes Missam;
15. in festo Corporis Christi processionem SS. Sacramenti;
16. in festo SSmi. Cordis D. N. I. C. Missam et Vesperas;
17. in festo Beatorum Apost. Petri et Pauli Missam;
18. in festivitate Assumptionis B. M. V. Missam;
19. in festo D. N. I. C. Regis Missam et Vesperas;
20. in festo Omnium Sanctorum Missam;
21. in festivitate Immaculatae Conceptionis B. M. V. Missam;
22. in festo Patroni Missam et Vesperas;
23. in festo Titularis Eccl. Cathedralis Missam et Vesperas;
24. in die anniversario Consecrationis Eccl. Cathedralis Missam;
25. in die anniversario sui Praedecessoris absolutionem post Missam;
26. in die anniversario omnium Episcoporum absolutionem post Missam;
27. in commemoratione omnium Defunctorum absolutionem post Missam.

B) *Episcopus assistit :*

1. in nocte Nativitatis Domini;
2. in festo sancti Stephani;
3. in festo sancti Ioannis Evangelistae;
4. in festo Circumcisionis Domini;
5. in festo Purificationis B. M. V.;
6. in triduo maioris Hebdomadae Matutino;
7. in feria secunda et tertia Paschae;
8. in Dominica in Albis;
9. in festo SS. Trinitatis;
10. in festo Corporis Christi;
11. in festo sancti Ioannis Baptistae;
12. in festo Nativitatis B. M. V.;
13. in aliquibus principalibus festivitatibus Ecclesiae Cathedralis.

Hic Index Festorum unicuique ecclesiae cathedrali adaptandus est.

BIBLIOGRAPHIA

I — CAEREMONIALE EPISCOPORUM scholiis illustrarunt qui sequuntur auctores, iuxta ordinem chronologicum, qui tamen, si excipias Catalanum, de sacris moderandis ritibus solum agunt.

1 — Castaldus Andreas PISCARA, Theatinus et Superior generalis Ordinis († 1629), *Praxis Caeremoniarum, seu Sacrorum Romanae Ecclesiae Rituum accurata tractatio,* Neapoli 1625; ed. 2ª, ibidem 1645, in-folio; ed. 3ª, Venetiis 1681, in-4° (quae citatur); ed. 4ª et ultima Zulzbaci 1715. Opus classicum, sicut etiam :

2 — BAULDRY Michael OSB, de Lagny, *Manuale sacrarum caeremoniarum,* ed. 1ma, Parisiis 1646. Opus fere ab omnibus acceptum de quo quatuor exstant editiones Parisinae et octo Venetae (Venetiis... 1673, 1689, 1703 (4ª), 1719, 1734, 1745, 1762).

3 — CATALANUS Josephus, *Caeremoniale Episcoporum Commentariis illustratum,* Romae 1744, tomi 2, in folio. Ed 2ª a Guéranger edita, Parisiis 1860, tomi 2, in-4°. CE cum amplissimis notis historicis explanavit C. nec fas est auctorem tanti ponderis ignorare " Opus adhuc intentatum " ait A.

4 — *Cérémonial des évêques commenté et expliqué par un évêque suffragant de la Province de Québec,* Paris 1856, XXXIV+570 paginae, in-8°. Editio singularis. Auctor anonymus est Ignatius BOURGET, Episcopus Marianopolitanus (1840-76) qui tempore proclamationis dogmatis Immaculatae Conceptionis Romae commoratus est, ibique adnotavit quomodo res in Urbe fiebant et ita Caeremoniale Episcoporum iuxta receptum usum Romanae Ecclesiae illustravit. Utile certe opus scripsit venerabilis vir, qui anno 1885, aetate provectus, mortuus est; monumentum in sua civitate episcopali erectum nomen eius in aevum conservat.

5 — LE VAVASSEUR († 1892), *Les Fonctions Pontificales,* Paris 1865, 2 vol.; ed. 2ª, ibidem 1879; ed. 3ª a Haegy revisa, ibidem 1904; ed. 4ª a Stercky revisa, ibidem 1932; ed. 5a 1940. In Gallia aliisque locis, in Romanis usibus instaurandis utilissimum.

6 — MARTINUCCI Pius, *Manuale Sacrarum Caeremoniarum in libros octo digestum,* Romae 1869-73, tomi 8; ed. altera, ibidem 1879-80, tomi 6; ed. tertia a Menghini in duabus partibus divisum atque in multis revisum, prodiit Romae 1911-15, tomi 4. Opus classicum et insigne ex quo posteriores hauserunt non sine fructu, repetitis tamen oneratum.

7 — DE HERDT, *Praxis Pontificalis, seu Caeremonialis Episcoporum practica expositio,* Lovanii 1873, 3 vols, in-8°; ed. altera, ibidem 1904. Scientia liturgica plena.

8 — PROTO Alphonsus, Commentarium in CE ex authenticis decretis SRC collectum (aliis exclusis), 100 p., in-8°, Ratisbonne 1873.

9 — SCHOBER Georgius, *Caeremoniae Missarum solemnium et pontificalium,* Ratisbonae 1894; ed. 2ª, ibidem 1909. Auctor editionem typicam CE Leonis XIII paravit, eratque consultor SRC. Opus auctoritatem commendans.

10 — Favrin Benjamin, *Praxis solemnium functionum episcoporum ac praelatorum episcopis inferiorum*, Romae 1906; ed. altera, ibidem 1924. Claritate et brevitate excellit auctor.

11 — Stahle Aurelius OSB, *Manual of Episcopal Ceremonies* based on the Caeremoniale Episcoporum, Beatty PA, USA 1914; ed. 3ª, 1925. Utilis rituum pontificalium explanatio pro America Septentrionali.

12 — Moretti Aloysius, *Caeremoniale iuxta Ritum Romanum*, Taurini 1936-9, 4 tomi, in-8°. Vide EPR, I, p. xi.

13 — Ahearne and Lane, *Pontifical Caeremonies*, London et Dublin 1942; ed. 2ª, 1947. Principiorum practica applicatio desideratur, uniformitatem prae oculis habentibus auctoribus uti scopum.

II — DE IURE PONTIFICALI PERSONARUM pauci ex-professo agunt, sunt enim :

1 — Tamburini, Ascanius Abbas Vallis Umbrosae († 1666), *De iure abbatum et aliorum praelatorum tam regularium quam saecularium episcopis inferiorum*, Lugduni 1635, vol. 3 in fol., ibidem 1640 et 1650; Coloniae Agrippinae, 1691 et demum Augustae (Taurinorum?) 1698. Auctor nimis diffusus iura abbatum strenue defendit. Sed si eorum privilegia adquiri possunt non solum directa Sanctae Sedis concessione, sed etiam consuetudine et praescriptione vel per simplicem *communicationem*, uti aiunt, et si, prout dicit ipse (tom. I. p. 321), et non dubito quin sit verum, Urbanus II abbati Cavae *pro tempore* permisit « omnia pontificalia exercere, quae episcopi in suis dioecesibus exercere possunt » (Ibidem p. 310), tota quaestio simplificatur et abbates episcopis aequiparantur. Sed ne quid nimis.

2 — Barbosa Augustinus Lusitanus, *Tractatus de canonicis et dignitatibus*, ed. 4ª ab auctore recognita, Venetiis 1641, sed pluries editus.

3 — Andreucci Andreas Hieronymus s. j., *Hierarchia ecclesiastica in varias suas partes distributa, libri duo*, Romae 1766, tomi 2. Iuris peritus qui usus Romanae Curiae optime noverat.

4 — De Herdt, *Ius capitularis*, Lovanii 1882; iterum editum, ibidem 1894. Editio post codicem desideratur et utinam veniat.

5 — Hofmeister Philipp OSB, *Mitra und Stab der wirklichen Praelaten ohne bischöflichen Charakter*, Stuttgart 1928. Kirchenrechliche Abhandlungen 104, Heft. Quaestionem reassumpsit in Liturgisches Jahrbuch 1, Band 1951, p. 75-101 : Die einzelnen Pontifikalinsignien; 2. Band 1952, p. 15-43 : Die einzelnen Pontifikalriten. Ceteri auctores de uno vel alio capitulo personarum egerunt, suisque locis citantur.

6 — Salmon, Dom Pierre, Abbas sancti Hiernoymi de Urbe, *Etude sur les insignes du Pontife dans le Rit Romain*, Rome 1955, 104 p. Quaestiones omnes sub historicum prisma exponit. Opus valde opportunum et *très fouillé*, in quo magna ex parte de usu pontificalium ab abbatibus agit. Opus nostrum typis excudebatur cum librum exmi auctoris perlegimus, et liceat nobis quaedam adnotare. 1) Auctores Caeremonialis Episcoporum vix de abbatibus aliquid dixerunt, ecclesias cathedrales in mente habentes. Propterea enim decretum generale Alexandri VII datum est, et forsan veluti responsio ad opus Tamburini. Adnotare expedit annos : CE, 1600; Tamburini, 1635; Decretum Alexandri VII, 1659. 2) « Il est hors de doute que dans les affaires religieuses certains (abbés) étaient plus puissants et plus agissants que bien des évêques. Tel est le fait qui est la base du développement des *pontificalia* des abbés » p. 49. 3) « ... à l'époque de la splendeur du monachisme romain, *les abbates Urbis* venaient immédiatement après les cardinaux et les patriarches ». Sed saeculo XIII abbates sancti Pauli vel sancti Laurentii, aliique palatini, cardinalibus in multis aequiparabantur, et non solum iure praecedentiae nam coram Domino Apostolico sacro litabant et ad cardinalatum promovebantur. Sed etiam nunc Abbas Generalis Confoederationis Benedictinae in Urbe throno utitur in ecclesia sancti Anselmi, non secus ac presbyteri cardinales in suis titulis. 4) Optime de faldistorio scripsit « Quant au trône actuel, qui n'a que de très lointaines attaches avec l'ancienne *cathedra*, ne peut-on se demander pourquoi il a évincé de telle façon le faldistoire, qui a été pendant tant de siècles le siège épiscopal? » p. 94. In Expositione nostra ad Pontificale Romanum, ritum ad faldistorium per longum et latum explanavimus. Perperam tamen cum etiam episcopi titulares et abbates malunt uti throno. Functiones ad faldistorium nunquam vidimus in ecclesiis benedictinis. Vide p. 325, notam 11.

III — DE VESTIBUS PRAELATORUM data opera scripserunt chronologico ordine :

1 — Piazza Carlo Bartolomeo († 1714) oblatus sancti Caroli : *L'Iride Sagra* spiegata nei colori degli abiti ecclesiastici, Roma 1682, 416+54 paginae, in-16. Opus hodie admodum rarum ex quo plurima hauserunt Bonanni et Moroni. Nova editio operum Piazza opportuna esset. Agit de coloribus vestium praelatorum et ait cum Papa Leone I « Quae per se sunt vilia, Fides efficit pretiosa ».

2 — Bonanni (seu Buonanni) Filippo s. j. (1638-1725), qui generationem spontaneam insectorum defendit, scripsit *La Gerarchia ecclesiastica* nelle vesti sagre e civili usate da quelli li quali la compongono. In due parte (In parte 2ª, 160 habentur incisiones ab auctore delineatae seu depictae, quae valde utiles sunt ad vestes praelatitias saeculi xvii et xviii cognoscendas), Romae 1720, editio prima et unica.

3 — Capparoni Giuseppe, *Raccolta della gerarchia ecclesiastica*, Roma 1827, in-4°. Collectio 60 incisionum seu diagrammatum coloribus illustrata omnium personarum ecclesiasticarum seu laicarum Romanae Curiae.

4 — Moroni Gaetano Romanus (1802-1883) in suo *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica* de vestibus praelatitiis et sacris erudite agit sub nomine unius cuiuscumque vestis, sed speciali modo in vol. 96 : *Vesti della gerarchia ecclesiastica*, p. 200-245; veste sagre, p. 245-268.

5 — Barbier de Montault, Mgr Xavier (1830-1901), *Le costume et les usages ecclésiastiques* selon la tradition Romaine, Paris s. d. (1900), 2 vol., in-8°. Opus classicum hac de re. Plurima alia scripsit opera : *Œuvres complètes*, Paris 1889-1902, 16 vol. A. est nimis diffusus et non raro in mente lectoris confusionem gerit. Vide E. Girou : *Mgr B. de M. Bio-bibliographique*, Paris 1910, 456 paginae, in-8°. Vide bibliographiam heraldicae infra.

6 — Nainfa John Abel, sancti Sulpitii sacerdos : *Costume of Praelates of the Catholic Church according to Roman etiquette*, Baltimore 1909, ed. 2ª, 1926. In nonnullis corrigendum sed utile opus, « modernisatio » modo compendioso operis BM, quem generatim sequitur; figuras eius iterum edidit.

7 — Mc' Cloud Henry, *Clerical Dress and Insignia* of the R. C. C., Milwaukee 1948.

Auctores qui de una vel alia re agunt suis locis citantur.

IV — DE MINISTERIO PONTIFICALI scripserunt :

1 — SAUSSAGIUS (du Saussay), Andreas Parisinus († 1675), Ludovico XIII a concionibus, licet " fastus et pompae osor ", tres scripsit *Panoplias*, videlicet *episcopalem*, seu de sacro episcoporum ornatu libros VII, Parisiis 1640, in folio cum analectis; *clericalem*, ibidem 1649; et *sacerdotalem*, ibidem 1653. Hurter, 4, col. 242-3. Scripsit etiam auctor opusculum " De Sacro ritu praeferendi crucem maioribus praelatis ecclesiae ", Parisiis 1628. Panoplia episcopalis ad argumentum nostrum spectat et cum sit opus sat rarum indicem transcribimus :

Liber I. De Mitra, p. 1-86. – II. De Baculo, p. 87-174. – III. De anulo, p. 175-293. – IV. De cruce pectorali, p. 294-329. – V. De chirothecis, p. 330-355. – VI. De dalmatica et tunica, p. 356-403. – VII. De caligis et sandaliis, p. 404-460.

2 — DE ALBERTIS Fabius, *Tractatus de Sacris Utensilibus*, p. XX-512, in-4°; tomus alter continens decisiones S. R. Rotae ad antecedentem tractatum, p. XXIII-360, Romae 1783. Decisiones traduntur CIV ab anno 1583, ad 1774. Opus classicum hac de re et frequenter citatum, tamen in pluribus nimis diffusum, in aliis valde concisum, suo tempore tamen utile; ait auctor " Miraberis fortasse me, hisce praesertim temporibus (rerum perturbationum) de legalibus scribere quum Europae totius bibliothecae libris tamquam ferculis in trivio ad plenissimam plebem paratis undequaque fatiscant ".

3 — GEORGIUS Dominicus († 1746), *De Liturgia Romani Pontificis*, tomi 3, Romae 1731-44, quam maxime laudandum. " A work stored with erudition and noble sentiment, recommended by a masterly and perspicuous style ". Pugin, *Glossary*, p. XI.

4 — PUGIN Augustus Welby, *Glossary of Ecclesiastical ornament and costume*, London 1844; ed. 2ª a Bernard Smith parata, London 1846; ed. 3ª, 1868, in-4° maiori. Pulchrum revera opus.

5 — ROHAULT DE FLEURY, *La Messe, Etudes archéologiques sur ses monuments*, 8 vols, in-4°, Paris 1883-1889. Monumentale opus et in re sacra archeologica nulli secundum. Citatur RF.

6 — BUCCI Rinaldus, *De Insignibus Episcoporum, commentaria (septem)*, Ratisbonae 1891, 74 p., in-8°. De mitra praesertim agit, iterum edens latine *Dissertazione su la mitra*, Romae 1862. Apostolicus erat caeremoniarius tempore Concilii Vaticani.

7 — BARBIER DE MONTAULT, *Le Costume et les usages ecclésiastiques*, 2 vols, in-8°, Paris s. d. (1900). Citatur BM.

8 — BRAUN Joseph s. j. († 1947), *Die liturgische Gewandung in Occident und Orient*, Freiburg I. B. 1907, XXIV-797 p., in-4°. Opus monumentale. Vide notam extra ordinem ad introductionem.

V — SANCTUS CAROLUS BORROMAEUS († 1584) in Concilio Provinciali suo III, adunato anno 1573, iussit ut publici iuris fierent " Institutionum fabricae et supellectilis ecclesiasticae libri duo ", quae tamen non erant absolutae AEM, I, col. 266 et quae " editione principe eaque authentica prodierunt ex officina Pacifici Pontii anno 1576 ", Ratti, I, p. XXII. Deinde editae semper fuerunt una cum actis Ecclesiae Mediolanensis, quorum editionem principem edidit A. Ratti (Pius XI) in vol. I. AEM, col. 1409-1598, adiecta paragrapho de manipulo quae in aliis editionibus omissa erat.

Benedictus XIII editionem operis sancti Caroli edidit Ecclesiae Beneventanae accommodatam " Il Rettore ecclesiastico instruito nelle regole della fabrica e della supellectile ecclesiastica ", 142 p., in-4°, Benevento 1729.

Versio altera italica cura Leopoldi Brioschi edita est Mediolani anno 1823, sed libri I tantum, Ratti, p. XXII.

E. van Drival († 1887) canonicus ecclesiae Atrebatensis *(Arras)* opus latine edidit cum notis in lingua Gallica, 340 p., in-12, Parisiis 1855; tamen erravit dans annum 1557 uti primae editionis.

Anglica versio facta est a Wigley G. J., " Saint Charles Barromeu's Instructions on Ecclesiastical Building, translation and annotation, London 1867 ".

Michael Andrew Chapman partes quasdam instructionum sancti Caroli ad usum hodiernum accommodatas edidit Neo-Eboraci apud *Liturgical Arts*, III (1934), p. 142; IV, p. 60, 109; V, p. 60, 105; VI, p. 91; VII (1938), p. 10, *Terminal Essay*; XXIV (1955), p. 13-15 *The Baptistery*.

Tandem nova edita est versio italica : San Carlo Borromeo, *Arte Sacra* (de fabrica ecclesiae). Versione e note a cura di Mons. Carlo Castiglioni e Don Carlo Marcora, Milano 1952, 179 p., in-8°. Presso Mons. Castiglioni, *Biblioteca Ambrosiana a Milano* " Modernisationem " Institutionum sancti Caroli, maxima adhibita cura, edidit Adrianus Bernareggi, episcopus Bergamensis † 1953) *Istruzioni Sinodali su la Liturgia e la Musica sacra*, Bergamo, 1952.

VI — DE ECCLESIARUM AEDIFICATIONE ET DECORATIONE DEQUE EARUM SUPELLECTILI auctores quamplurimi recentius egerunt e quibus speciali modo merentur citari :

1 — Roulin E. OSB, *Nos églises*, Paris 1938, in-8°.

2 — Anson Peter, *Churches : their Plan and Furnishing*, London 1947; Milwaukee 1948.

3 — Canega Moisés Díaz, *Architectura y Liturgia*, Bilbao 1947, in-4° maior.

4 — Holzmeister Clemens, *Kirchenbau Ewig-Neu*, *Tyrolia Verlag*, Innsbruck Wien 1951.

5 — Malherbes Georges, *Le Mobilier liturgique d'une église paroissiale*, Pulchrum quidem opus. Luttre 1927.

6 — Astorri Giuseppe, *Architetura Sacra generale*, Roma 1935.

7 — Costantini Celso e Giovanni, *Fede et Arte*, 3 volumina : vol. 1° L' artista cristiano, Roma 1945; vol. 2° Costruzione dei sacri edifici, Roma 1946; vol. 3° Decorazione e Arredamento delle chiese, Roma 1949 : Pontificia Commissione Centrale per l' Arte Sacra.

Et Ephemerides speciales hac de re *L'Artisan Liturgique*, Abbaye de saint André, Bruges, inde ab anno 1927 et *Liturgical Arts*, Neo Eboraci, inde ab anno 1932.

VII — Bibliographia SCIENTIAE HERALDICAE magna est velut mare sed non ideo metuenda. Inter auctores saeculi XVII, maximi heraldicae cultus, commendantur :

PALLIOT Pierre, *La vraye et parfaite science des armoiries*, 2 tomi, in folio, Paris 1664. Editio stereotypica Parisiis prodiit anno 1895.

MÉNESTRIER François Claude s. j. plurima edidit opera heraldica ab anno 1659 ad 1696. Filii nobilium parentum Galliae in scholis Societatis Iesu studiis

vacabant et scientiam heraldicam callere debebant : " *La science de la noblesse ou la nouvelle méthode du blason* ", Paris 1691; " *La nouvelle méthode raisonnée du blason* ", Lyon 1696 et 1723.

Inter auctores recentiores speciali modo commendantur :

WOODWARD John († 1898), *A Treatise on Heraldry, British and Foreign*, London 1892, 2 vol. " ... in spite of many errors... the only scholarly book in English " Oswald Baron, EncyBrit, *Heraldry;* " A master-piece on heraldry " Moncreiffe.

FOX-DAVIES Arthur Charles, *The Art of Heraldry*, London 1904, " A sumptuous work ".

GHEUSI P.-B., *Le Blason*, Traité complet de la science des Armoiries, Paris 1932, in-4°. Egregium opus, claritate et praecisione laudandum.

Plura exstant compendia heraldicae artis, veluti *Handbüchlein der Heraldik* von D. L. Galbreath, ed. 2ª, Lausanne, Spes-Verlag 1948 vel *Manuel du Blason*, ibidem 1942; *Simple Heraldry* cheerfully illustrated by Jain Moncreiffe and Don Pottinger, London 1953 at Thomas Nelson. " It illustrates heraldry in a brilliant and allusive way ".

De heraldica ecclesiastica paucissima habentur opera, sunt enim : WOODWARD John, *A Treatise on Ecclesiastical Heraldry*, London 1894. Opus sat rarum subscriptoribus venditum. " It will always remain a very remarkable book ", Galbreath.

PASINI FRASSONI, *Essai d'Armorial des Papes*, Collegio Araldico, Roma 1906. " The first serious attempt at a critical study ", Galbreath, p. 68. Eiusdem : *I Capelli Prelatizi*, ibidem 1908.

DU ROURE DE PAULIN, *L'Héraldique ecclésiastique*, Paris 1911, 40 paginae, in-4° cum illustrationibus.

GALBREATH Donald Lindsay, *Papal Heraldry*, Cambridge 1930, xx+118 p., in-4°, 6 plates, 196 textfigures. Pars prima et unica operis " A Treatise on Ecclesiastical Heraldry ". Eruditissimus auctor supremum obiit diem Londini secundum novembris 1949 cum finem apponebat tractatui *Cardinalitial Heraldry*. Heraldica scientia de eo optime meruit.

HEIM Bruno Bernard, Suae Sanctitatis cubicularius supra numerum : *Wappenbrauch und Wappenrecht in der Kirche*, Verlag Otto Walter (Suisse) 1947; vel gallica lingua : *Coutumes et Droit Héraldiques de l'église*, Paris Beauchesne 1949, cum perpulchris illustrationibus auctoris. Desideratissimum sane opus optime constructum. Scripsit etiam *Héraldique ecclésiastique* apud DDC Letouzey, tome V, col. 1093-1105. Exoptare licet ut caput adiungatur, in commodum praelatorum, de modo construendi scutum.

COMES DE SAINT-SAUD publici iuris fecit opus magnum *Armorial des prélats français du XIXᵉ siècle*, cum 950 stemmatibus depictis, Paris 1906, in-8°; *additions et corrections*, ibidem 1908, quod completur opera Meurgey, *Armorial de l'église de France*, (in quo desunt illustrationes), Macon 1938.

Amplam bibliographiam heraldicam tradit Heim, p. 185-194.

Praeter hos auctores plurimi alii articulos vel dissertationes ediderunt Moroni, vol. 66, p. 65-101, *Sigillo e stemma*, § 1 degli stemmi; § 2 de' sigilli; § 3 de' sigilli pontifici. Barbier de Montault edidit *Armorial des Papes*, Arras 1877; " An unbelievably careless work ", Galbreath, p. 68. Id dici potest de pluribus aliis operibus auctoris. Battandier scripsit *Armoiries ecclésiastiques* APC, 1902, p. 366-384. Fox-Davies Heraldry in the *Catholic Encyclopedia*, inter meliores adnumeratur. Ströhl publicavit *Heraldik der katholischen Kirche*, Berlin 1910. Nainfa John Abel, *Costume of Prelates*, Baltimore 1909 et 1925, chapter VI, *Heraldry*.

Liturgical Arts, Neo Eboraci, quatuor edidit studia cum perpulchris illustrationibus. Sunt enim : Pierre Chaignon La Rose, *Ecclesiastical Heraldry and Architects*, 4th quarter 1933; Wilfrid Bayne, *Heraldry in the Catholic Church*, Feb. 1944 et *The Devising and Use of a Coat-of-Arms*, May 1946; William Eggers, *The Value to us of the Heraldic System of Design*, Feb. 1946.

Incredibile est quot errores leguntur in libris qui de heraldica ecclesiastica articulos tradunt : inter recentiores : Abbé Corbierre, *Notions d'Héraldique ecclésiastique* apud Almanach catholique français 1922, p. 106; De Armengol y de Pereyra, *Heraldica*, Colección Labor, 1933 et 1947; Bartoli, *L' Arte nella Casa di Dio*, Torino 1950, p. 510 *Araldica;* in novissima *Enciclopedia Catolica italiana* Araldica, diagrammata apposita nobilem scientiam haud iuvant.

VIII — DE ECCLESIA PATRIARCHALI LISBONENSI scripserunt :

1 — *Codex Titulorum Sanctae Patriarchalis Ecclesiae Lisbonensis*, 2 tomi, in folio, Lisboni 1746-48. Opus scripsit Almeida Mascarenhas, sed Almeida Portugal, mortuo fratre, opus ad finem perduxit : ambo erant " Principales " Capituli.

2 — " Diário das funções que se fizeram na Santa Igreja Patriarcal e de outras que em algumas Igrejas se mandaram executar principiadas em o ano de 1719 ". Sine nomine auctoris, probabilius caeremoniarum praefecti. Duo exstant exemplaria in Archivo Patriarchali. In votis est ut edatur prout legitur in MS.

3 — Ignacio Barbosa Machado, chronographus Regni : *Historia critico-chronologica...* da Procissâo do Corpo de Deus do anno de 1719, Lisbôa 1759, 216 p., in-4°. Auctor opus scripsit de mandato Regis statim post processionem quam descripsit; sed editum est anno 1759.

4 — Frei Joâo de Sâo José do Prado, *Monumento sacro da Fabrica e Sagraçâo da Basilica do real convento de Mafra*, Lisbôa 1751, XXIV+152 p., in-4°. Ritum solemnissimae consecrationis Basilicae a Patriarcha, die 22 octobris 1730 cum regia assistentia factae, minuatim describit.

5 — (Mons. Pereira dos Reis), *Cerimonial (da) Missa solene celebrada pelo Emo Patriarca segundo sua liturgia peculiar*, Lisbôa 1940, 24 p., in-8°. Cum *Imprimatur* Emi Card. Patriarchae.

6 — Pe. Miguel de Oliveira, *Privilégios do Cabido da Sé Patriarcal de Lisbôa*. Editum duobus elapsis saeculis a morte Regis Iohannis V, Lisboa 1950, 46 p., in-8°. Agit praesertim de privilegiis capituli sed plura tradit de privilegiis Patriarchae.

7 — Fortunato de Almeida, *Historia da Igreja em Portugal*, IV tomos, Lisbôa 1910-21. Praesertim tomo III, parte I.

8 — Eduardo Brazão, *Subsídios para história do Patriarcado de Lisbôa*, Lisbôa 1943. Utilissimum opus ubi plura tradit documenta de subterranea historia Iohannis V cum Sancta Sede.

9 — Francesco Cancellieri, *Roma Lusitana*, MS cl. auctoris editum a Marquês de Faria, quod tamen prae manibus non habui.

Cetera opera minoris momenti relate ad liturgica privilegia Patriarchae in his libris citantur.

IX — DECRETA SACRAE CONGREGATIONIS RITUUM. Saeculo elapso praesertim et nostro incipiente, scientia liturgica magna ex parte de codificandis seu ordinandis decretis Congregationis Sacrorum Rituum agebat. Plura manualia hac de re edita fuerunt : Pithonius Franciscus Maria († 1729), auditor Benedicti XIII in unum collegit " Constitutiones Pontificiae et Romanarum Congregationum ad sacros ritus spectantes ", Venetiis 1730 et 1740, tomi duo in folio, Hurter 4, col. 1292. Spiridius Talù Congregationis Oratorii, scripsit *Decretorum SRC Hierolexicon*, Venetiis 1795, quod iterum edidit Iohannes Diclich, Venetiis 1838. Martinucci Pius, sat cognitus nobis, iterum edidit *Manuale ecclesiasticorum seu SRC decreta* a Bartholomaei a Claudio CMCap. editum, ed. 3ª, Romae 1853, quod meliore forma redegit W. A. Maier, Ratisbonae 1878. Proto idem fecit pro CE, Ratisbonae 1875 (vide supra I, 8), et pro PR, ibidem 1882. Gardellinus classicam dedit editionem authenticam decretorum SRC, ed. 1ma, 1807-1819, tomi 6; ed. 2ª, 1824-26, tomi 7; ed. 3ª, 1856, tomi 4. Quae quidem decreta *Muhlbauer* alphabetico ordine concinnavit, Monachii 1863-67, tomi 4. Omnes voluere longius ire quam praedecessores et editor Gavanti-Merati, Venetiis 1823, gaudet ex eo quod in sua editione quadringenta decreta publicantur quae in anterioribus desiderabantur. Demum Adone Aloysius Neapolitanus pulchrum edidit opus " Synopsis Canonico-liturgica ex Corpore iuris, Concilio Tridentino, Romanorum pontificum constitutionibus, SS. Congregationum decretis et Ecclesiae Mediolanensis actibus ", 605 p., in-8°, Neapoli 1886.

Praestantiores citantur auctores qui cultum liturgicum per decreta ordinaverunt, liturgicis codicibus et principiis seu decretorum rationibus praetermissis, tamen viam ad ulteriora studia parantes. Vide hac de re Card. Gennari, *Questioni Canoniche*, p. 183, n. 135 et apud *Il Monitore*, IX, I, p. 256; QL, 1923, p. 37; Liturgia, Paris 1931, Aigrain, p. 44 : *Les décisions de la Congrégation des Rites.*

I. INDEX SYNOPTICUS

LIBER I — DE PERSONIS

TITULUS I

DE SUPREMA POTESTATE DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

TITULUS II

DE POTESTATE EPISCOPALI DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

LIBER II — DE REBUS

PARS PRIMA
DE VESTIBUS PRAELATITIIS

TITULUS I

DE HABITU PRAELATITIO IN COMMUNI

TITULUS II

DE HABITU PRAELATITIO IN SPECIE

TITULUS III

DE VESTIUM PRAELATITIARUM USU

TITULUS IV

DE CANONICORUM VESTIBUS CHORALIBUS

Sectio I

De canonicorum vestibus in genere

Sectio II

De canonicorum vestibus in specie

PARS SECUNDA

DE MINISTERIO PONTIFICALI

TITULUS I

DE VESTIBUS PONTIFICALIBUS

TITULUS II

DE INSIGNIBUS PONTIFICALIBUS

PARS TERTIA
DE ECCLESIIS MAIORIBUS

PARS QUARTA
DE HERALDICA PRAELATITIA

LIBER III — DE FUNCTIONIBUS PONTIFICALIBUS IN GENERE

II. INDEX ANALYTICUS

III. INDEX LOCORUM ET PERSONARUM

APPENDIX

Nomina quae citantur in Introductione et Catalogo editionum CE.

Imprimé en Belgique par DESCLÉE & Cie, ÉDITEURS, S. A. Tournai. — 10.201